

BIBLIOTHECA

CLASSICA LATINA

SIVE

COLLECTIO

AUCTORUM CLASSICORUM LATINORUM

CUM NOTIS ET INDICIBUS

EXCUDEBANT AUG.-FR. DONDEY-DUPRÉ, PATER,
ET PROSPER DONDEY-DUPRÉ, FILIUS.

PUBLIUS
OVIDIUS NASO

EX RECENSIONE

GOTT. ERDMANN GIERIG

CUM

VARIIS LECTIONIBUS CODICUM PARISINORUM

CUI NOVAS ADDIDIT NOTAS

NICOL. ELIG. LEMAIRE

IN REGIA GALLIARUM UNIVERSITATE ET IN ACADEMIA PARISIENSI POESEOS LATINÆ PROFESSOR

VOLUMEN QUARTUM

PARISIIS

COLLIGEBAT NICOLAUS ELIGIUS LEMAIRE

POESEOS LATINÆ PROFESSOR

MDCCCXXII

[redacted]

PUBLII

OVIDII NASONIS METAMORPHOSEON

LIBRI QUINDECIM.

PARS SECUNDA.

P. OVIDII NASONIS
METAMORPHOSEON
LIBER OCTAVUS.

N. B. Argumentum hujus Libri octavi Metamorphoseon relatum invenies in serie CANTERI, tom. III, pag. 38.

FAB. I. JAM nitidum retegente diem, noctisque fugante
Tempora Lucifero, cadit Eurus; et humida surgunt

1–151. *Nisus*, rex Megarensium, Pandionis filius, *in haliæetum*, et *Scylla*, ejus filia, *in cirin mutatur:* et hæc quidem merito hanc pœnam passa est. Quum enim Minos Megaram oppugnaret, Scylla, amore ejus incensa, crinem patris purpureum, quo et ipsius et urbis salus pendebat, resectum in castra hostilia pertulit, seque simul ipsam Minoi tradidit. Ille vero tam impiam proditionem aversatus, Scyllam relinquit apud Megarenses; quæ quum classem persequeretur, mutatur in cirin, pater vero in haliæetum. Latius hanc fabulam Megarensem tractavit Pseudo-Virgilius, in Ciri, quanquam is potiora narrationis capita breviter tantum perstringit. Confer et Pausaniam, Att. p. 45, et Corinth. p. 192; Apollodorum, III, xv, 8 sqq.; Schol. Euripidis, ad Hipp. vers. 35 et 1200; Propertium, III, 1752; Hygini fabulam 198. Tractaverat hæc etiam Parthenius, ut apparet ex Eustathio ad Dionys. Perieg. versu 420. Minos Scyllam, impietatem ejus aversatus, aut in patria reliquerat proficiscens, aut pœna quadam adfecerat. His addita est fabula de purpureo Nisi capillo, quam cupide arripuerunt poetæ atque mythici scriptores. Quum enim avem nossent purpurea in vertice crista insignem, quæ ciris diceretur (quod nomen a græco κείρειν, tondere, derivari posse putarunt), in eam transiisse Scyllam finxerunt, patrem vero in haliæetum, qui acerrimo odio insectari cirin solet. — *Jam nitidum* etc. Initium fabulæ respicit, VII, 659 et 664. — Olim, pro *retegente*, edebatur *regente*, quod corruptum esse vidit Regius: atque *retegente* in omnibus, quibus usus est, MSS. reperit Ciofanus. Regii nostri, *retegente*. — *Lucifer* et Aurora alibi dicuntur *diem reducere*, sed hoc loco exquisitius, *retegere*, quemadmodum apud Virgilium, Æn. IV,

Nubila : dant placidi cursum redeuntibus Austri
Æacidis, Cephaloque; quibus feliciter acti
Ante exspectatum portus tenuere petitos.
Interea Minos Lelegeia litora vastat;
Prætentatque sui vires Mavortis in urbe
Alcathoi, quam Nisus habet; cui splendidus ostro
Inter honoratos medio de vertice canos
Crinis inhærebat, magni fiducia regni.
Sexta resurgebant orientis cornua Phœbes;

119, Titan *radiis retegit orbem*. Adde V, 65. Nox contra amictu suo *tegit terras*. Sed nollem additum *noctisque fugante tempora*; ita enim diversæ imagines junctæ. De *nitido die* ad I, 603. — Venti *cadunt*, quum quiescunt; contra *surgunt*, quum inflare incipiunt. Pro austro ponit *humida nubila*, quæ aguntur ab austro.

3. *Cursum*, nempe secundum, prosperam navigationem. Cicero, ad Att. V, 8, *cursum exspectabam*. — Æacidæ non *redibant*, sed sequebantur redeuntem Cephalum. Nempe *redire* ponitur et pro simplici *ire*. — *Ante exspectatum*, ἀπροσδοκήτως, opinione citius. Vide ad IV, 789.

6. *Lelegeia litora* docte; etenim *Leleges* e stirpe Pelasgica tum temporis illa loca tenebant. — *Vires Mavortis sui*, et versu 61, *Mavors suus* ornate, copias suas. — *Prætentat* etc. copiarum suarum vires experitur in hac urbe ante bellum justum. Supra, VII, 489, *suas ibi præconsumere vires*. Claudianus, VIII, 534: *tela solebat Prætentare feris, olim domitura Gigantas*. — *In urbe Alcathoi*. Primus Mediceus, Noric. et tres alii, *in urbem*; Junianus et primus Gronovii, *in arce*: Regii nostri, *in urbe*. *Alcathoi* dedit Heinsius pro *Alcathoe*. Posterius habent nostri Regii. *Urbs Alcathoi*, Megara, cujus arcem *Alcathous*, Pelopis filius, muris cinxerat. Eam nunc *habebat*, regebat, *Nisus*, unde Νίσου πόλις dicta est apud Euripidem, Herc. Fur. 954. Strabo, lib. IX, Τῆς Ἀττικῆς εἰς τέτταρα μέρη διαιρεθείσης, ὁ Νῖσος τὴν Μεγαρίδα λάχοι. Cæso Niso, urbs a Megareo, qui Niso venerat auxilio, dicta est Megara. — *Cui splendidus ostro* etc. De purpureo hoc crine vid. Virgilium, in Ciri, vers. 119 sqq. Scholion Euripidis ad Hippol. 1200, habet χρυσοῦν πλόκαμον. — *Honoratos... canos*; Claudianus, L, 30, *sancta canities*. Florentinus S. Marci et alii, *in vertice*; Neapolitanus, Urbinas et secundus Mediceus, *sub vertice*. Regii nostri, *de vertice*. Responsum autem erat, tandiu eum salvum fore et regnaturum, quam crinem illum custodisset; hinc *magni fiducia regni*: et apud Virgilium, Cir. 380: *Tanta est in parvo fiducia crine cavendi*. Non *magnum* quidem illud *regnum*, quippe non nisi quarta Atticæ pars, sed dignitatis causa, pro consilio poetæ, etiam minora regna *magna* dicuntur.

11. *Phœbes* habent unus Mediceus et unus Ambrosianus pro vulgari *Lunæ*: Heinsius etiam conjicit *orienti Phœbæ*, quia alter Twisdenius *orien-*

Et pendebat adhuc belli Fortuna; diuque
Inter utrumque volat dubiis Victoria pennis.
Regia turris erat vocalibus addita muris;
In quibus auratam proles Letoia fertur
Deposuisse lyram: saxo sonus ejus inhæsit.
Sæpe illuc solita est adscendere filia Nisi;
Et petere exiguo resonantia saxa lapillo,
Tum quum pax esset: bello quoque sæpe solebat

ti. — Regii nostri, *Lunæ;* at ista lectio glossa videtur; elegantior certe *Phœbes*. Ed. — *Et pendebat adhuc* etc. æquum Martem duplici imagine exornat. *Pendere* eleganter dicuntur qui dubitant, in utram partem inclinent. Nostrum expressit Claudianus, I, 11: *His neque per dubium pendet Fortuna favorem* etc. — *Victoria* Dea, quæ virginis alatæ habitu pingebatur, nunc volabat *dubiis pennis*, exquisite, quia ipsa erat dubia, quo inclinaret. Compares e libro I, 506, et V, 605, *trepidantes pennas*. Tibul. II, v, 45: *super fessas volitat Victoria puppes.*

14. *Regia turris... saxo* etc. Memorabilis hujus *saxi* et alii mentionem faciunt, et commode hoc loco intexta est. Heynius, ad Virgilii Cirin, 105, putat, ex Ovidii mente *turrim* edidisse illum *sonum*: quod non est. Diserte enim a *vocalibus* muris *regia*, a rege exstructa, *turris* distinguitur. *Vocalis*, sonum edens, resonans. Apollo enim quum Alcathoo, muros exstruenti, operam navaret, lyram deposuit: *sonus* autem *ejus* in lapides subjectos transiit, ut, si quis lapide eos percuteret, eumdem illi, quem fides pulsæ, sonum ederent. Theog. 771; Pausanias, Att. p. 100; Virgilius, Cir. 105; Epigr. in Anthol. IV, p. 351. — *Letoia;* Codex Regius A, *Latoia;* Codex B, *Latonia;* utraque nostrorum Codicum lectio Apollinem indicans, præstantior videtur quidem; et melius Codicis B lectionem acceperis. *Ed.*

16. *Saxum* unum etiam apud Pausaniam, quanquam hoc loco singulare esse potest pro plurali. Bentleius, ad Horatium, III, Od. 11, 18, monet, non nisi bis a Nostro, hic et Trist. III, 4, usurpatum esse pronomen *ejus*, idque epicos poetas perpetuo multasse exsilio. Etiam Burmannus poetastros ob frequentem hujus pronominis usum vituperat. — *Exiguo*, vel quia virgo regia ludebat, vel quia tali lapillo opus erat.

19. *Bello quoque sæpe solebat.* Mediceus et Neapolitanus, *bellum quoque turre solebat.* Et *bellum* etiam Urbinas et Berneggerianus a manu prima; tum ille mox, *eque illa.* Hæ varietates Heinsio probantur. Sed *turre* otiosum est, quum *sæpe* sequentia postulare videantur. Tum *bello* et *quum pax esset* bene sibi respondent. Burmannus præterea putat, numeros fore minus languidos, si cum Leidensi legas, *quum pax tuta foret.* Regii nostri nihil mutant. — *Bello*, tempore belli, ut passim *ludis*, *sacrificiis* etc., id est, tem-

Spectare ex illa rigidi certamina Martis.
Jamque mora belli procerum quoque nomina norat,
Armaque, equosque, habitusque, Cydoneasque pharetras.
Noverat ante alios faciem ducis Europæi;
Plus etiam, quam nosse sat est : hac judice, Minos,
Seu caput abdiderat cristata casside pennis,
In galea formosus erat : seu sumserat ære

pore ludorum, sacrificiorum : ablativi ponuntur sic absolute, ut tempus significent, quo quid factum sit. Vide Burmannum ad hunc locum, et Ernesti ad Suetonium, in Cæs. 11. — *Spectare ex illa* etc. Spectabat castra hostilia, ut Antigone, apud Euripidem, Phœn. 110 sqq., et Helena, apud Homerum, Il. Γ, 154 sqq. : conf. et Virgilii Cirin, 172 sqq.

21. *Jamque mora belli.* Neapolitanus et prior Erfurtensis, *moras belli*, ut proceres *belli moræ* dicantur, quod illustrat Heinsius. Regii nostri, *mora belli*, quod elegantius, et præstantius. *Ed.*—*Mora*, diuturnitate, ut I, 402. — *Cydoneasque* olim edebatur, quod Ciofanus ex antiquiore suo Codice in *Cydoniasque* mutavit. At alterum Burman. revocavit, quia et A. A, I, 293, *Cydoneæ juvencæ;* etiam Virgilius, Ecl. X, 59. Variant Codices in hoc nomine. Berkelius, ad Stephan. in Κυδωνία, vult *Cydonæasque* esse scribendum. — Codex Regius noster A *Cydonias*, sicut et Codex B, a prima manu ; at manus secunda literam *i* in *e* vertit in hoc Codice, et margini inscripsit *Cydoneas*. Ed. — *Cydonia* una ex tribus celeberrimis Cretæ urbibus. Creta abundabat materia, unde sagittæ, arcus, pharetræ conficerentur, et Cretenses excellentes habebantur sagittarii.

23. *Europæi.* Vide ad versum 120.

Amor ille Scyllæ injectus traditur vel a Venere (Hyginus, dicto loco), vel a Junone : Virgilius, in Cirin, 133. Apud Nostrum originem habet satis naturalem. — *Sat est*, conducit. —*Faciem* et habitum Minois apte ad propositum describit in sqq. — *Hac judice* bene additum ; nam amori omnia videntur eximia. Ita *me judice*, II, 428. Jam seq. locus pulcher, expressus e Tibullo, IV, II, 7-12 : *Illam, quidquid agit, quoque vestigia movit, Componit furtim subsequiturque Decor. Seu solvit crines, fusis decet esse capillis, Seu comsit, comtis est veneranda comis. Urit, seu Tyria voluit procedere palla : Urit, seu nivea candida veste venit.* Confer, II, Amor. El. v, 43. Etiam hoc loco quot modis variatum illud, formosius erat. Et totus orationis color notandus. — *Cristæ* præcipuum galeæ ornamentum. Hinc *superbum cristarum decus*, Silius, X, 399. Erat non solum e setis equinis (XII, 88), sed etiam ex *pennis*, quæ pulchrum Minoa magis decebant.

26. *Ære* rescripsi auctoritate MSS. qui fere omnes in hoc vocabulo conspirant. Et mox versu 32, non nisi ærea galea Minoi tribuitur, ut apud Homerum, Il. K, 30, Menelao. Primus Vaticanus et duo alii, *ore*, quod aperte ex *ære* ortum. Unus Regius præfert *auro*, quod receptum ab Heinsio propagavit Burmannus.

Fulgentem clypeum, clypeum sumsisse decebat:
Torserat adductis hastilia lenta lacertis;
Laudabat virgo junctam cum viribus artem.
Imposito patulos calamo sinuaverat arcus;
Sic Phœbum sumtis jurabat stare sagittis.
Quum vero faciem demto nudaverat ære,
Purpureusque albi stratis insignia pictis
Terga premebat equi, spumantiaque ora regebat;
Vix sua, vix sanæ virgo Niseia compos
Mentis erat: felix jaculum, quod tangeret ille,
Quæque manu premeret, felicia frena vocabat.
Impetus est illi, liceat modo, ferre per agmen

Constat sane ex Homero et Virgilio etiam *auro* exornatos interdum fuisse clypeos; sed ego MSS. auctoritatem sequi malui. Atque etiam *æs* in splendorem datum satis potuit spectantium oculos ferire atque decus addere Minoi. Codex Regius A, *auro*. — *Decebat*, cum decore sumebat, aut, clypeus sumptus ei decus addebat. Euripides Phœn. 171, *ὡς ὅπλοισιν χρυσέοισιν ἐκπρεπής*. — *Adductis lacertis* pingit actum jaculantis. Expressit autem Virgilius, Æneid. XI, 561, *adducto contortum hastile lacerto Immittit*. Infra, IX, 52, sunt *brachia adducta*. Sic et *reduci* adhiberi, monet Burmannus. — *Lentum* solemne hastilium, pilorum, thyrsorum epitheton apud poetas. — *Juncta cum viribus arte* opus erat in ejusmodi exercitationibus, X, 181.

30. *Imposito patulos calamo*. Codex A, *impositis calamis patulos*; Codex B, *imposito calamo patulo*, et secunda manu superscribitur *impositis calamis*. Vulgatam præfero. *Ed.* — *Sinuaverat arcus*; lunaverat, incurvaverat: confer, Amor. I, 1, 23, *Lunavitque genu sinuosum fortiter arcum*. Ed. — *Stare* de gestu vel pugnantium, ut IX, 33, vel sagittas mittentium, ut hoc loco, et sic *status* passim.

33. *Purpureus* gravius quam, purpurea veste: Art. Amat. I, 214, *Quatuor in niveis aureus ibis equis*. — *Albo* equo se Minoa in obsidione urbis hostibus notabilem dedisse et conspicuum, non credit Burmannus, qui eam ob causam emendat *alti*. Ergone *altus* equus eum minus notabilem reddebat? Nec dubitarunt alii duces, Alexander, Hannibal, et armis et equis se insignire. Amabant autem plerumque *albos* equos; et in *albo* in primis lucebat purpura. — *Stratis pictis*. Grævianus pro diversa lectione dat *phaleris pictis*, quod arridebat Heinsio, sed recte rejicitur a Burmanno. Confer cum hoc loco VI, 222. — *Spumantia ora* generosi equi signum. — *Vix sua*. Vide ad III, 689. — *Felix* etc. Ridicula, solemnis tamen perdite amantium prædicatio.

Virgineos hostile gradus : est impetus illi
Turribus e summis in Gnosia mittere corpus
Castra ; vel æratas hosti recludere portas,
Vel si quid Minos aliud velit : utque sedebat,
Candida Dictæi spectans tentoria regis ;
« Læter, ait, doleamne geri lacrymabile bellum,
» In dubio est : doleo, quod Minos hostis amanti est.
» Sed nisi bella forent, numquid mihi cognitus esset ?
» Me tamen accepta poterat deponere bellum
» Obside : me comitem, me pacis pignus haberet.
» Si, quæ te genuit, talis, pulcherrime rerum,

39. *Est impetus illi*, etc. Potentia amoris bene notatur : *Impetus*, vehemens cupido. — *Gnosia ;* super hoc vocabulum in Codice A inscribitur hæc glossa, *Promontorium est Gnosis*. Cretæ ἑκατόμπολεως eximiæ fuerunt urbes Cydon, Gnossus, Gortyn, Lyctus et mons Dicte ; atque hinc poetis Cretæ epitheta. *Ed.* — *Mittere corpus* de desiliente. — *Æratas portas ;* ære et ferro munitas. *Ed.*

42. *Utque sedebat ;* septem veteres, tum Neapolitanus secundus, tertius Mediceus, pro diversa lectione, *Utque solebat*. quod non damnat Heinsius. At hoc jam dictum supra, 19. Regii nostri, *sedebat*. — *Candida*, quippe lintea. Virg. Æn. I, 469, *Rhesi niveis tentoria velis*. Illis tamen temporibus lintea tentoria nondum in usu. — *Dictæi regis ;* vide quæ supra ad *Gnosia*, 40.

44. *Læter, ait*, etc. Placet sibi Noster in ejusmodi soliloquiis, quibus naturæ humanæ indolem describit. Etiam hoc loco gravis animi lucta ; hinc enim amor pugnat insanus, illinc pietas ; sed, ut fit, ad extremum vincit amor, Scyllaque patrem prodit cum patria. Confer. similis luctatio Medeæ, VII, init. — *Lacrymabile*. Homerus, δακρυόεις πόλεμος. Horatius, *bellum lacrymosum.*

46. *Numquid*, pro *numquam* (quod habent Regii nostri) e primo Mediceo et Norico recte receptum ; acriorem enim reddit orationem. — *Deponere bellum ;* Ciofanus et Dominic. profert *dimittere bellum*, idemque Heinsius reperit in quinque MSS. et sic infra, XIII, 217. — Regii nostri, *deponere*. — *Deponere*, ut alibi *ponere*. Broukhusius ad Propert. II, 1, 36. — *Poterat* melius quam aliorum *poterit :* vide ad I, 679. — *Obsides* fere regum liberi accipiebantur. Vid. Ciofanus. Obsidem mox ulterius declarat, reique gratæ immoratur ; nam et *pignora pacis* sunt obsides, quia *pignus* omne id, quod fidem facit. — *Haberet* Heinsius mutavit in *habere*, quanquam hoc Burmannus deinde in Francof. reperit. Nos revocavimus alterum, ut melius. — Regii nostri nihil mutant.

49. *Quæ te genuit ;* Europa : *gignere* etiam de femina ; vide Burmannum. — *Pulcherrime rerum ;* Regii nostri, *pulcherrime regum*. — *Pulcherrime rerum* etiam in Art. Amat. I,

» Qualis es ipse, fuit; merito Deus arsit in illa.
» O ego ter felix, si pennis lapsa per auras
» Gnosiaci possim castris insistere regis.
» Fassaque me, flammasque meas, qua dote, rogarem,
» Vellet emi! tantum patrias ne posceret arces.
» Nam pereant potius sperata cubilia, quam sim
» Proditione potens; quamvis sæpe utile vinci
» Victoris placidi fecit clementia multis.
» Justa facit certe pro nato bella peremto;
» In causaque valet, causamque tuentibus armis,
» Ut puto, vincemur: qui si manet exitus urbem,
» Cur suus hæc illi reserabit mœnia Mavors,

213, et Heroid. IV, 125; *Dulcissime rerum* Horat. I, Sat. IX, 4; *maxima rerum* Claudian. I, 130. — *Deus*, Jupiter, II, 833 sqq.

51. *O ego ter felix*, etc. Confer Euripidem, Phœn. 166. — *Insistere* de volantibus, quando delabuntur in terram; I, 307. — *Fassaque me*, ut III, 2, *se confessus erat*. — Heroica ætate mariti *emebant* conjuges; sed postea *dos* postulabatur, quæ spectabatur ut pretium, quo maritus *emeretur*. Hinc apud Euripidem, Med. 232, Medea queritur, mulierem cogi χρημάτων ὑπερβολῇ Πόσιν πρίασθαι. Sponderi solebant liberi, et generi emi a parentibus. Virgilius, G. I, 31: *Teque sibi generum Tethys emat omnibus undis*. Sed Scylla amore ardens vult ipsa rogare, *qua dote* (e forma solemni) velit *emi*. — *Patriæ arces*, patria urbs. Æneid. I, 20, *Tyriæ arces*, Carthago; III, 553, *Caulonis arces*, urbs Caulon. — *Cubilia*, thalami, conjugium. — *Potens*, beata. Vide ad IV, 325.

56. *Utile vinci* etc. Exemplum Jul. Cæs. comprobat hanc sententiam.

58. *Facit* non nisi unus Lovaniensis, unde cupide Burmannus, ea ratione, quod *bellum facere*, de eo qui bellum ultro infert; *gerere* autem de eo qui bellum illatum repellit. Cæteri, et Regii nostri, *gerit bella*, quod probo, pace Burmanni; nempe repetitio vocis *facit* ingrata est, et *bellum gerere* usitatius est quam *facere*. — *In causaque*; vulgo *et causaque*, quod jam Constant. Fanens. mutavit in *in causaque*, idemque deinde in multis repertum est. Alter Ciofan. et alter Cælest. *in causamque*, quod et ipsum defendi posse Burmannus monet. Alii aliter. — *Causa valet* is, qui habet causam justam, ut Minos, qui pro Androgeo filio interemto arma movebat. Verbo autem *valere* sæpe additur præpositio *in*, ut *in dicendo*, *in ira valere*. Vid. Heinsius. — *Causam*, nempe justam. — *Tuentibus*; multi, iique præstantiores habent *tenentibus*, non improbante Heinsio. Regius B, *tenentibus*.

60. *Ut puto... qui si manet*; nostri Regii, *et puto... quis enim manet*. —

» Et non noster amor? melius sine cæde, moraque,
» Impensaque sui poterit superare cruoris:
» Nam metuo certe, ne quis tua pectora, Minos,
» Vulneret imprudens: quis enim tam dirus, ut in te
» Dirigere immitem, nisi nescius, audeat hastam?
» Cœpta placent, et stat sententia tradere mecum
» Dotalem patriam, finemque imponere bello.
» Verum velle parum est: aditus custodia servat;
» Claustraque portarum genitor tenet: hunc ego solum
» Infelix timeo; solus mea vota moratur.
» Di facerent, sine patre forem! Sibi quisque profecto
» Fit Deus: ignavis precibus Fortuna repugnat.
» Altera jamdudum succensa cupidine tanto
» Perdere gauderet, quodcumque obstaret amori.

Cur suus etc. Propertius, III, XVII, 24: *Nise, tuas portas fraude reclusit Amor.* — *Reserantur* proprie portæ, hoc loco *mœnia*, urbs ipsa. — *Superare* absolute, vincere.

64. *Nam;* Heinsius de suo dedit *quam;* nonnulli MSS. *jam* aut *non*. Regii nostri, *nam.* — *Nam metuo* etc. Commode hanc sollicitudinem animi sic declarat: sed ex mente Virgilii, Cir. 270, Minos vulnerari haud poterat. — *Dirus*, ut efficacius, e præstantioribus multis recepit Heinsius, pro *durus* (quod habent Regii nostri), quanquam hoc et crudelem significat. — *Dotalem patriam:* in dotem patriam prodere ut me accipiat, secumque habeat. *Ed.* — *Aditus*, portarum ingressus. *Ed.*

70. *Claustra portarum,* portæ clausæ, ut IV, 85, *urbis claustra.*

72. *Sibi quisque* etc. Multa ipsi nostris viribus efficere possumus, quæ a Diis petimus. Non est, quod Di faciant sine patre sim; ipsa me eo liberare possum prodens eum: sententia sumta ex Æneid. IX, 184 sqq. *Dine hunc ardorem mentibus addunt.... an sua cuique Deus fit dira cupido?* — *Fit Deus* Heinsius ex primo Gronoviano invexit; cæteri omnes, *Est Deus* (sicut et Regii nostri); æque bene. — *Ignavæ preces*, quibus non adduntur facta. Sallustius, Catil. 52, nostræ edit. p. 95: *Non votis, neque muliebribus suppliciis auxilia Deorum parantur: vigilando, ac agendo, bene consulendo prospere omnia cedunt: ubi secordiæ te atque ignaviæ tradideris, nequidquam Deos implores; irati infestique sunt.* Seneca, Med. *Fortuna fortes metuit, ignavos premit.* Ed. — Contra *armatæ* preces apud Ciceronem, Div. IX, 3. Jam hinc augetur impetus animi.

74. *Jamdudum* potes et nunc interpretari, continuo. — *Altera;* alia. — *Perdere* gravius, quam aliorum *prodere*. Singula verba hic habent pondus.

» Et cur ulla foret me fortior? ire per ignes,
» Per gladios ausim : neque in hoc tamen ignibus ullis,
» Aut gladiis opus est; opus est mihi crine paterno :
» Ille mihi est auro pretiosior : illa beatam
» Purpura me, votique mei factura potentem. »
Talia dicenti, curarum maxima nutrix
Nox intervenit; tenebrisque audacia crevit.
Prima quies aderat, qua curis fessa diurnis
Pectora somnus habet : thalamos taciturna paternos
Intrat; et, heu facinus! fatali nata parentem
Crine suum spoliat; prædaque potita nefanda
Fert secum spolium sceleris, progressaque porta

76. *Ulla;* Regii nostri, *illa.—Per gladios... neque;* Regius A, *nec.—Ille* revocavi, quia sic omnes Codices præter Junianum, unde Burmannus *illa* recepit, ut ad *purpuram* referretur. Regii ambo, *illa.*

81. *Curarum maxima nutrix.* Novo momento opus erat, quo cœpta tam audacia confirmarentur in animo. *Nox curas* quidem *diurnas*, id est, labores et negotia per diem suscepta, finit; sed eadem silentio suo et solitudine aliud *curarum* genus, nempe quas amor habet, *nutrit*, tum *tenebris*, quibus facinora occultat, hominum *audaciam* auget. Non bene autem *curæ* sic bis positæ. — *Tenebrisque*; Regius A, *tenebris.—Habet somnus*, ut VII, 329, ad quem locum vide.

84. *Taciturnum* illum ingressum præclare describit Virgilius, Cir. 209: *Auribus arrectis nocturna silentia tentat* etc. — In *fatali nata parentem* singula verba vim habent. Hinc præmissum *heu facinus! fatali*, quo fatum ipsius et patriæ pendebat. — Regius Codex A hæc ita habet: *Fatali crine parentem Nata suum spoliat;* quam lectionem simpliciorem et multo elegantiorem crediderim. Hunc *crinem fatalem* ita explicat Georg. Sabinus, apud quem vide similem historiam de Romilda Foro Juliensi : hic crinis significat secretum Nisi consilium, quod in capite summo; hoc autem hostibus prodito, quid superet nisi urbis expugnatio? *Ed.*

87. *Sceleris.* Codex antiquus Jac. a Cruce, Mediceus prior, Erford. Calandr. pluresque alii, *celeris.* Sic etiam Priscianus locum laudat, ut doceat, *celer* femininum facere *celeris.* Heinsius vero totum versum delendum censet, quia, in Florentino S. Marci, margini adscriptus est manu recentiore. In his sane est redundantia quædam; non tamen propterea versum 87, cum Heinsio, deleam, quum Ovidius sæpe in hanc partem peccet. Si *sceleris*, quoniam *nefanda* præcessit, displicet, possis cum Prisciano *celeris* præferre. — Regii nostri versum qualem ex cl. *Gierig* accepimus habent. — Non te-

Per medios hostes, meritis fiducia tanta est,
Pervenit ad regem; quem sic adfata paventem :
« Suasit amor facinus : proles ego regia Nisi
» Scylla, tibi trado patriosque, meosque Penates.
» Præmia nulla peto, nisi te : cape pignus amoris
» Purpureum crinem; nec me nunc tradere crinem,
» Sed patrium tibi crede caput : » scelerataque dextra
Munera porrexit. Minos porrecta refugit;
Turbatusque novi respondit imagine facti :
« Di te submoveant, o nostri infamia secli,
» Orbe suo, tellusque tibi pontusque negentur.
» Certe ego non patiar Jovis incunabula Creten,
» Quæ meus est orbis, tantum contingere monstrum. »
Dixit : et, ut leges captis justissimus auctor

mere monetur, *porta* eam esse *progressam*, egressam; eam enim pater clausam tenuerat. — *Meritis;* plurimi, *meriti;* unus Leidensis, *menti*, quod non displicet Heinsio. Regii nostri, *meriti.* — *Pavebat* Minos adspiciens crinem ab ipsa Nisi filia allatum.

91. *Patriosque* etc. et patriam et domum meam : sic infra, *Patrium caput*, vitam et salutem patris. Vers. 115 sqq., *patris ora* dicitur donasse. Impie commendat munus suum.

95. *Minos porrecta refugit;* pulchre decorum servat poeta, quo ubique justum hunc ostendit. *Ed.*—*Imagine facti*, cogitatione facti, ut alibi jam observatum. — *Novi*, inauditi. — *Di te submoveant* fuit in imprecationibus, ut *Di te eradicent, perdant* etc.— *Orbe suo;* Heins. suadebat *Orbe pio;* male. *Orbe suo* (quod habent Regii nostri) et mox *meus orbis* bene sibi opponuntur: *orbe suo*, toto terrarum orbe, in quem Deorum potestas.

99. *Jovis incunabula.* Jupiter a multis in *Creta*, ab aliis in Arcadia natus esse credebatur. Vide Callimachi hymnum Jov. 4 sqq, ibique Spanhem. Noster supra, II, 405, hos sequebatur, nunc illos. Bene hoc mytho utitur, ut sanctitatem insulæ suæ addat.—*Contactu* hominum nefariorum polluebantur sancta.

101. *Dixit; et, ut leges* etc. Festinat et omittit expugnationem urbis, quæ nil ad rem. — *Auctor*, scilicet legum, legislator. Plane sic, XV, 833, de Augusto, *legesque feret justissimus auctor.*—Ab *justitia* et æquitate passim laudatur Minos. Propertius, dicto loco : *Victor erat quamvis, æquus in hoste fuit.* Tragici tamen græci eum, tanquam ferum tyrannum notarunt, propter tributum Atheniensibus imperatum. Plutharchus, Thes. cap. 16. — *Retinacula*, *πείσματα*, funes, quibus naves alligabantur in litore, ne a ventis fluctibusve auferrentur. — Ea *sol-*

Hostibus imposuit, classis retinacula solvi
Jussit; et æratas impelli remige puppes.
Scylla, freto postquam deductas nare carinas,
Nec præstare ducem sceleris sibi præmia vidit,
Consumtis precibus violentam transit in iram;
Intendensque manus, sparsis furibunda capillis,
« Quo fugis, exclamat, meritorum auctore relicta,
» O patriæ prælate meæ, prælate parenti?
» Quo fugis, immitis? cujus victoria nostrum
» Et scelus, et meritum est: nec te data munera, nec te
» Noster movit amor, nec quod spes omnis in unum
» Te mea congesta est? nam quo deserta revertar?
» In patriam? superata jacet: sed finge manere;
» Proditione mea clausa est mihi: patris ad ora?
» Quæ tibi donavi: cives odere merentem;
» Finitimi exemplum metuunt: obstruximus orbem

rit. qui proficiscitur.—*Impelli*; olim *impleri* (et ita Regii nostri); alterum restituit ex uno Codice Ciofanus, quod et repertum postea in pluribus. — *Impellere remos*, *naves*; aut *mare remis*, phrases solemnes; vide Heinsium.

104. *Scylla, freto* etc. E nave suspensam Scyllam per mare tractam esse a Minoe alii narrant. Vid. Heynius ad Virg. Cirin, versu 389. Ex alia rursus traditione uxorem eam duxit Minos ductamque in mare abjici jussit: Pausanias, Cor. p. 192. Sed æquitati Minois magis convenit, quod eam in patria relinquit.— *Freto*, in fretum, si conjungis cum *deductas*; sin cum *nare*, deest *in*.

107. *Sparsis*; ita Regius A, at Codex B, sicuti et Burmannus, *passis*. — *Quo fugis* etc. Confer lamenta Scyllæ apud Virgilium, Ciri, 404 sqq. Odium in ingratum Minoa et impietatis miseriæque suæ sensus tumultuantur in animo Scyllæ. Convicia, quæ ei ingrati et immitis Minois cogitatio suppeditat, ex mythis repetita sunt, tanguntque in primis matrem et conjugem. Sic efficitur, ut totum genus abominabile videatur.

111. *Et scelus*; quia prodidit patrem: *et meritum*; quia victorem fecit Minoem. *Ed.* — *Congesta* cum vi. Quum alii multa et varia sperent, mea vota omnia in te conspirant; *congeri* enim dicuntur quæ in unum acervum cumulantur. — *Superata jacet*, ut I, 149, *victa jacet*.— *Manere*, statum pristinum servare.

115. *Patris ad ora*; plurimi (inter quos Regius noster A), *ob ora*, quod et Heinsio et Burmanno placet. — *Quæ tibi donavi* paulo durius, cujus salutem cum crine tibi prodidi. — *Exemplum*, similem prodi-

» Terrarum, nobis ut Crete sola pateret.
» Hac quoque si prohibes, et nos, ingrate, relinquis;
» Non genetrix Europa tibi, sed inhospita Syrtis,
» Armeniæve tigres, Austrove agitata Charybdis.
» Nec Jove tu natus, nec mater imagine tauri
» Ducta tua est; generis falsa est ea fabula vestri;
» Et merus, et captus nullius amore juvencæ,

tionem, cujus jam exemplum dedi. — *Obstruximus*, veniam ullius loci adeundi ademimus nobis. Sic et vers. 186. Quum in nonnullis legatur, *exponimus urbem*, in aliis *exponimur orbem* aut *orbe*, Heinsius sic legit et interpungit, *exponimur orbe; Terrarum nobis* etc. Est autem *exponi orbe*, excludi toto orbe, arceri ac repelli. Burmannus vero aut *obstruximus* defendit, aut cum Mediceo, *occlusimus*, ut sit opp. inter *occludere* et *patere*; ea vero est et in *obstruere*. — Codex Regius B, a manu prima, *exponimus orbem*; verbo *exponimus* semideleto, librarius ipse, ut mihi videtur, substituit *obstruximus* quod habet et Codex A. Hujus loci ad exemplar, Medea Senecæ, vers. 458 : *quascumque aperui tibi vias, clusi mihi. Quo me remittis?* Ed.

120. *Non genetrix Europa* etc. Confundunt et Noster et alii Minoem I cum Minoe II. Ille fuit Jovis et *Europæ* filius, cujus nepos Minos II imperium maritimum (de quo vide Heynium, in Commentar. societ. Gotting. tom. I, part. II, p. 71 sqq.) habuit, atque Niso bellum intulit. — *Syrtes*, loca in litore Africæ periculosissima, ob vada arenosa, erant duæ, quas describit Sallustius, Jugurth. cap. 78. — Vide quæ de *Syrtibus*, et quare ita sint appellatæ, cl. BURNOUF dixerit in Sallustium nostræ editionis, p. 267. *Ed.* — Sed hoc loco intelligatur regio Syrtica, aut omnino solitudo Libyæ arenosa. — *Inhospita*, ubi nemo habitat iterque facientibus hospitium præbet. Lucan. I, 367, *per inhospita Syrtis Litora.* — De *Armeniæ tigribus* vide ad XV, 86. — De *Charybdi*, vide ad VII, 63. — *Auster* maxime sævit in mari Siculo. Respexit autem his Æneidem, IV, 365 sqq. : *Nec tibi diva parens, generis nec Dardanus auctor, Perfide; sed duris genuit te cautibus horrens Caucasus, Hyrcanæque admorunt ubera tigres.*

122. *Nec Jove tu natus*, etc. Hic versus et sequens valde corrupti in MSS. Dominic. : *Falsa nec imagine tauri Lusa tua est genitrix : falsa est ea fabula.* Unus Ciofani, *falsi nec imagine tauri.* Plerique, *lusa est*, sed pro eo Neap., *capta.* Florent. Sancti Marci, *ducta*, quod recepit Heinsius. Porro, verba *generis vestri* sic correxit Capoferreus, atque ita et inventa sunt in uno Heinsii. Codex Regius A habet *Lusa tua est : genetrix falsa est et fabula.* Codex B nihil mutat. — Fabulam hanc ipse supra narravit, II, extr. — *Imago*, forma tauri, quam Jupiter assumserat. — *Duci* varie capi potest, trahi, induci, seduci, ut Heinsius monet, aut, ut ego malim, decipi. — *Fabula*, ut μῦθος, omnino narratio, hinc additur *falsa.* — Τὸ *verus* revocaverat *Gierig*, quia

» Qui te progenuit, taurus fuit. Exige pœnas,
» Nise pater : gaudete malis modo prodita nostris
» Mœnia : nam fateor, merui ; et sum digna perire.
» Me tamen ex illis aliquis, quos impia læsi,
» Me perimat : cur, qui vicisti crimine nostro,
» Insequeris crimen ? scelus hoc patriæque, patrique,
» Officium tibi sit : te vere conjuge digna est,
» Quæ torvum ligno decepit adultera taurum ;
» Discordemque utero fœtum tulit : ecquid ad aures
» Perveniunt mea dicta tuas ? an inania venti
» Verba ferunt ; idemque tuas, ingrate, carinas ?
» Jam jam Pasiphaen non est mirabile taurum

opponebatur *imagini tauri*. Burmannus dederat *ferus* : quod ambo nostri Regii habent ; sed malui *merus*, propter metrum. *Ed.*

130. *Insequeris*, insectaris, non obvia verbi significatione, notante Burmanno. Vide nos ad Plinium, VII, Ep. XIII, 5. — *Officium*, quia *sceleri* oppositum est beneficium. Cicero, ad Her. II, 17, *plura officia, quam maleficia.*

132. *Quæ torvum ligno* etc. Acerbissima exprobratio de horrendo et nefando Pasiphaes flagitio. Pasiphae enim, Minois conjux, quum tauro ureretur, qui vaccam mulieri præferret, Dædalus fecit vaccam *ligneam*, corio inductam, in qua Pasiphae cum tauro concubuit, ex eoque concubitu Minotaurum peperit, capite bubulo, parte inferiore humana ; hinc *discors fœtus*. Apollodorus, III, 1, 4 ; Hyginus, fab. 40. Palæphatus, cap. 2, fabulam examinat, putatque, hunc *Taurum* fuisse formosum adolescentulum, qui, quum Minos genitalibus aliquando laboraret, officiosum se præstiterit ejus conjugi. Heynius vero ad Virgilium, Æneid. VI, 26, suspicatur, fabulam ex noto Cretæ, Siciliæ et Italiæ emblemate ductam, quod figuram tauri cum capite viri barbati exhibuerit, sive id patrii fluvii signum fuerit, sive Solis. *Discors* ad duplicem Minotauri naturam referendum, pro quo vers. 156, *monstrum biforme*, et 169 ; *gemina figura*. *Discordem* autem, quod Heinsius nulla auctoritate in *dissortem* mutaverat, jure restituisse mihi videor : a Lucretio, V, 892, Centauris et Scyllæ *discordia membra* tribuuntur ; apud Senecam, Med. 773, *Typhæus discors*, quia corpori humano anguinei pedes additi. Etiam Sabinus, I, 35. MSS. omnes, *in uno corpore discors Parthenope*. Contra *dissors* foret, alius sortis, naturæ non humanæ.

134. *Inania*, quæ non audiuntur, *verba*, item vota irrita dicuntur *ferri a ventis* et *tradi ventis* : Tibullus, I, v, 35 ; III, IV, 96. Et hoc loco tanto aptius, quia loquitur ad naves, quæ agebantur a ventis.

» Præposuisse tibi : tu plus feritatis habebas.
» Me miseram ! properare juvat : divulsaque remis
» Unda sonat : mecum simul ah ! mea terra recedit.
» Nil agis, o frustra meritorum oblite meorum :
» Insequar invitum ; puppimque amplexa recurvam,
» Per freta longa trahar. » Vix dixerat ; insilit undas ;
Consequiturque rates, faciente Cupidine vires,
Gnosiacæque hæret comes invidiosa carinæ.
Quam pater ut vidit, nam jam pendebat in auras
Et modo factus erat fulvis haliæetos alis,
Ibat, ut hærentem rostro laniaret adunco.
Illa metu puppim dimittit : at aura cadentem
Sustinuisse levis, ne tangeret æquora, visa est.
Pluma fuit : plumis in avem mutata vocatur
Ciris ; et a tonso est hoc nomen adepta capillo.

138. *Divulsaque* ; plurimi, *divisaque* : Heinsius conjicit *diffisaque*.

139. *Ah !* est e Florentino Sancti Marci, priore Hamburgensi, primo Mediceo, Norico et duobus aliis. Plerique, *mecumque simul mea*. Alii aliter. Heinsius rescribit, *mecum sine me mea terra*, ut acumen insit, ut, XI, 701, *sine me me pontus habet*. Sed caveamus, ne Nostro acumina obtrudamus adeo, ubi sanior est. Codex Regius A, *mecumque simul mea* ; Codex B, *simul et*. — *Mea terra recedit*. Suaviter ex illusione optica, qua terra recedere nobis videtur, a qua naves abeunt celeri cursu. Conf. XI, 466 ; Æn. III, 72.

140. *Nil agit*, qui propositum suum non assequitur.—*Per freta* etc. Vide ad VII, 67.

142. *Undas* habent quidem nonnisi tertius Mediceus et tres alii ; sed *insilire*, incidere, etc. passim cum quarto casu : vide Heinsium.— Codex B, *undis* ; at in Codice A per vetustatem adeo deletus extremus versus ut distinguere nequimus an legendum sit *undis* vel *undas*. Ed. — *Faciente* etc. Confer IV, 527.

145. *Quam pater ut vidit*, etc. Nimis festinat ; non enim ostendit, cur Nisus sit mutatus. Nempe Jupiter, commotus ejus pietate, necatum in vitam revocavit, mutatoque corpore avem esse jussit, nempe *haliaeton*, id est, aquilam marinam. Aristoteles, Hist. Ann. IX ; Plinius, X, 3. — *Pendebat in auras*, avis erat. VI, 667 ; XI, 341. — *In auras* exquisitius, quam, in auris ; deest enim *sublatus* in auras, quod additur, VII, 354. — *Ire* sæpe de hostili impetu et incursu.—*Laniaret*. Regii nostri cum quibusdam aliis, *laceraret*.

148. *Aura sustinuisse*. Vide ad XI, 341. — *Pluma*, avis plumis velata.

151. *Ciris* quæ sit, disputatur. Hy-

II. Vota Jovi Minos taurorum corpora centum
Solvit, ut egressus ratibus Curetida terram
Contigit; et spoliis decorata est regia fixis.
Creverat opprobrium generis; fœdumque patebat
Matris adulterium, monstri novitate biformis.
Destinat hunc Minos thalamis removere pudorem,

gino *ciris* est piscis. Etym. M. Κίῤῥις ὁ ἰχθύς. Vide Munkerum ad Hyginum. Sed Virgilii Cir. vers. 489, ubi illa metamorphosis eleganter satis describitur, est avis versicolor, crista purpurea in capite, et cruribus rubentibus insignis, vitamque solitariam in locis desertis agens. — *A tonso capillo*, ἀπὸ τοῦ κείρειν dicta est *ciris*. Quæ autem avis intelligenda sit, non liquet. Alius intellexit genus accipitris, alius circum, alius rursus perdicem, alaudam, etc. Noster descriptionem ejus nullam dedit, nec mutationem ipsam more suo diligenter designavit, haud dubie propterea, quia auctor carminis Ciris illa egregie occupaverat.

152–182. *Ariadnes corona inter sidera.* Athenienses Minoi quotannis septenos pueros totidemque virgines tributi loco mittere cogebantur devorandos *Minotauro*, qui servabatur in *labyrintho*, a Dædalo exstructo. Tertia sors quum mitteretur, comitem se obtulit ipse *Theseus*. Interfecto Minotauro, ope fili, quod ab *Ariadna*, Minois filia, acceperat, se ex labyrinthi ambagibus evolvit. Ariadnen autem in insula *Dia* reliquit. Casus, quos ibi passa sit, varie narrantur. Vid. Homer. Od. Λ, 320; Plutarch. Thes. cap. 15; Hygin. fab. 42 et 43; Apollod. III, 1, 4. — Hecatomben Minos Jovi offert, cui ob victoriam et felicem reditum sacra fieri solebant. — *Vota* potest ut adjectivum accipi et cum *corpora* conjungi. Ita vers. 265, *votus sanguis*; VII, 162, *victima vota*. Sic *vota corpora solvit* βραχυλόγως dictum, corpora vota mactat, ut votum solvat. Possis autem et aliter interpretari; vota solvit, quæ quidem erant centum *corpora taurorum*, id est, tauri, e solemni periphrasi. *Corpora* habent præstantiores; cæteri, *sanguine*, quod olim edebatur.—Regii nostri habent *sanguine*, at Codex B, a secunda manu, perantiqua tamen; a prima habebat *corpora*. — *Curetis terra* antiquitus dicta est Creta a Curetibus. Plinius, IV, 12; Æneid. III, 131. — *Spolia*, hoc est, vestes et arma hostibus occisis detracta, in templis, *regiis* aut aliis locis conspicuis affigi solebant; quibus antiquitas venerationem et majestatem augebat: ea consumta refici non erat mos. Perizon. Animadv. histor. cap. 7.

155. *Opprobrium*, Minotaurus, qui opprobrio erat (Heroid. IV, 57), *crimen matris*) illi *generi*, jam adoleverat, et dum *monstrum* illud *biforme* in regia versans, *novitate*. inusitata sua forma et natura, omnibus spectaculo erat, *patebat* quotidie matris *adulterium fœdum*, id est, a natura humana abhorrens. Minos igitur *destinat*, constituit, vult, hunc *pudorem*, hoc monstrum, quod ei pudori erat (sic *pudor* et IX, 577), *removere* ab aula sua.

Multiplicique domo, cæcisque includere tectis.
Dædalus, ingenio fabræ celeberrimus artis,
Ponit opus; turbatque notas, et lumina flexum
Ducit in errorem variarum ambage viarum.
Non secus ac liquidus Phrygiis Mæandros in arvis

158. *Multiplicique domo.* etc. Ingeniosissima descriptio labyrinthi Cretensis, in qua ante oculos habuit Æneidem, V, 588 sqq. Confer et Catullum, LXI, 112; Plinium, XXXVI, 13; Diodorum, I, 61. Struxisse Dædalum hoc ædificium ad exemplar Ægyptiaci illius, sed centesimam tantum ejus partem imitatum esse, quæ itinerum ambages, occursusque et recursus inexplicabiles contineret, crebris foribus inditis ad fallendos occursus, redeundumque in errores eosdem, auctor est Plinius, dicto loco. Sed quum nemo Veterum hoc monumentum ipse viderit, neque Homerus, qui sæpe Cretam laudat, ejus mentionem fecerit, quum denique parum credibile sit, jam antiquissimis temporibus tale tantumque ædificium esse exstructum, non dubito accedere sententiæ Cedreni et Eustathii, quæ confirmata etiam est a *Tournefort, Voyage du Levant*, tom. I, p. 65: fuisse nempe labyrinthum illum nihil aliud, nisi speluncam subterraneam cum multis ambagibus, in qua ars adjuverit naturam. Confer. *Goguet, von Urspr. d. Gesetze*, tom. II, p. 185. — *Domus multiplex.* Apollodorus, dicto loco, οἴκημα καμπαῖς πολυπλόκοις πλανῶν τὴν ἔξοδον. — *Cæcis*, in quibus nullus prospectus. Virgilius, dicto loco, *cæcis parietibus.*

159. *Dædalus*, genere Atheniensis, ex iis unus qui *Erechthidæ* vocantur, adeo præclarus fuit architectus, ut et opera quædam miranda effecerit, et statuas quæ aspicere, ambulareque, et spirare videbantur, effinxerit; atque hinc *Dædalea* vocant Græci opera αὐτόματα: hoc est, quæ sponte sua moventur, aut vocem edunt. *Ed.* — *Fabra ars*, architectura. — *Ingenio artis*, iis, quæ ingeniose invenit in ea arte. Similiter prope Plinius, panegyr. XLIX, 7, *ingenia cœnarum*, ubi vide notas. — *Turbat notas*, scilicet viarum, confundit eas, non suas cuique dat notas, sed omnibus easdem. Hinc dignosci non poterant. Virgilius, dicto loco: *qua signa sequendi Falleret indeprensus et irremeabilis error.* — *Flexum*, pro vulgari *flexu*, e Florentino Sancti Marci, secundo Palatino, Neapolitano, Spirensi et tribus aliis dedit Heinsius: duo veteres, *flexa*, nempe, *ambage.* Regii nostri, *flexu.* — *Flexum* poetice, quia ipsi anfractus, *ambages*, flexi. Virgilius: *ipse dolos tecti ambagesque resolvit.*

162. *Liquidus Phrygiis* etc. Prior Twisdenii *liquidos Phrygius M. in arcus*; id est, arcuata curvamina, quod placet Heinsio. — Regius A, *liquidis Phrygius M. in undis*; quæ lectio elegantior mihi videtur. *Ed.* — De *Mæandri* lusibus vide ad II, 246; et confer. Seneca, Herc. fur. 683; Phœn. 605; Silius, VII, 139. Seneca, priore loco: *Qualis incertis vagus Mæander undis errat, ludit et cedit sibi, Instatque dubius, litus an fontem petat.* — *Ambiguo lapsu*;

Ludit; et ambiguo lapsu refluitque fluitque;
Occurrensque sibi venturas adspicit undas;
Et nunc ad fontes, nunc in mare versus apertum,
Incertas exercet aquas : ita Dædalus implet
Innumeras errore vias; vixque ipse reverti
Ad limen potuit : tanta est fallacia tecti!
Quo postquam tauri geminam juvenisque figuram
Clausit, et Actæo bis pastum sanguine monstrum
Tertia sors annis domuit, repetita novenis;
Utque ope virginea, nullis iterata priorum,

illud *ambiguum* explicat Seneca, dubium, litus an fontem petat. Mox eodem sensu, *incertæ aquæ*. — *Refluitque fluitque*, pro *fluitque refluitque*, ut versu 536, *refoventque foventque*; II, 409, *redit itque*.

164. *Adspicit*; Arundelianus, *prospicit*, non improbante Heinsio. — Nostri Regii, *adspicit*. — *Exercet*, fatigat, ut Virgil. Georg. III, 529, *exercita cursu flumina*: supra, I, 582, *fessæ erroribus* undæ. Hoc loco tanto aptius, quia per tot ambages decurrunt. — *Implet* etc., ita format vias, ut eas ingressi ubique errare cogantur. Verbo *implere* inest notio multitudinis. Tibullus, I, IV, 69, *ter centenas erroribus expleat urbes*. — *Tecti*; Gronov. conjicit *texti*.

169. *Quo postquam* etc. Noster Art. Amat. II, 23: *Dædalus ut clausit conceptum crimine matris Semibovemque virum semivirumque bovem*. Philochorus scripserat, labyrinthum fuisse custodiam, in qua servarentur pueri Athenienses, ut præmii loco tribuerentur iis, qui victoriam deportassent in ludis gymnicis. Eorum victorum principem fuisse Taurum quemdam, hominem crudelem, qui duriter satis habuerit pueros illos. Vid. Plutarch. d. l. — *Geminam*, ut II, 630. — *Sors*, sorte electi pueri puellæque; Plutarchus, in Theseo, 17. Virgilius, Æneid. VI, 22, *stat ductis sortibus urna*, ubi hæc ipsa res in valvis templi expressa describitur. — Ea *domuit*, ex iis unus interfecit, quo sensu *domare*, et I, 312; IX, 98. — *Novenis annis repetita* Glareanus interpretatur de vigesimo septimo anno; Regius, post novem annos, quia poetæ distributivis utuntur pro cardinalibus. Quotannis talem sortem esse missam in Cretam, plurimi auctores tradunt. Plutarchus, loco cit. 15, e consensu scriptorum tradit, fœdus iniisse Atticos, ut δι' ἐννέα ἐτῶν, per novem annos, tributum mitterent; et, cap. 17, hanc tertiam sortem vocat τρίτον δασμόν. — *Nullis iterata*. ad quam nemo rediit. Ib. 375: *Ut qui tecta, novi formam celantia monstri, Intrarunt cæcæ non redeunda domus*. Male Heinsius defendit *nulli superata*, quod a Spirensi acceperat; etenim *superatur janua* etiam ab iis qui intrant. Neapolitanus quoque et Mediceus secundus, *superata*. Regii nostri, *iterata*. Videatur insuper Bentleius ad Horatium, I,

Janua difficilis filo est inventa relecto;
Protinus Ægides, rapta Minoide, Dian
Vela dedit; comitemque suam crudelis in illo
Litore deseruit: desertæ, et multa querenti,
Amplexus et opem Liber tulit: utque perenni
Sidere clara foret, sumtam de fronte coronam
Immisit cælo: tenues volat illa per auras;
Dumque volat, gemmæ subitos vertuntur in ignes;
Consistuntque loco, specie remanente Coronæ,
Qui medius nixique genu est, anguemque tenentis.
III. Dædalus interea Creten, longumque perosus

Od. xxxiv, 5. — *Filo relecto.* Hygin. 42, *licium revolvendo foras est egressus;* a Plinio, xxxvi, 19, *glomus lini* vocatur.

174. *Dian*, pro *Diam*, secundus Palatinus et duo alii. Regii nostri ambo habent *Chiam*, cum glossa interlineari, *insulam.* — De *Dia*, vide ad III, 597. Apud Homerum, dicto loco, Diana detinet Ariadnen in insula Dia, Baccho sic volente, qui eam duxit uxorem. Confer. Hesiodus, Theog. 947; Noster, Heroid. II, 79; IV, 59; Plutarchus, Thes. cap. 20. Nimis rursus festinat, omittitque, me judice, non omittenda. Par enim erat, Ariadnen, ut partem fabulæ præcipuam, pluribus notare. — *Deseruit*, pro *destituit*, Heinsius e quinque MSS. assumsit, ut sit Ovidiana repetitio. Regii nostri, *destituit.*

178. *Sumtam de fronte coronam.* De Ariadnæ *corona* vide Hyginum, Poet. Astron. II, 5. *Corona* est sidus novem stellarum in orbe dispositarum, inter Engonasin et Ophiuchum, qui *anguem tenet* ambabus manibus. *Dotalem* illam *coronam* vocat Claudianus, X, 272; id est, a Baccho illi in dotem datam. Secundum alios ipsa Ariadne in cælum relata. Propertius, III, xv, 8, *Lyncibus in cælum vecta Ariadna.* Ita et Noster, III Fast. 507 sqq. Vide Bruchusium ad Propertii dictum locum. — *Subitos ignes.* Lovaniensis et unus Mediceus, *rutilos;* cæteri, *nitidos.* Hoc Noster quoque Regius B; Codex A, *subitos.* — *Nixique.* Argentinus et Moreti, *flexique.*

183–259. *Dædalus*, *Icarus* et *Perdix*. *Dædalus* Athenis ex regia stirpe ortus, occiso *Perdice*, sororis filio, in Cretam fugit ad Minoa. Sed et ibi capitis damnatus, e custodia aufugit cum *Icaro* filio, seque ad Cocalum, Siciliæ regem, contulit, cui eam ob causam bellum fecit Minos: Pausanias, Ach. p. 531. Sed Servius, ad Virgilii Æneid. VI, 14, e Sallustii libro II Historiarum, memorat, eum primum Sardiniam, post Cumas petiisse, ibique Apollini templum condidisse, sacratis ei alis. In foribus templi istius omnia ista argumenta, quæ hic legimus, expressa erant, quæ describit Virgilius dicto loco, quorum confer Silium, XII, 89–103. Totam fabulam

Exsilium, tractusque soli natalis amore,
Clausus erat pelago : « Terras licet, inquit, et undas
» Obstruat; at cælum certe patet; ibimus illac :
» Omnia possideat, non possidet aera Minos. »
Dixit; et ignotas animum dimittit in artes;
Naturamque novat : nam ponit in ordine pennas,
A minima cœptas, longam breviore sequenti;
Ut clivo crevisse putes : sic rustica quondam
Fistula disparibus paulatim surgit avenis.
Tum lino medias, et ceris adligat imas,

Noster narrat etiam Art. Amat. II, 21 sqq. Confer. et Hyginus, 40; Apollodorus, III, xv, 8, 9; et præ cæteris Diodorus, IV, 76, 79. Quod de *alis* Dædali traditur, id de velis intelligendum est, quæ primus invenit, et quibus adjutus secure per mediam Minois classem aufugit. *Velorum alas* dixit Virg. Æn. III, 520.

184. *Exsilium*, nempe damnatus erat ab Areopagitis propter cædem commissam. — *Tractus* Heinsius ex Mediceo accepit, et *soli* ex Leidensi; nam pro illo vulgabatur *tactus*, et Briant. habebat *captus*; pro hoc cæteri, *loci*. Nostri Regii, *tactus* et *soli*. — *Trahebatur* non a solo natali, ut Lenzius putabat, sed *amore*, quæ formula obvia. Neque tamen Dædalus in patriam rediit, sed in Siciliam se contulit. — *Terras.... Minos*. Similia fere verba, in Art. Amat. libro II, vers. 35 sqq.

188. *Animum dimittit*; Argent. *animum convertit*; quatuor, *divertit*. Heinsius conjicit *animo devertit*; Lovaniensis, *curam dimittit*. Noster A, *demisit*; Noster B, *dimisit*. — *Animum dimittit*, varia consilia agitat, ut ignotam effugiendi artem inveniat. Supra III, 381, *aciem partes dimisit in omnes*; Æneid. VI, 285 : *animum nunc huc celerem, nunc dividit illuc, In partesque rapit varias*; Senec. Ep. 24 : *In quamcumque partem rerum memoriam miseris*; Heroid. IV, 37 : *ignotas nitor in artes*. — *Naturam novat*, novas naturæ leges præscribit; fugam enim parabat *pennis non homini datis*, Horat. I, Od. III, 35; supra, IV, 279, *naturæ jure novato*; Amor. 42 : *Sint mihi naturæ jura novanda meæ*. Commode hoc de miraculorum auctoribus dici potest. — Heinsius malebat *naturamque novans, disponit*; quia in Bononiensi, *novam*.

190. *A minima cœptas*, etc. Rem tenuem ornate expressit. Quoniam a *minima* incepit, sequi debebat *breviorem longa sequente*, sed invertit hunc ordinem. — *Ut clivo* etc. His verbis frustra offendebatur Ciofanus : nempe in iis, quæ in clivo crescunt, sequentia eminent super inferiora. — De *rustica fistula* vide ad I, 711. Tibullus, II, v, 30 : *Fistula, cui semper decrescit arundinis ordo; Nam calamus cera jungitur usque minor*. — *Quondam* in similitudinibus idem quod, fere. — *Surgit*, fit altior. — *Mediæ* et *imæ*

Atque ita compositas parvo curvamine flectit,
Ut veras imitentur aves : puer Icarus una
Stabat ; et, ignarus sua se tractare pericla,
Ore renidenti, modo quas vaga moverat aura,
Captabat plumas ; flavam modo pollice ceram
Mollibat, lusuque suo mirabile patris
Impediebat opus : postquam manus ultima cœptis
Imposita est, geminas opifex libravit in alas
Ipse suum corpus ; motaque pependit in aura.
Instruit et natum ; « Medioque ut limite curras,
» Icare, ait, moneo : ne, si demissior ibis,
» Unda gravet pennas ; si celsior, ignis adurat.
» Inter utrumque vola : nec te spectare Booten,

sunt mediæ et imæ partes earumdem pennarum. Sic enim illa vocabula frequentantur : apud Phædrum, II, fab. IV, feles in *media* quercu parit, sus ad *imam* fœtum ponit ; et Noster, Art. Am. 46 sqq. : *Leve per lini vincula nectit opus : Imaque pars ceris adstringitur igne solutis.* — *Ut veras* etc., ut similes sint alis verarum avium. — *Imitentur*, exquisitius, quam, quod olim edebatur, *imitetur*.

196. *Stabat ; et, ignarus* etc. Lusus pueriles Icari jucunde notantur. — *Tractare*, manibus contingere, *sua pericula*, pennas et ceras, unde pater alas faciebat, mox filio perniciem allaturas. Similiter *pericula*, versu 331.— *Vaga*. mobilis aut mota. — *Moverat;* Heinsius suadebat *moverit*, et mox alium lusum Icaro tribuebat, quum *captabat* in *adflabat* vel *tractabat* mutari vellet. — Regii nostri ambo, *moverat* et *captabat*.— *Mollire ceram*, ut *mollire lanam*, eam reddere tenuem. Art. Amat. 49 sqq. : *Tractabat ceramque puer pennasque renidens, Nescius, hæc humeris arma parata suis.*

201. *Libravit*, suspendit ita, ut æquilibrium servaretur. Vide ad I, 13. Quanquam *librare* et eleganter de volantibus dicitur, qui corpus ita vel in aera tollunt, vel in alto sustinent. Virgilius, Georg. IV, 196, de apibus, *sese per inania nubila librant* : Noster, Art. Amat. 68, *Inque novum timide corpora librat iter ;* Amor. II, VI, 11, de avibus, *quæ liquido libratis in aere cursus ;* Silius, XII, 194, ex imitatione Nostri de Dædalo, *Suspensum hic librans media inter nubila corpus.*

203. *Currere* quum proprie dicatur navis, bene ad volatum translatum est. Volatus enim et navigatio solent a poetis inter se comparari. Virgilius, dicto loco, *enavit* de Dædalo volante. — *Instruit.* Art. Amat. II, 64, *Erudit infirmas ut sua mater aves.* Instruit autem fere, ut Phaethontem Phœbus, II, 126 sqq., ubi nonnulla his similia.

206. *Nec te spectare* etc. Fugiebat

» Aut Helicen jubeo, strictumve Orionis ensem.
» Me duce carpe viam. » Pariter præcepta volandi
Tradit; et ignotas humeris adcommodat alas.
Inter opus monitusque genæ maduere seniles;
Et patriæ tremuere manus: dedit oscula nato
Non iterum repetenda suo; pennisque levatus
Antevolat; comitique timet, velut ales, ab alto
Quæ teneram prolem produxit in aera nido,
Hortaturque sequi, damnosasque erudit artes,
Et movet ipse suas, et nati respicit alas.
Hos aliquis, tremula dum captat arundine pisces,
Aut pastor baculo, stivave innixus arator,
Vidit, et obstupuit; quique æthera carpere possent,
Credidit esse Deos: et jam Junonia læva
Parte Samos fuerant, Delosque, Parosque relictæ;

versus septemtriones, et spectabat sidera, tanquam nautæ. *Bootes*, *Helice* et *Orion* jam antiquissimis temporibus nota erant sidera, et diligenter observabantur a nautis. Non hoc urgendum in poeta, quod Bootæ apposuit, tanquam vicinum, *Oriona*. Etiam Art. Amat. 55: *Sed tibi nec virgo Tegeæa, comesque Bootæ, Ensiger Orion adspiciendus erit.* — *Accommodat*, ut *accommodare lateri ensem*. Art. Am. 65, *aptat opus puero*.

210. *Opus*; accommodatio alarum. Præclare ad commiserationem faciendam et *seni* et *patri*. Sic præmonet rursus lectorem de exitu rei. Expressit autem Virgilius, Æneid. VI, 32: *Bis conatus erat casus effingere in auro, Bis patriæ cecidere manus.* — Hoc loco alter Hamburgensis pro *tremuere* habet *cecidere*, sicut apud Virgilium. Nostri Regii habent *tremuere*. — *Velut ales*, etc. Præclara similitudo. Expressit Nostrum Valerius Flaccus, VII, 374. — *Producere* verbum delectum, sumtum ab iis, qui suos e domo ducunt in publicum. Burmannus e Leidensi et duobus aliis dedit *producit*. — *In aera*; Codex Regius A, *in aere*.

218. *Stivave*; vulgo *stivæve*; sed Heinsius e suis Codicibus dedit *stiva*, quia *innixus* et alibi cum ablativo, ut XV, 726. Ambo nostri Regii, *stiva*. — *Stiva*, lignum illud, qua arator apud Veteres aratrum flectebat.

219. *Obstupuit* fere, ut apud Attium pastor, qui primam navem videt. Cic. Nat. Deor. II, 35. Versus sunt præclari, sed apparet, eos studio esse arcessitos, et, tanquam peculiarem sententiam, interpositos.

221. *Samos* etc. Eædem fere insulæ, Art. Amat. 79-82. *Samos* in litore Asiæ minoris non potuit ei ad *lævam* esse. Ibi *Junonis* templum summa religione colebatur. Vide

Dextra Lebynthos erant, fecundaque melle Calymne:
Quum puer audaci cœpit gaudere volatu,
Deseruitque ducem, cælique cupidine tractus
Altius egit iter: rapidi vicinia Solis
Mollit odoratas, pennarum vincula, ceras.
Tabuerant ceræ: nudos quatit ille lacertos;
Remigioque carens non ullas percipit auras;
Oraque cærulea, patrium clamantia nomen,
Excipiuntur aqua, quæ nomen traxit ab illo.
At pater infelix, nec jam pater, « Icare, dixit,
» Icare, dixit, ubi es? qua te regione requiram?
» Icare! » dicebat: pennas conspexit in undis,
Devovitque suas artes, corpusque sepulcro
Condidit, et tellus a nomine dicta sepulti.
Hunc miseri tumulo ponentem corpora nati
Garrula ramosa prospexit ab ilice perdix;

Heroid. III, 60. — *Calymnium mel* laudatur a Strabone, X, p. 749. — *Cæli*, volandi per latum et profundum cælum. — *Tractus*. Regii nostri, *tactus* Vide jam variam lectionem in versu 184. *Ed.*

226. *Odoratas* ornat tantum, neque adeo Burmannum offendere debebat. — In *nudos quatit lacertos* Nasonismus est; jocatur enim rursus in re seria. — Auræ et *percipi* dicuntur et *concipi*. Vide ad XII, 569.

233. *Conspexit*. Regii nostri, *adspexit*. — *Et tellus*; iidem, *est tellus*.

236. *Hunc miseri* etc. Quæ inde a versu 183 præcedunt, nullam habent metamorphosin, sed quia aliam ob causam memorabilia reperiuntur, tanquam nexus causa intexta sunt. Metamorphosin, quæ Icari casum antecessit, nunc commode subjicit. Conferantur Diodorus, IV, 76; Apollodorus, III, xv, 9; Hyginus, fab. 39, 274; Servius, ad Virgilium, Georg. I, 143; Æneid. V, 14. — *Ponentem*, cineres condentem, quibus postea *tumulus* impositus. Reprehendit Burmannus poetam, quod perdicem ex arbore prospicientem fingat, quum hæc avis semper humi versetur, et in terra faciat cubilia. Neque hoc latuit Ovidium qui, versu 256, hanc avis indolem e Perdicis casu explicat. — *Plausus*, signum lætitiæ et approbationis, et bene hoc loco perdici tribuitur; nam etiam aves *plaudere* dicuntur, quum strepitum volando faciunt. XIV, 507. Perdicis *cantus* similis fere sono serræ lignum secantis. Hinc mythici scriptores serræ inventorem non temere in hanc avem mutasse videntur doct. *Buffon*, in Hist. Avium, tom. VI, n. 25.

Et plausit pennis, testataque gaudia cantu est:
Unica tunc volucris, nec visa prioribus annis,
Factaque nuper avis, longum tibi, Dædale, crimen:
Namque huic tradiderat, fatorum ignara, docendam
Progeniem germana suam, natalibus actis
Bis puerum senis, animi ad præcepta capacis.
Ille etiam medio spinas in pisce notatas
Traxit in exemplum; ferroque incidit acuto
Perpetuos dentes; et serræ repperit usum.
Primus et ex uno duo ferrea brachia nodo
Vinxit, ut, æquali spatio distantibus illis,
Altera pars staret; pars altera duceret orbem.
Dædalus invidit, sacraque ex arce Minervæ
Præcipitem mittit, lapsum mentitus: at illum,
Quæ favet ingeniis, excepit Pallas; avemque
Reddidit, et medio velavit in aere pennis.
Sed vigor ingenii quondam velocis, in alas

Potius Perdicis nomen ſabulæ originem dedisse videtur. Vide vs. 255.

240. *Longum crimen*, quæ semper tibi cædem perpetratam objicit. — *Germana* ab Apollodoro *Perdix* et *progenies Talus* vocatur: sic et Diodorus; sed e versu 255 apparet, Nostrum cum Hygino, Fulgentio et Servio secutum esse eos, qui Perdicis nomen filio tribuerent. Vide Munkerum ad Hygini ſabul. 39. Eum Dædali μαθητὴν vocat etiam Apollodorus, eique dat εὐφυΐαν, præclarum ingenium. — *Ad præcepta capacis*; multi, *rapacis*, quod adblanditur Heinsio, quia mox *ingenium velox* ei tribuitur. Dubitat Burmannus an *rapax ad* recte dicatur, quum *capax* sæpe ita construi soleat. Male. *Ad* tunc est, quoad. — Regii nostri habent *capacis*. Equidem Cicero, Tusc. III, 5, *mentis ad omnia capacitas*.

244. *Spinas in pisce*. Sic et Hyginus; sed secundum Diodorum et Hyginum, mandibula serpentis dentibus aspera ei causa ſuit serram inveniendi. Herbam serratam originem serræ dedisse, alii tradebant. Plinius, XXIV, 15. Eodem auctore illa laus debetur ipsi Dædalo; VII, 56 s. 57. — *Traxit in exemplum*, imitatus est Claudian. Stilich. II, 117: corruptum ævum te non *traxit ad exemplum*. — *Perpetuos*, una serie procurrentes. — *Serræ usus*, ipsa serra. Vide ad I, 408. — *Ferrea brachia* etc., circini descriptio egregia. — *Nodus*, id, quo cohærent res scissæ.

250. *Invidit*. Hyginus, *propter artificii invidiam, quod is primum ser-*

Inque pedes abiit : nomen, quod et ante, remansit.
Non tamen hæc alte volucris sua corpora tollit,
Nec facit in ramis altoque cacumine nidos ;
Propter humum volitat, ponitque in sepibus ova ;
Antiquique memor metuit sublimia casus.
IV. Jamque fatigatum tellus Ætnæa tenebat
Dædalon : et sumtis pro supplice Cocalus armis
Mitis habebatur : jam lamentabile Athenæ
Pendere desierant, Thesea laude, tributum.

ram invenerat. Apollodorus, δείσας, μὴ διὰ τὴν εὐφυΐαν αὐτὸν ὑπερβάλῃ· *ex arce*, ἀπὸ τῆς ἀκροπόλεως. — Pro *favet* Arundelianus *facit*, quod Heinsius illustrat.

258. *Ponitque in sepibus ova*. Plinius, X, 32 : *Perdices spina et frutice sic muniunt receptaculum, ut contra feras abunde vallentur*, et sqq. — *Antiquique*, etc. Similis sententia, II, 378.

260–545. *Œneus*, Parthaonis filius, Ætoliæ rex, cujus urbs *Calydon*, quum Dianæ cultum neglexisset, illa terris ejus vastum *aprum* immisit, qui segetes vastaret, pecudesque trucidaret. Ad eum interficiendum concurrerunt ex multis Græciæ civitatibus viri fortissimi, in quibus erat etiam *Atalanta*, virgo Arcadica, cujus amore arsit *Meleager*, Œnei filius. Post acerrimam pugnam aper interficitur a Meleagro, qui *exuvias* et *dentes* Atalantæ donat, quæ prima aprum violaverat. *Althæa*, mater Meleagri, duos habebat fratres, *Plexippum* et *Toxea*, qui venationi interfuerant. Ii quum invidia tacti Atalantæ eriperent victoriæ signa, Meleager eos interficit. At mater, ut fratrum cædem accipit, *stipitem* fatalem, in quo vita Meleagri continebatur, flammis comburit, quo consumto Meleager exstinguitur ; *sorores* autem ejus interitum flentes, in aves *meleagrides* mutantur. Fabula satis celebrata a scriptoribus antiquis. Confer. Homerus, Il. I, 529 ; Callimachus, hymn. Dian. 216 ; Diodorus, IV, p. 240 ; Apollodorus, I, VIII, 2 ; III, IX, 2 ; Hyginus, fab. 171–174 ; Pausanias, Arcad. p. 692 ; Antoninus, 2, ex Nicandro. Etiam Pherecydes et Euphorion narraverant fabulam, tum Euripides in Meleagro tractaverat, unde non nisi pauca fragmenta supersunt, quæ habes in Valkenar. Diatr. p. 137 sqq. Eam fabulam latinam fecerat Attius. In prima mythi parte usque ad versum 300, Noster Homerum sequitur, et singula, quæ ille breviter memorat, suo modo exornat. Transit autem ad sqq. per *Thesei laudes*. — *Jamque.... habebatur*. Vide ad versum 183. — *Fatigatum* vel volatu, vel luctu et ærumnis, ut IV, 563, Cadmus *luctu serieque malorum victus*. — *Armis* contra Minoa, qui Dædalum sibi deposcebat. — *Mitis habebatur*, commiseratione Dædali tactus eum in tutelam receperat : *habebatur* pro vulgari, erat.

263. *Laude*, virtute Thesei gloriosa. In antiquissimis donariis, læ-

Templa coronantur; bellatricemque Minervam
Cum Jove, Disque vocant aliis : quos sanguine voto,
Muneribusque datis, et acerris turis honorant.
Sparserat Argolicas nomen vaga Fama per urbes
Theseos : et populi, quos dives Achaia cepit,
Hujus opem magnis imploravere periclis :
Hujus opem Calydon, quamvis Meleagron haberet,
Sollicita supplex petiit prece : causa petendi
Sus erat, infestæ famulus vindexque Dianæ.
Œnea namque ferunt, pleni successibus anni
Primitias, frugem Cereri, sua vina Lyæo,

titiæ et grati animi signis, erant *coronæ*, quibus super postibus suspensis *templa* ornabantur. Æn. II, 249, *delubra festa velare fronde*. — *Vocant*, invocant, invitant ad sacra, e ritu et formula solemni, de qua Burmannus ad X, 3. Infra, versu 580, plenius *ad sacra vocare*. — *Quos* etc. De triplici hoc honorum genere confer VII, 159 sqq. — *Munera*, donaria, ἀναθήματα, quæ titulo aliquo insignita in templis vel suspendebantur, vel reponebantur. — *Acerra turis*, tus; continens pro contento. Forte alicui e MSS. tribus et viginti magis placeat *acervis*, ut multitudo turis accensi indicetur. IV, 758, *largis satiantur odoribus ignes*; VII, 160, *congestaque flamma Tura liquefiunt*: sed et Æn. V, 745, *plena supplex veneratur acerra*. Ceterum *ture* illis temporibus nondum venerabantur Deos. — Pro *adorant*, quod dederat Heinsius e pluribus MSS., revocavi *honorant*. Etenim *honorare Deos templis, aris, victimis* formulæ solemnes apud Græcos et Latinos. Ipsa sacra eleganter *honores* dicuntur. Mox versu 280, Diana se *inhonoratam* vocat. Regii nostri habent *adorant*.

267. *Spargere nomen*, ut *spargere rumores*. — *Vaga* eam ipsam ob causam, quod late spargit rumores et nomina. — *Dives*, scilicet, populorum. Multi illi, quos *Achaia*, Græcia, *cepit*, habet, populi eum imploravere. Id verum est. Inde proverbium, οὐκ ἄνευ γε Θησέως, quo omnium rerum societas indicabatur. Zenob. V, 33. — *Calydon*, Olenos, Pleuron, urbes Ætoliæ celeberrimæ. — *Quamvis Meleagron*; sic satis et Thesea et Meleagron laudat simul.

271. *Causa petendi Sus* etc. Sequitur perspicua, accurata, multisque luminibus exornata narratio. — *Infestæ*; Langermannianus, *incultæ*, neglectæ. — *Famulus*, per quem Diana vindictam exercebat. Etiam Dii minores, quorum ministeriis superiores utebantur, horum *famuli* dicuntur. — *Successus anni*, fertilitas. — *Plenus*, frugibus abundans. Vulgo (sicuti et nostris Codicibus Regiis) editur *plenis*, quod dictum, ut Pont. IV, VII, 17, *pleni*

Palladios flavæ latices libasse Minervæ.
Cœptus ab agricolis Superos pervenit ad omnes
Invidiosus honos : solas sine ture relictas
Præteritæ cessasse ferunt Letoidos aras.
Tangit et ira Deos : « At non impune feremus ;
» Quæque inhonoratæ, non et dicemur inultæ ; »
Inquit : et Œneos ultorem spreta per agros
Misit aprum : quanto majores herbida tauros
Non habet Epiros ; sed habent Sicula arva minores.

fructus, plurimi. Vide ad X, 290. — *Palladios latices*, oleum. Euripides : Οὗτος ποτ', ἐκ γῆς πολύμετρον λαβὼν στάχυν Θύων ἀπαρχὰς οὐκ ἔθυσε παρθένῳ Ἀρτέμιδι. Ea sacra vocat Homerus, versu 530, θαλύσια, ubi vide Schol. Lips. in not. Ern.

276. *Agricolæ*, Dii rustici, in quibus Minerva propter oleum etiam a Virgilio, Georg. I, 18, numeratur. Tibullus, I, 1, 14 : *quodcumque mihi pomum novus educat annus, Libatum agricolæ ponitur ante Deo.* — *Invidiosus*, qui invidiam creat, aut qui cum invidia expetitur a pluribus. IV, 794, *spes invidiosa procorum.* VI Fast. 63, *invidiosus honor.* Sed longe plurimi scripti, *ambitiosus*, non minus eleganter. *Ambitiosa* enim quæ studiose affectantur, ut gratia et auctoritate valere videaris. *Invidiosus* ex Neapolitano et secundo Mediceo Heinsius dedit, improbante Schirachio. — Noster B, *ambitiosus.* — *Solas .... aras*. Hom. versu 532, οἴῃ δ' οὐκ ἔρρεξε Διὸς κούρῃ. Hoc Noster verbis nimium fere cumulatis expressit. — *Cessare*, otiosum stare. Sic *ager cessans*, Virg. Georg. I, 71. — *Præteritur*, cui denegatur aliquid. Ergo *præterita* eadem quæ *inhonorata.* Apud Apollodorum causa cessationis fuit oblivio, μόνης Ἀρτέμιδος ἐξελάθετο. Dubiam relinquit Homerus. Postea, forte hoc malo inducti, Calydonii Dianam cognomine Laphrian fecere patronam suam. Pausanias, Messen. p. 357.

279. *At* sic ponitur in principio minarum, increpationis, admirationis. Vide XII, 367. — Adjectivum *Œneus* habent et alii, quos Heinsius et Burmannus laudant. Homerus, Οἰνῆος ἀλωήν. — *Inquit* in fine orationis.

282. *Quanto majores* etc. Excellentissima horrendi monstri descriptio hinc incipit. Atqui talis tantusque esse debebat aper, ad quem tollendum totius Græciæ principes concurrebant. Homerus breviter, σῦν ἄγριον, ἀργιόδοντα, Ὃς κακὰ πόλλ' ἔρδεσκεν. Apollodorus, Κάπρον ἐξοχον μεγέθει τε καὶ ῥώμῃ vocat. Confer. cum hoc loco lupi descriptio, XI, 365 sqq. — *Non habet* etc. Debebat dicere, neque Epiros, neque Sicula arva habent ; sed variavit orationem. Plinius, VIII, 45 : *In nostro orbe Epiroticis (bubus) laus maxima, a Pyrrhi, ut ferunt, jam inde regis cura. Id consecutus est, non ante quadrimatum ad partus vocando. Prægrandes itaque fuere ; et hodieque reliquæ stirpium durant.* — *Sed* Gla-

Sanguine et igne micant oculi; riget ardua cervix;
Et setæ densis similes hastilibus horrent;
Stantque velut vallum, velut alta hastilia, setæ:
Fervida cum rauco latos stridore per armos
Spuma fluit: dentes æquantur dentibus Indis:
Fulmen ab ore venit; frondes adflatibus ardent.
Is modo crescenti segetes proculcat in herba:

reanus, pro *et*, positum accipit. Lovaniensis habet *et*, non male.—Regii nostri, *sed*.

284. *Sanguine*, scilicet, suffusi, quia oculi igne rubescunt: XI, 368, *rubra suffusus lumina flamma*; Æn. II, 210, *Ardentesque oculos suffecti sanguine et igni.*—*Riget ardua*, recta eminet, ut XI, 156, *riget arduus Tmolus.* — *Ardua* e Francofurtensi dedit Burmannus, quia ardua cervix obvia apud poetas.—Regii nostri habent *horrida*, quod prætulerim propter ea quæ proxime dicet cl. *Gierig.* Ed. — Apri non habent cervicem erectam, sed pronam. Itaque prætulerim, quod præter unum MSS. omnes habent, *riget horrida*, ut dura, immobilis cervix indicetur, setis eminentibus. Aut *rigere* naturam setarum exprimit: vers. 428, *rigidis horrentia setis*. Hoc sumto versus proximus delendus.

285. *Et setæ densis* etc. Hujus et sequentis alterutrum versum delendum esse, apparet. Priorem improbat Heinsius, posteriorem Burm. Gronov. Obs. III, 18, conj. *vallus* vel *valli.* — Regius A versum 285 respuit. — Si hæc tuemur, *vallum* e conject. Gronovii in *valli* mutandum. Forte ambo versus delendi. — *Spuma* sæpe feris iratis tribuitur. Sed Noster eam facit *fervidam* et *rauco stridore* defluentem. Satis terribiliter.—*Æquantur*, non candore (quanquam Homerus *candidos* ejus dentes memorat), sed magnitudine; non enim laudare vult ferum, sed horribilem describere. Infra, versu 429, *magnis insignia dentibus ora.* —*Indus*, Indicus, ut *Maurus*, Mauricus, etc. — De *fulmine* apri vide ad I, 305; *fulmineum os* est II Fast. 232. Nunc possis flammam e pectore spirantem intelligere e versu 356. Ea *ardebant frondes*. Ante oculos Noster locum Apuleii Metamorph. VIII, in descriptione apri, habuisse videtur.

290. *Is modo crescenti*; olim *crescentes*: Heinsius de suo, *crescenti*; posse tamen etiam legi *crescentes segetem proculcat in herbas*; nam *herbas* esse in nonnullis. — Regii nostri, *crescentes* ..... *in herba*. — Homerus non nisi arbores altas cum radicibus et floribus excisas, hominesque multos trucidatos breviter memorat. Confer Apollodorum, ubi τὴν γῆν ἄκαρπον ἐτίθει etc. — *Crescenti in herba*, teneram segetem. Sic *tenera in herba*, Virgilius, Georg. I, 112; et *primis in herbis*, Noster, V, 482. — Non bene Heinsius præferebat, *Non* vel *nec matura*, eam quidem ob causam, quod leve fuerit damnum, si matura. Rectius multo Burmannus: « *Nunc matura* retinui, quia major et præsentior dolor, si jam matura, quæ tempestates et calamitates evasisse videntur, fru-

Nunc matura metit fleturi vota coloni;
Et Cererem in spicis intercipit: area frustra,
Et frustra exspectant promissas horrea messes.
Sternuntur gravidi longo cum palmite fœtus,
Baccaque cum ramis semper frondentis olivæ.
Sævit et in pecudes; non has pastorve canesve,
Non armenta truces possunt defendere tauri.
Diffugiunt populi, nec se, nisi mœnibus urbis,
Esse putant tutos; donec Meleagros, et una
Lecta manus juvenum coiere cupidine laudis.

menta vastet et metat aper, et ita longi labor irritus anni pereat. Præterea bis idem diceret; nam versus præcedens agit de crescentibus et adhuc immaturis, nunc de segetibus maturis, et jam spicas plenas ostendentibus, ut fere *Cererem*, id est, panem ferant. Nam hoc volunt illa, *Et Cererem in spicis intercipit.* » — *Matura metit*, quod verbum cum delectu positum et bene convenit alteri *intercipit*. *Metere* autem etiam pro amputare ponitur. V, 104. Male Burman. *premit* præfert, quod accepit e Leidensi; et minime ab indocto librario profectum esse credit, sed *metit* glossam esse, qua reconditæ significationis verbum aliquis explicuerit. *Premere* enim in re rustica verbum proprium pro amputare, abscindere, ait. Sed huic verbo, quum amputare significat, *falce* addi solet, neque de messoribus usurpatur, sed de vinitoribus et hortulanis. — *Vota coloni*, ut I, 272. — *Intercipit*. Burmannus hunc locum ita explicat: « Quæ scilicet debebantur areæ, et horreo et pistori, qui in farinam redigeret, sus sibi vindicat. » *Intercipere* verbum elegans, ante capere, quam ad dominum, locum, usum destinatum veniat. Terent. Eun. I, 1, 35: *Nam quod nos capere oportet, hæc intercipit.* Hic quoque modum servare nescivit; itaque subjecit illa, *area* etc. Quanquam suavi metaphora areæ *exspectatio* et agris *promissio* tribuitur: in tanta calamitate non curat lector scire, qui sensus horreorum fuerint. Plinius, Panegyr. 81, hanc ipsam forte venationem respiciens, *submotam campis irruptionem ferarum et obsidione liberatum agrestium laborem* memorat.

294. *Sternuntur* succulentæ uvæ cum vitibus. — *Pecudes*, greges nam opponitur *armentis*. — *Canesve*. Regii nostri, *canisve*.

298. *Nec se, nisi mœnibus*. Regii nostri habent *nec se in mœnibus*, quam lection. pæne prætulerim. *Ed.*

300. *Lecta manus*. Callimachus, ἐπίκλητοι ἀγρευτῆρες; Apollodorus, τοὺς ἀρίστους ἐκ τῆς Ἑλλάδος πάντας; Homerus, vers. 539, Μελέαγρος, Πολλέων ἐκ πολίων θηρήτορας ἄνδρας ἀγείρας Καὶ κύνας. Confer. Callimachus, vers. 218. Plerique fere omnes interfuerant navigationi Colchicæ; nam tempore posterior fuit hæc venatio,

Tyndaridæ gemini, spectatus cæstibus alter,
Alter equo; primæque ratis molitor Iason;
Et cum Pirithoo, felix concordia, Theseus;
Et duo Thestiadæ, prolesque Aphareia Lynceus,
Et velox Idas, et jam non femina Cæneus,
Leucippusque ferox, jaculoque insignis Acastus,
Hippotoosque, Dryasque, et cretus Amyntore Phœnix,
Actoridæque pares, et missus ab Elide Phyleus:
Nec Telamon aberat, magnive creator Achillis;
Cumque Pheretiade, et Hyanteo Iolao,

ut intelligendum e Pausania, Arcad. p. 606. Antiquissimis illis temporibus, quibus fortitudo una esset virtus, qua excellere laudi duceretur, tali occasione confluere undique solebant, qui fortitudinis gloriam appeterent. Nomina horum *lectorum juvenum* habent etiam Hyginus, fab. 173, et Apollodorus; quanquam hic plura omittit, ille alia nonnulla substituit. Principes eorum spectabantur depicti in tabula apud Tegeatas: Pausanias, Arcad. p. 693. Apud Euripidem nuntius inducebatur describens, quo quisque habitu ex istis ducibus fuerit: Macrob. Saturn. V, 18, ubi versus quosdam ex illa scena servavit. — *Coiere.* Regii nostri, *caluere.*

301. *Tyndaridæ gemini.* Castor et Pollux, gemelli Tyndari filii, ac Ledæ putati, quum essent Jovis, quorum *alter cæstibus*, Pollux fuit pugil inclytus, πὺξ ἀγαθός; *alter equo*, Castor equorum domitor, ἱππόδαμος: vide Homerum, Iliad. Γ, 237. *Spectatus cæstibus alter. Alter equo;* Regius noster A, *præstantes, cæstibus alter, alter equo;* B idem quod Vulgata habet, et præterea per glossam superscriptum *præstantes.* Ed. — De *prima* Jasonis *rate*, vide ad VI libri finem. — *Molitor,* suasor et auctor, sive fabricator.

303. *Thesei* cum *Pirithoo*, Ixionis filio, Larissæo, amicitia celebrata a multis: Horatius, IV, Od. VII, 25; Noster, Trist. I, 8; et infra, XII, 229; Hyginus, fab. 79. — *Concordia;* virtutes pro ipsis hominibus poni solent. XII, 178, Nestor *prudentia.* — *Duo Thestiadæ*, Plexippus et Toxeus, Thestii filii, Althææ fratres. A Pausania, p. 693, vocantur Prothous et Cometes. A Lactantio in argumento additur tertius Agenor. Aliter rursus Apollodorus et Hyginus, fab. 173, ubi vide Munkerum. — *Lynceus* et *Idas*, Messenii, Apharei filii. Pausanias, Messen. p. 283 sqq.; Apollon. Rhodius, I, 151, ubi ὑπέρβιος Ἴδας. — *Cæneus*, Elati filius, Magnesius, quem ab initio feminam fuisse nonnulli dicebant, sed a Neptuno impetraverat, ut et vir esset, et nullo ictu vulnerari posset. Hyg. fab. 14.

308. *Actoridæ*, Eurytus et Cteatus, Actoris filii, Phthii. — *Pheretiades*, Admetus, Pheretis filius, Pheris oriundus. — *Iolaus*, notus Herculis socius. — *Hyanteus*, Bœotius.

Impiger Eurytion, et cursu invictus Echion,
Naryciusque Lelex, Panopeusque, Hyleusque, feroxque
Hippasus, et primis etiamnum Nestor in armis:
Et quos Hippocoon antiquis misit Amyclis;
Penelopesque socer, cum Parrhasio Ancæo;
Ampycidesque sagax, et adhuc a conjuge tutus
Œclides; nemorisque decus Tegeæa Lycei.
Rasilis huic summam mordebat fibula vestem;

312. *Naryx*, urbs Locrorum, qui a Lelege Leleges olim appellati. Plinius, IV, 7.—*Etiamnum*. Codex A, *etiam tunc;* Codex B, *etiam nunc*. —*Armis* e MSS. dedit Heinsius pro *annis* (quod habent nostri Regii). — *Primis in armis;* vide ad XII, 183. — *Hippocoon* miserat filios suos, Eræsimum, Alconem et Dexippum. — *Amiclæ*, urbs antiqua Laconiæ.

315. *Penelopes socer*, Laertes, Ulyssis pater. — *Ancæus*, Lycurgi filius. — *Parrhasius*, Arcas. — *Ampycides*, Mopsus, Ampyci filius, augur et vates. XII, 455. — *Sagax;* confer V, 146.—*Œclides*, Amphiaraus, Œclei filius, vaticinandi et ipse peritissimus, quem Eriphyla uxor prodidit Adrasto, bellum Thebanis moventi. Hyginus, fab. 128; confer Euripidem, Phœn. 175 sqq.

317. *Tegæa*, oppido Arcadiæ, *Tegeæa* dicta, sed infra, versu 426, *Nonacrina*, et Heroid. IV, 99, *Mænalia*. Hic intellige *Atalanta*. Juvenes, ne nudum nominum catalogum apponeret, notavit quidem et ipsos, sed breviter. Atalantam vero, ut nobilem in mythis, et feminam, et felicem jactu, et spolia deportantem merito copiosius descripsit. Duas autem hujus nominis virgines antiquitas habuit, Arcadicam hanc, Bœoticam alteram, quæ fere confunduntur a scriptoribus antiquis, ut jam monuit Apollodorus, III, IX, 2. Arcadica fuit Jasi, Jasionis aut Jasonis filia : Bœotica Schœnei. Fata hujus Atalantæ, Jasi filiæ, formam, antrum, studium venandi, etc. copiose describit Ælianus, Var. Hist. XIII, 1. In Marmore quodam apud Sponium, in Miscel. p. 312, comparet inter reliquos hujus apri venatores, et quidem eo habitu, quo eam describit aprum cum Meleagro venantem Philostrat. Icon. p. 868; unde eam exprimendam curavit Spanhem. ad Callimachum, hymn. Dian. vers. 216. — *Nemoris decus*, quia et forma erat insignis, et venatrix præstantissima.

318. *Rasilia* opera, quæ in laminas diducta et levigata sunt, id quod faciebant *rasores*, de quibus vid. Salmasius, Exercit. Plin. p. 736. —*Summam;* Urbinas, Neapolitanus, secundus Mediceus, *primam*, quod arrideret Heinsio nisi præcessisset, vers. 313, *primis*. Sed hæc respuendi lectionem causa nulla est. — Nostri Regii, *summam*. — *Summam vestem* Lenzius intelligit altius, more venantium, subtractam, quam fibula tenuerit. — *Fibula mordebat* vestem, eleganter, collectam continebat. Aculeus enim fibulæ est quasi dens. Fibulis vestis vel in humeris,

Crinis erat simplex, nodum collectus in unum:
Ex humero pendens resonabat eburnea lævo
Telorum custos; arcum quoque læva tenebat.
Talis erat cultus; facies, quam dicere vere
Virgineam in puero, puerilem in virgine possis.
Hanc pariter vidit, pariter Calydonius heros
Optavit, renuente Deo, flammasque latentes
Hausit: et, « O felix, si quem dignabitur, inquit,
» Ista virum! » nec plura sinunt tempusque, pudorque
Dicere: majus opus magni certaminis urget.
Silva frequens trabibus, quam nulla ceciderat ætas,
Incipit a plano, devexaque prospicit arva:
Quo postquam venere viri, pars retia tendunt:
Vincula pars adimunt canibus: pars pressa sequuntur

vel circa pectus constringebatur. Illæ dicebantur *κιρόναι*, hæ, *κόρυαι*. Ælianus, dicto loco, ei tribuit *στολὴν ἀπεμάγμενα καὶ τοιαύτην, οἷαν μὴ ἀποδεῖν τῆς Ἀρτέμιδος*. — *Crinis simplex*, cultus capillorum simplex. Ope fasciæ colligebantur in *nodum* atque *nodari* dicebantur. Auctore Apollodoro, *θηρεύουσα ἐν ἐρημίᾳ καθωπλισμένη διετέλει*. Hinc *ex humero* etc. — *Custodes* rerum dicuntur vasa, quæ illas continent; XIII, 703, acerra *custos turis*.

322. *Talis erat cultus; facies*; Regius A, *Talis erat facies cultu*; Codex B, *Talis erat cultu facies*; quibus lectionibus data sicuti simplicior ac verior anteponenda. *Ed.* — *Facies* media erat inter puerilem et virgineam, qualis decebat virginem venatricem; confer IX, 712. Ælianus ei tribuit insignem pulchritudinem et fulgorem oculorum, qui perstringeret intuentes, et perturbaret ignavos homines.

324. *Hanc pariter vidit*, etc. Præclare notat herois mores, cui gloria e monstro interfecto potior esse debebat. Neque plane omittendus erat hic amor, propter ea, quæ inde a versu 426, sequuntur. Simul hæc valent ad commendandam Atalantæ vel pulchritudinem vel dignitatem. — *Opus certaminis* fere dictum, ut *certamen pugnæ*, XII, 180.

329. *Silva frequens* etc. Locus, ubi aper commorabatur, et unde primus impetus. — *Quam nulla ceciderat ætas*: alibi nemoris indicat sanctitatem, hic densitatem. — Post *incipit a plano* sequi debebat, surgit in monte aut clivo molliter adscendente; sed exquisite pro eo, *devexa prospicit arva*: *devexa*, loca supina, paulatim descendentia ad planum: *prospiciunt* loca, unde prospectus in inferiora.

332. *Vincula*, funiculi, quibus ducebantur canes ad venationem. — *Adimunt* verbum in hac re pro-

Signa pedum; cupiuntque suum reperire periclum.
Concava vallis erat, qua se demittere rivi
Adsuerant pluvialis aquæ : tenet ima lacunæ
Lenta salix, ulvæque leves, juncique palustres,
Viminaque, et longa parvæ sub arundine cannæ.
Hinc aper excitus medios violentus in hostes
Fertur, ut excussis elisi nubibus ignes :
Sternitur incursu nemus, et propulsa fragorem
Silva dat : exclamant juvenes, prætentaque forti
Tela tenent dextra, lato vibrantia ferro.
Ille ruit; spargitque canes, ut quisque ruenti
Obstat, et obliquo latrantes dissipat ictu.

prium. Confer VII, 769.—*Pressa*, impressa; XI, 31, *presso vomere*.

334. *Concava vallis* etc. Tam diligenter singula describit, ut ipse interesse huic venationi tibi videaris. *Concava*, undique cincta montibus. — *Ima*, margo. — *Ulvæque leves, juncique palustres*; Heinsius, ad XIV, 103, legit, *juncique leves, ulvæque palustres*. Regii nostri nihil mutant. — *Cannæ* breviores sunt *arundine*. Columella, IV, 32, *gracilis et cannæ similis arundo*.

338. *Hinc aper excitus* etc. Venatio ipsa, in qua maxima varietas in describendis jactibus singulis venantium atque motibus apri observata; in qua phantasiam poetæ admirari licet, quanquam non ipse omnes illos jactus finxisse videtur; nonnullos enim et Apollodorus commemorat. Notandum etiam est, venantes veluti in acie constitisse, vers. 360, atque singulos ordine tela misisse, qui ordo interrumpitur, ubi invidia Atalantæ reliquos tangit, versu 389. — *Fertur*, ut fulgor. Sed hoc docte et ex opinione veterum physicorum expressit, de qua ad XI, 436. — *Excussæ*, concussæ, concurrentes cum ventis. VI, 696: *Exsiliunt cavis elisi nubibus ignes*. — *Elisi ignes*, fulgor. Miror, pluralem displicuisse Schirachio qui putat, aprum non bene cum pluribus ignibus comparari, et præferebat, quod olim edebatur, *elisus ignis*. At nulla fere in poetarum carminibus pagina est, in qua non pluralis positus sit pro singulari. — *Incursus*, impetus feri. Virgil. Æneid. VII, 676: *dat euntibus ingens Silva locum, et magno cedunt virgulta fragore*. Confer infra, XI, 365.—*Prætendi* dicuntur venabula, quum iis excipitur irruens fera. *Prætenta tenent*, prætendunt.—*Vibrantia ferro* exquisitius, quam, habentia ferrum, quia venabula, dum moventur, *vibrare* dicuntur.

343. *Ruenti*, pro *furenti* (quod habent nostri Regii), ex Bononiensi dedit Heinsius, ut sit concinna repetitio. Eidem mox ex Gronoviano placet *occupat ictu*, pro *dissipat ictu*. Regii nostri, *dissipat*.—*Obliquo ictu*;

Cuspis Echionio primum contorta lacerto
Vana fuit, truncoque dedit leve vulnus acerno.
Proxima, si nimiis mittentis viribus usa
Non foret, in tergo visa est hæsura petito:
Longius ît: auctor teli Pagasæus Iason.
« Phœbe, ait Ampycides, si te coluique coloque,
» Da mihi, quod petitur, certo contingere telo. »
Qua potuit precibus Deus adnuit: ictus ab illo,
Sed sine vulnere, aper: ferrum Diana volanti
Abstulerat jaculo; lignum sine acumine venit.
Ira feri mota est; nec fulmine lenius arsit:
Lux micat ex oculis, spiratque e pectore flamma.
Utque volat moles, adducto concita nervo,
Quum petit aut muros, aut plenas milite turres;

apri enim in obliquum solent ferire.

349. *Auctor teli*, qui mittit telum, ut Virgilius, Æn. IX, 420. Regius noster A minus bene habet *lator teli*. Ed.

350. *Ampycides*. Palatinus, Cantabr. Oxoniensis, Arundelianus, aliique plurimi, *Œclides*; æque bene; nam etiam Amphiaraus sacerdos Phœbi: ideo hunc invocat. Euripid. apud Hermogen. p. 564, ὦ Ζεῦ, γένοιτο καταβαλεῖν τὴν σῦν ἐμέ. Et passim occurrunt tales preces inter pugnandum, ut Æn. XI, 785. —*Si te colui* solemne in sacerdotum precibus. Homer. Il. A, 39 sqq. In his *colere* est, sacra adolere. — *Da mihi*. Vide ad I, 486. — *Certum*, quod ferit scopum. — *Qua*, quatenus, quantum. — *Ferrum Diana*. Regii nostri habent *ferrumque Diana*. In Diana prima syllaba quandoque producitur; Virg. Æneid. I, 499, *Exercet Diana choros*; sed melius et frequentius corripitur. *Ed.* — Apud Homerum et Virgilium sæpe Deus aliquis detorquet hastam missam.

355. *Lenius*. Heinsius scribendum censet *secius*, ut II, 809. Regii nostri, *lenius*. Vide varias lectiones ad locum citatum. *Ed.* — *Lux micat ex oculis*, etc. Olim (et sic nostri Regii) edebatur *Emicat ex oculis*, *spirat quoque pectore flammas*. Sed octo, *micat*; quinque, *spiratque pectore*; et Florent. S. Marci, *flamma*. Inde Heinsius lectionem suam composuit, qui tamen non negat, posse et *flammas* servari.

357. *Moles*, lapides molares ejecti e ballistis, quæ non minus, quam arcus *nervum* habebant, qui *adducebatur*: apud Virgilium, Æn. XI, 616, Acontius ruit in morem *tormento ponderis acti*. —*Impete* antique pro, *impetu*, ut III, 79, ubi etiam *vasto* additur. Hoc loco *vasto* pro *certo* ex Leidensi uno et Sixiano recepit Burmannus, quia *certo* præ-

In juvenes vasto sic impete vulnificus sus
Fertur, et Eupalamon Pelagonaque dextra tuentes
Cornua prosternit : socii rapuere jacentes.
At non letiferos effugit Enæsimus ictus,
Hippocoonte satus : trepidantem, et terga parantem
Vertere, succiso liquerunt poplite nervi.
Forsitan et Pylius citra Trojana perisset
Tempora : sed sumto posita conamine ab hasta,
Arboris insiluit, quæ stabat proxima, ramis ;
Despexitque loco tutus, quem fugerat, hostem.
Dentibus ille ferox in querno stipite tritis,
Imminet exitio ; frendensque recentibus armis,
Actoridæ magni rostro femur hausit adunco.

cessit modo. Regii nostri habent *certo*. — *Vulnificus sus* ; hic Schirachius observat esse pingentem numerum. Compares ex Horatio, *ridiculus mus*. Similia Virgilius in Georgicis habet. — *Eupalamon* et *Pelagon* supra in catalogo non nominati, nec aliunde noti. — *Dextra tuentes cornua* ; aciem nempe in aprum direxerant, cujus dextrum cornu hi duo defendebant. *Ed.*

364. *Succiso poplite.* Sixii et Gronovianus tertius, *succiduo*, quod olim Heinsius probaverat. Regii nostri nihil mutant. Pro *succiso* Silius, IV, 343, *cæso poplite* ; sed *succiduus* poples est eorum, quibus animus linquitur. Vide Burmannum. — *Nervi*, qui in *poplite* sunt plurimi ; unde *nervosus poples*. — *Liquerunt*, defecerunt.

365. *Pylius*. Nestor. — *Citra*, ante. — *Trojana tempora*, Trojæ excidium, ut recte interpretatur Regius. *Tempora* enim passim, etiam apud Ciceronem, de calamitoso statu hominis, aut civitatis : vide Ernesti Clav. Cic. h. v. — *Sumere conamen*, vim addere salienti corpori. — *Posita ab hasta*, hasta telluri impressa. Confer II, 786 ; IV, 710. — *Fugerat*, effugerat.

369. *Tritis*. Laudat Burmannus Senec. I, de Orat. 1, *dentes acuuntur attritu*. Idem nescit, annon jure poetæ luxurianti objici possit, hoc longioris moræ fuisse ; neque vacasse apro, tot circumstantibus venatoribus, in arbore acuere dentes : in quo nimis severus est vir doctus. Quidni vacaverit apro dentes acuere, quum venatores longius remoti essent, et plurimorum tela aberrarent ? — *Frendens* ex uno Heinsii dedit Burmannus : cæteri, *fidens*. Ita nostri Regii. — *Recentia arma*, dentes, quos acuerat. — *Actoridæ*, vel Euryti, vel Cteati, versus 308. Recepi hanc lectionem, quam quatuor MSS. suppeditant, quia reliquæ *Orithyæ* aut *Orithiæ*, *Orichiæ*, *Orchiadæ*, *Othriadæ* etc. explicari nequeunt. Regii nostri, *Orithiæ*. — *Femur hausit*. Vide ad V, 126.

At gemini, nondum cælestia sidera, fratres,
Ambo conspicui, nive candidioribus ambo
Vectabantur equis, ambo vibrata per auras
Hastarum tremulo quatiebant spicula motu.
Vulnera fecissent; nisi setiger inter opacas,
Nec jaculis isset nec equo loca pervia, silvas.
Persequitur Telamon, studioque incautus eundi,
Pronus ab arborea cecidit radice retentus.
Dum levat hunc Peleus, celerem Tegeæa sagittam
Imposuit nervo, sinuatoque expulit arcu.
Fixa sub aure feri summum destringit arundo
Corpus, et exiguo rubefecit sanguine setas.
Nec tamen illa sui successu lætior ictus,
Quam Meleagros erat: primus vidisse putatur,
Et primus sociis visum ostendisse cruorem,
Et, meritum, dixisse, feres virtutis honorem.
Erubuere viri, seque exhortantur, et addunt
Cum clamore animos, jaciuntque sine ordine tela:
Turba nocet jactis, et, quos petit, impedit ictus.
Ecce furens contra sua fata bipennifer Arcas,

372. *At gemini.* Castor et Pollux præ cæteris memorabiles, quippe qui postea inter sidera sint relati. In iis describendis pondere numeroque verborum utitur: hinc *hastarum spicula*, pro hastis; *vibrata quatiebant tremulo motu*, pro una vibrabant; verbum sonantius *vectabantur*; et repetitio τοῦ *ambo*, in qua tamen eximiam venustatem cum Burmanno reperire nequeo.—*Candidi equi* Tyndaridis dari solebant, unde a Pindar. P. I, 127, λευκοπῶλοι vocantur. Horum quoque jactus inanis excusationem merebatur. — Pro *quatiebant*, unus Mediceus et prior Twisdenii, *quatientes*, quod placet Heinsio. Nostri Regii, *quatiebant*.

380. *Peleus* secundum Apollod. invitus Eurytiona interficit; *Atalanta* vero prima aprum εἰς τὰ νῶτα ἐτόξευσε· δεύτερος δὲ Ἀμφιάραος εἰς τὸν ὀφθαλμόν.

385. *Primus vidisse putatur.* Convenienter amori, quo ardebat Meleager. — *Honorem*, præmium. Τὸ ἀριστεῖον promiserat Œneus, secundum Apollodorum.

388. *Erubuere viri*; puduit viros fortes aprum a virgine primum fuisse percussum. *Ed.*

391. *Bipennifer Arcas*; Euripi-

« Discite, femineis quid tela virilia præstent,
» O juvenes, operique meo concedite, dixit.
» Ipsa suis licet hunc Latonia protegat armis;
» Hunc tamen invita perimet mea dextra Diana. »
Talia magniloquo tumidus memoraverat ore;
Ancipitemque manu tollens utraque securim,
Institerat digitis, primos suspensus in artus.
Occupat audacem, quaque est via proxima leto,
Summa ferus geminos direxit in inguina dentes.
Concidit Ancæus : glomerataque sanguine multo
Viscera lapsa fluunt, madefactaque terra cruore est.
Ibat in adversum, proles Ixionis, hostem

des ex emendatione Schraderi, *κιλίκιεως δὲ δίστομον Γένυν γ᾽ ἔπαλλ᾽ Ἀγκαῖος.* Etiam in monumento Tegeat. expressus erat cum *bipenni* demissa jam sauctus : eum ab apro percussum esse, Pherecydes quoque narraverat; Scholiastes Apollonii, I, 188; Apollodorus addit Hyleum. Hic locus proponitur, ut impietatis et arrogantiæ ridiculum exemplum, ad quod spectandum lector jam in principio voce *Ecce* advertitur. — *Furit contra sua fata* qui temeritate sua ante diem mortem oppetit. — *Quid*, quantum, non satis latinum judicat Heinsius qui mallet cum tribus MSS. *quam.* Regii nostri, *quid.* — *Concedite* pro simplici *cedite.*

397. *Securis* et *bipennis* promiscue ponuntur a poetis, quum præcipue hujus usus esset in bellis, illius in victimis. Vide Drakenb. ad Silium, XVI, 264. — *Institerat digitis*, etc. Heinsius olim volebat *Institerat primis digitis, suspensus in artus*, improbante Burmanno. Nostri Regii habent, quæ data est, lectionem. Idem Burmannus monet, *primos artus* esse primas juncturas digitorum in pedibus; hoc enim nomine significari ea, quibus membra committantur : verum juncturis illis solis non insistimus : omnino extremæ digitorum partes intelliguntur; qui ita stat, *suspensus* dicitur. Aliter Æneid. IX, 749, *sublatum alte consurgit in ensem.* — Burmannus, ad Art. Amator. I, 608, discrimen observat, quod est inter *audacem* et *audentem. Audax* est temerarius, qualis fuit Ancæus, versu 407 : sed *audens*, fortis, animosus, constans qui intrepido animo omnia adgreditur : male igitur, qui hoc loco vulgo *audentem.* — *Occupat*, prior invadit. — *Qua via proxima leto :* Æn. XII, 507, *qua fata celerrima*, nempe quia anterior abdominis pars ossibus defenditur nullis. Etiam Pausanias, p. 606, de Ancæo, *ἀπέθανεν ὑπὸ τοῦ ὑός.* Femur ejus haustum esse dixerat Pherecides. Verba *madefactaque* etc. melius abessent; hoc enim sponte intelligitur. *Gierig* errat; nam si *sanguis multus fluit*, necesse est terram hoc ipso madefieri. *Ed.*

Pirithous, valida quatiens venabula dextra.
Cui, « Procul, Ægides, o me mihi carior, inquit,
» Pars animæ consiste meæ : licet eminus esse
» Fortibus; Ancæo nocuit temeraria virtus. »
Dixit : et ærata torsit grave cuspide cornum :
Quo bene librato, votique potente futuro,
Obstitit esculea frondosus ab arbore ramus.
Misit et Æsonides jaculum : quod casus ab illo
Vertit in immeriti fatum latrantis, et, inter
Ilia conjectum, tellure per ilia fixum est.
At manus Œnidæ variat; missisque duabus,
Hasta prior terra, medio stetit altera tergo.
Nec mora, dum sævit, dum corpora versat in orbem,
Stridentemque novo spumam cum sanguine fundit;
Vulneris auctor adest, hostemque irritat ad iram;
Splendidaque adversos venabula condit in armos.
Gaudia testantur socii clamore secundo;

404. *Pirithous* in monument. Tegeat. postremus collocatus erat. — *Procul* conjunge cum *consiste*. — *Pars animæ meæ*, vox tenerrimi affectus : Hor. Od. I, III, 8, *animæ dimidium meæ*. — *Cornus* lignum telis conficiendis aptum, unde pro jaculo et sagitta subinde ponitur. Confer VII, 678. — *Voti potens*, qui assequitur quod cupit.

408. *Cornum* e Florentino Sancti Marci, primo Mediceo, Berneggeriano et alio dedit Heinsius pro *cornu*. Sed Burmannus dubitat, an neutro genere hoc sensu ponatur; itaque *grave* a glossatoris manu fluxisse putat, et legit, *ærata contorsit cuspide cornum*, et seq. vs. *Quo bene librato... futuro*. — Regii nostri, *torsit grave cuspide cornu, Cui bene librato... futuro*. Dativus non convenit. *Ed.*

411. *Misit et Æsonides*. Recte Tan. Fabrum offendit hoc, quod hic iterum *Æsonides* sive Jason memoratur, quum idem jam, versu 349, telum misisse dicatur; nam cæteri omnes semel tantum misisse leguntur, quod et postulabat ordo, quo collocati erant. Sed quod nomen restituendum sit, sine MSS. ope vix constitui potest. — *Latrantis*, canis. Nonnulli, *Geladantis*. sub quo Heinsius latere nomen aut canis, aut alicujus hominis e plebe venatorum, putat. Regii nostri hunc versum ita habent : *Vertit et in meritum figit latrantis*. Perperam. *Ed.*

414. *Variat*, vario successu mittit duas hastas. Duas autem mittit ut princeps sociorum, a quo cæteri convocati, et in cujus agris collecti. — *Versat in orbem*. IV, 722. — *Ad-*

Victricemque petunt dextræ conjungere dextram;
Immanemque ferum, multa tellure jacentem,
Mirantes spectant : neque adhuc contingere tutum
Esse putant ; sed tela tamen sua quisque cruentant.
Ipse pede imposito, caput exitiabile pressit;
Atque ita : « Sume mei spolium, Nonacria, juris,
» Dixit ; et in partem veniat mihi gloria tecum. »
Protinus exuvias, rigidis horrentia setis
Terga dat, et magnis insignia dentibus ora.
Illi lætitiæ est cum munere muneris auctor.
Invidere alii ; totoque erat agmine murmur.
E quibus, ingenti tendentes brachia voce,
« Pone age, nec titulos intercipe, femina, nostros,

versos, quos quis sibi oppositos petit. Apud Apollodorum vulnerat ferum εἰς τὸν κενεῶνα, in ilia.

421. *Conjungere*, ut conjungant. — *Tela cruentant*, telis pungunt, vel insultandi causa, vel ut, si vivat adhuc, penitus interficiant. — *Ipse* Meleager *pedem imponit*, more veterum heroum, qui cæso hosti dictis et factis insultare, eumque pede imposito premere solebant. Æneid. X, 495 ; XII, 356.

426. *Spolium*, pellis detracta, *mei juris*, quæ mihi debetur. Ejusmodi exuvias appetebant non minus, quam arma hostibus occisis detracta, iisque fortitudinem suam ostentabant. Sic Hercules leonis Nemæi spolio utebatur pro tegmine. Atque etiam nunc pugnaverant de apri κεφαλῇ καὶ δέρματι λαχνήεντι Homer. versu 544. — *Nonacria*. Regii nostri, *Nonacrea*, Atalanta. Nonacris, mons Arcadiæ frigidissima Stygis aqua famosus. *Ed.* — *Veniat*, elegantius, quam, contingat. Vide ad II, 862. Attius in Meleagro : *Remanet gloria apud me, exuvias dignavi Atalantæ dare*. Sed apud Nostrum multo est urbanior, et partem tantum sibi gloriæ expetit. Nec scio, an non præstet ex uno MS. *tui juris*, quod et Heinsio placebat, ut apri interfecti gloriam illi cedat, quæ prima feram vulneraverat. Certe a Callimacho Atalanta vocatur συοκτόνος, apricida.—Illi *dentes* apud Tegeatas servati ab Augusto Romam sunt delati. Pausanias, Arcad. p. 694. Apud eosdem Tegeatas pellis hujus apri præ senio jam putrescens Pausaniæ adhuc ætate ostendebatur, p. 695. In nummis adeo hi dentes cum venabulo Meleagri repræsentati sunt. Vide Spanhem. ad Callimachi dictum locum.

432. *Tendentes brachia* ; gestus indignabunde imperantis.—*Tituli*, gloriosum præmium, aut signum facinoris egregii. — De verbo *intercipere*, ad versum 292.—*Nostros*, qui nobis debentur tum genere proxime attingentibus Meleagrum, tum sexu potioribus et *feminæ* præferen-

» Thestiadæ clamant : nec te fiducia formæ
» Decipiat ; longeque tuo sit captus amore
» Auctor : » et huic adimunt munus, jus muneris illi.
Non tulit, et tumida frendens Mavortius ira,
« Discite, raptores alieni, dixit, honoris,
» Facta minis quantum distent : » hausitque nefando
Pectora Plexippi, nil tale timentia, ferro.
Toxea quid faciat dubium, pariterque volentem
Ulcisci fratrem, fraternaque fata timentem,
Haud patitur dubitare diu ; calidumque priori
Cæde recalfecit consorti sanguine telum.
Dona Deum templis, nato victore, ferebat,

dis. Priorem causam Diodorus memorat, posteriorem Schol. Aristophani ad Ranas, vers. 1269 ; utramque Apollodorus : ἀδοξοῦντες, εἰ παρόντων ἀνδρῶν γυνὴ τὰ ἀριστεῖα λήψεται, κατὰ γένος αὐτοῖς προσήκειν λέγοντες. — *Longe sit.* Vide ad IV, 648.—*Thestiadæ*, de quibus ad versum 304. — *Ne longe sit tibi muneris auctor* ; id est, ne interficiaris, et sic longe ab amatore tuo separeris. *Ed.*

437. *Non tulit*, etc. Ὀργισθεὶς δὲ Μελέαγρος τοὺς Θεστίου παῖδας ἀπέκτεινε. — *Mavortius.* Martis eum fuisse filium Euripides in Meleagro tradiderat, auctore Plutarcho, Paral. p. 212. Conf. et Apollodorum, p. 33. *Consors*, frater. XI, 347 ; XIII, 663 ; nunc adjective, fraternus.

445. *Dona Deum* etc. Sequitur locus præstantissimus, qui fluctuantem Althææ animum, et pugnam materni affectus cum sororio amore egregie describit ; quam ob causam etiam laudatur ab Homio in Element. Crit. tom. I, p. 189. Cæterum Meleagri mors dupliciter narratur, ut diserte Apollodorus, I, VIII, 3, monet. Prior ratio, eaque antiquissima, auctorem habet Homerum, dicto loco : secundum eam Thestii filii, invidia tacti, cum Curetibus bellum faciunt Ætolis, in quo Meleager, interfectis Thestiadis, cadit et ipse. Sed ex eodem auctore et Apollodoro etiam constat, odium intercessisse Meleagro cum Althæa matre, atque hanc filio imprecatam esse mortem ; id quod sine dubio originem dedit alteri rationi seu fabulæ de stipite fatali, quam primus Phrynichus tragicus in fabula Pleuron tractavit (Pausanias, Phoc. p. 874), quamque non mirum est Nostrum prætulisse, quum aptior multo esset ad commiserationem faciendam. Sic et Hyginus, fab. 174. Nicander apud Antoninum Liberalem, cap. 2, utramque rationem conjunxerat ; Meleagrum enim tradiderat in pugna cum Curetibus, post tædam illam igni immissam, periisse.—*Dona*, donaria, vers. 266, *templis*, in templa Diis. IX, 790.— *Nato victore* ; ob nati victoriam. Inter pium ergo officium et lætum non

Quum videt exstinctos fratres Althæa referri:
Quæ, plangore dato, mœstis ululatibus urbem
Implet, et auratas mutavit vestibus atris.
At simul est auctor necis editus; excidit omnis
Luctus, et a lacrymis in pœnæ versus amorem est.
Stipes erat, quem, quum partus enixa jaceret
Thestias, in flammam triplices posuere sorores;
Staminaque impresso fatalia pollice nentes,
« Tempora, dixerunt, eadem lignoque tibique,
» O modo nate, damus: » quo postquam carmine dicto
Excessere Deæ; flagrantem mater ab igne
Eripuit torrem, sparsitque liquentibus undis.
Ille diu fuerat penetralibus abditus imis;
Servatusque tuos, juvenis, servaverat annos.
Protulit hunc genetrix, tædasque in fragmina poni
Imperat, et positis inimicos admovet ignes.
Tum conata quater flammis imponere ramum,

fando cognoscit cædem, sed *videt* exstinctos fratres.— Melius forte erat, quod ante Burmannum edebatur, *auratis* .... *atras* (et quod habent Regii nostri); namque etsi proprie mutamus, quæ abjicimus, cum iis quæ assumimus, tamen poetæ solent invertere structuram communem. Vide ad VII, 60. — *Auratas*, auro ornatas. Vide ad VI, init. — *Editus*, indicatus. II, 43.—*Excidit*, scilicet, e mente. II, 601; IV, 175.

451. *Jaceret*, decumberet. Puerpera describitur.—*In flammam*; duo Medicei et tres alii, *in flamma*; undecim *in flammas*. Regii nostri, in *flammam*.—Venerunt autem Parcæ septimo post partum die, nunc quoque, ut semper, *nentes stamina* hominum. Apud Apollodorum stipes jacet in ara. Hyginus: *In regia dicitur titio ardens apparuisse*.

455. *Carmine*, vaticinio. Hyginus, *Meleagro fata cecinerunt*. — *Torrem*; editiones veteres dabant *ramum*, ut versu 462, quanquam et ibi MSS. nonnulli, *torrem*. Regii nostri, *ramum*. — *Torris*, lignum præustum. Græci auctores, δαλός.—*Servatus* ab incendio *servaverat*, prorogaverat annos. Idem verbum bis positum bene exprimit conjunctionem vitæ et stipitis.

460. *In fragmina*, id est, tædas fractas dedit Heinsius e tribus MSS. conjicit tamen *et tædæ fragmina*. Vulgo *tædas et fragmina*, quod habent nostri Regii.

463. *Cœpta tenere* alibi est persequi, non dimittere, II, 104; hoc

Cœpta quater tenuit : pugnant materque sororque,
In diversa trahunt unum duo nomina pectus :
Sæpe metu sceleris pallebant ora futuri ;
Sæpe suum fervens oculis dabat ira ruborem :
Et modo nescio quid similis crudele minanti
Vultus erat ; modo quem misereri credere posses ;
Quumque ferus lacrimas animi siccaverat ardor,
Inveniebantur lacrimæ tamen : utque carina,
Quam ventus, ventoque rapit contrarius æstus,
Vim geminam sentit, paretque incerta duobus :
Thestias haud aliter dubiis adfectibus errat,
Inque vicem ponit, positamque resuscitat iram.
Incipit esse tamen melior germana parente :
Et, consanguineas ut sanguine leniat umbras,
Impietate pia est : nam postquam pestifer ignis
Convaluit ; « Rogus iste cremet mea viscera, » dixit :
Utque manu dira lignum fatale tenebat,

loco inhibere, non perficere.—*Mater sororque*, adfectus maternus et sororius, qui adfectus jam *nomina* vocantur, et vers. 508 ; X, 346. *Sororem* adjuvit odium in filium conceptum contra *matrem*, adfectum illum naturalem, quo feruntur matres in liberos. — *In diversa*, nempe consilia. Pugna primum non nisi vultu se prodit. — *Suum*, iræ proprium. Iratorum enim *oculi* solent ardere, et præ ardore *rubescere*. Regius A pro *ruborem* habet *colorem*.

471. *Æstus.... errat*. Æstus, fluctus commoti maris : III. Trist. II, 15, *ventis dubius jactabar et undis*. Sic *dubia navis*, Art. Amat. II, 514. Sed hoc loco *dubii adfectus* sunt contrarii, inter quos ipsa dubia fluctuabat. Etiam *errare* a navigatione petitum, ubi navis *errat*, quæ huc illuc agitatur.—*Vim geminam* ; duplicem violentiam et venti et æstus maris. *Ed.*

476. *Sanguine* noxiorum parentari interfectorum umbris credebatur. Si autem verbis *consanguineas* et *sanguine* ludere voluit, ineptiit. — *Impietate pia est*. Hoc oxymoro delectatur Noster : III, 5 ; VII, 339. — *Convaluit* ; tres, *invaluit* ; plurimi, *concaluit*, ut Codex Regius A ; Codex B, *Convaluit*. *Convalescere* dicitur ignis, quum alimentorum sat accipit. — *Rogus* graviter et commode vocatur illa lignorum strues, quæ cum stipite etiam filium perditura et quasi crematura erat. — *Cremet mea viscera* ; vox summæ iræ, quæ ne cogitatione quidem furoris, quo in sua ipsius viscera sæviebat, coerceri potuit. — *Viscera mea*, filium meum. Vide ad V, 18.

Ante sepulcrales infelix adstitit aras:
« Pœnarumque Deæ triplices, furialibus, inquit,
» Eumenides, sacris vultus advertite vestros.
» Ulciscor, facioque nefas : mors morte piauda est:
» In scelus addendum scelus est, in funera funus:
» Per coacervatos pereat domus impia luctus.
» An felix Œneus nato victore fruetur?
» Thestius orbus erit? melius lugebitis ambo.
» Vos modo fraterni manes, animæque recentes,
» Officium sentite meum; magnoque paratas
» Accipite inferias, uteri mala pignora nostri.
» Hei mihi! quo rapior? fratres ignoscite matri.
» Deficiunt ad cœpta manus : meruisse fatemur
» Illum, cur pereat: mortis mihi displicet auctor.
» Ergo impune feret; vivusque, et victor, et ipso
» Successu tumidus regnum Calydonis habebit?
» Vos cinis exiguus gelidæque jacebitis umbræ?

480. *Ante sepulcrales* etc. Inferias quasi parat fratribus. Eum in finem alias *aræ* solebant strui in *sepulcris*, in iisque sacra fieri, Manibus excitatis vel liquoribus vel victimis. Graviter igitur hæc ligna *sepulcrales aras* vocat, in quibus filium quasi adolebit in honorem et solatia fratrum. Neque Manes defunctorum statim invocat, sed ipsas *Furias* in re horrenda, quam Furiæ ei injecisse videbantur. Recte igitur *furialia sacra*. — Impium furorem bene exprimit verbis *Ulciscor.....funus*, nec temere immoratur rei verbis cumulatis. — *Mors morte pianda est*; cædes fratrum morte filii purganda est. *Ed.*

486. *An felix Œneus* etc. Invidia hic et vers. 494 s. stimulos addit. — *Melius lugebitis ambo*, detestabilis sententia. — *Manes* adesse ex inferis credebantur inferiis; iis ergo commendat *officium* suum, quod vocabulum est solemne de inferiis. — *Recentes*; novi Orci incolæ, recens admissi: sic IV, 434, *umbræ recentes*. Ed. — *Sentite*, intelligite, agnoscite. — *Magno paratas*, magni pretii, nempe *pignora uteri*, filium, quem, pignus amoris, in ipso utero meo portavi.

491. *Hei mihi! quo rapior?* Non mens eam revocabat a novo conatu, sed tanta est vis materni affectus! *manus deficientes*, trementes atque vix stipitem retinere valentes. Hinc vox invitæ exprimitur, *Hei mihi*: etc. cujus veniam statim precatur. — *Auctor*, mater ipsa. Dignus est, cui mors inferatur, verum non ab ipsa matre.

496. *Cinis exiguus*; Ὀλίγη δὲ κεισόμεσθα κόνις; Horatius, IV, Od. VII.

» Haud equidem patiar : pereat sceleratus ; et ille
» Spemque patris, regnique trahat, patriæque ruinam.
» Mens ubi materna est ? ubi nunc pia vota parentum ?
» Et, quos sustinui, bis mensum quinque labores ?
» O utinam primis arsisses ignibus infans !
» Idque ego passa forem ! vixisti munere nostro :
» Nunc merito moriere tuo : cape præmia facti,
» Bisque datam, primum partu, mox stipite rapto,
» Redde animam : vel me fraternis adde sepulcris.
» Et cupio, et nequeo : quid agam ? modo vulnera fratrum
» Ante oculos mihi sunt, et tantæ cædis imago :

16 : *Pulvis et umbra sumus;* Propertius, IV, 11, 14, *En sum quod digitis quinque levatur onus.* — *Jacere* proprie ad cinerem tantum pertinet, non itidem ad umbras. Sed solemne erat hoc verbum omnino de mortuis usurpare. Sic et cadaveris epitheton *gelidus* ad umbras translatum. — Attamen umbra nec *gelida* nec calida ; sed ad mortem respicitur, quæ cum frigore venit et corpus privatum anima frigidum relinquit. *Ed.* — *Trahere ruinam*, eam facere : Æneid. II, 466 ; sed *trahere spem*, eam secum auferre. Exstincto filio hærede, eoque fortissimo, magna calamitas *patriæ* inferebatur. *Trahere* sumtum ab eo, qui cadens secum aufert aliquid, unde ruina oritur.

499. *Ubi nunc;* cui nunc prosunt. — *Pia vota;* multi, *pia jura*, quod præfert Heinsius. *Vota* illa, quibus superstites sibi vovent parentes, ne turbetur mortalitatis ordo. Hoc *justissimum votum* vocat Seneca, ad Marc. cap. 10. *Impium* contra *votum*, si se superstites liberis optent parentes. Suetonius, Tib. 62. BURM. — *Mensum* pro *mensium* notavit Priscianus, lib. VII : Seneca, Theb. 535, *Per decem mensum uteri labores :* vide Gronovium ad Liv. XXIX, 3 ; et Buneman. ad Lactant. carmin. de Phœn. 27. — Codex Regius B, *bis mensum quinque ;* Codex A, *menses bis quinque*, quod et libri aliquot a Ciofano citati. Excusi omnes *mensum* retinent, Prisciani freti auctoritate. Ego certe genitivum genuinum scribendum censeo *mensium ;* inter scandendum vero, ne legi Pediæ oppedatur, adhiberi posse Synæresin seu Synecphonesin, ut in Æneid. VI, 33, *quin protinus omnia Perlegerent oculis.* Et apud Nostrum, I, 150, quidam legunt *Ultima cælestium terras Astræa reliquit.* Ed. — *Decem ;* nempe lunares menses intellige. — *Munere nostro ;* quæ stipitem seu torrem in hunc usque diem servavi. *Ed.*

503. *Moriere ;* Burmannus mallet *moriare*, quod furenti aptius. Regii nostri nihil mutant. — *Præmia ;* pœna. — *Vel me* etc. quia Manes inferias postulant.

506. *Et cupio ;* fratres ulcisci subintelligatur. *Et nequeo* in ignem conjicere torrem pietate, qua filium prosequor, impedita. *Ed.* — *Sunt ;*

» Nunc animum pietas maternaque nomina frangunt.
» Me miseram! male vincetis; sed vincite, fratres;
» Dummodo, quæ dedero vobis solatia, vosque
» Ipsa sequar. » Dixit, dextraque aversa trementi
Funereum torrem medios conjecit in ignes.
Aut dedit, aut visus gemitus est ille dedisse
Stipes; et invitis correptus ab ignibus arsit.
Inscius, atque absens flamma Meleagros in illa
Uritur; et cæcis torreri viscera sentit
Ignibus; at magnos superat virtute dolores.
Quod tamen ignavo cadat, et sine sanguine, leto,
Mœret; et Ancæi felicia vulnera dicit;
Grandævumque patrem, fratremque, piasque sorores
Cum gemitu, sociamque tori vocat ore supremo,
Forsitan et matrem: crescunt ignisque dolorque;
Languescuntque iterum; simul est exstinctus uterque,
Inque leves abiit paulatim spiritus auras.
Alta jacet Calydon; lugent juvenesque senesque,

Heinsius conjicit *sint.* — *Male*, non sine impietate. — *Solatia*, filium, quem in solatia vestra cremavero. — *Visus est*, nempe Althææ. Et stipes *gemens* et *inviti* ignes aversantur factum.

515. *Absens in flamma uritur;* argute, quia torris ei fatalis in flamma. — *Cæcis*, quos non videbat. — *At magnos* etc. ut Hercules, IX, 163. — Regii nostri, *ac magnos:* male.

518. *Ignavo*, quo pereunt ignavi. Fortes cadunt in prælio per vulnera sanguine effuso. Supra, VII, 544, sic erat *leto mori inerti.* — Hunc versum ita habet Regius A: *Quod tamen ignavo cadit, et sine vulnere, leto.*

520. *Fratrem;* nostri ambo Regii dant *fratres*. Ab Apollodoro tres fratres memorantur, Toxeus, Tyreus et Clymenus; Nicander quinque habet: *sorores* fuerunt Gorge, Dejanira, Eurymede et Melanippe, quæ postremæ duæ post mortem fratris in aves mutantur. — *Sociam tori* Antoninus Liberalis, II, vocat Cleopatram; Hyginus, fab. 174, Alcyonem: qui dissensus facile potest componi; nam Homerus, vers. 552, diserte tradit, eam fuisse Cleopatram, sed eamdem a parentibus dictam esse Alcyonem, quia mater Alcyonis fatum habuerit. — *Supremo*, moriente.

525. *Alta jacet* etc. Ante hunc versum olim legebatur, *Paulatim cana prunam velante favilla*, quem expunxit Heinsius, tam auctoritate

Vulgusque proceresque gemunt; scissæque capillos
Planguntur matres Calydonides Eveninæ.
Pulvere canitiem genitor, vultusque seniles
Fœdat humi fusus; spatiosumque increpat ævum.
Nam de matre manus, diri sibi conscia facti,
Exegit pœnas, acto per viscera ferro.
Non mihi si centum Deus ora sonantia linguis,
Ingeniumque capax, totumque Helicona dedisset;
Tristia persequerer miserarum dicta sororum:
Immemores decoris liventia pectora tundunt;
Dumque manet corpus, corpus refoventque, foventque:

primi Palatini, et aliorum quatuor, qui eum in margine adscriptum habent, quam propter ingratam τοῦ *paulatim* repetitionem. — Versum quem respuit Heinsius habent nostri Regii A et B, non in margine, non a manu secunda, et sine ulla nota qua eum librariis suspectum fuisse indicaretur. Nemo, nisi ab Ovidiano carmine alienus, non confitebitur hujuscemodi repetitiones frequentissimas apud hunc poetam occurrere; et pæne restitui hunc versum qualem habet Codex A: *Paulatim prunam cana velante favilla.* Ed. — *Alta*, clara et flore suo superbiens, *jacet*, afflicta est. — *Planguntur*, plangunt se, sua pectora. Editiones antiquiores habent: *Plangunt ora simul matres Calydonides: Œneus* etc. Heinsius de suo dedit *planguntur*, ductuque primi Medicei et Spirensis, *Eveninæ*. — Codex noster A, *Plangunt ora simul matres Calidonides, Heheu!* Codex B male, *Plangunt hunc matres Calidonides: Œneus atque Pulvere* etc. — *Eveninæ*, ab Eveno fluvio, juxta quem Calydon sita. Plin. IV, 2. Marpissa Εὐηνίνη est apud Homer. Il. Ι, 553.

529. *Fœdat* graviter pro, adspergit. Summus luctus describitur. *Canities* et *vultus seniles* valent ad miserationem faciendam.

531. *Acto per viscera ferro.* Juxta alios laqueo vitam finivit. Vide Munkerum ad Hygini fab. 174. Nil definit Hyginus: *mærens in luctu decessit.*

532. *Si centum Deus* etc. Sic res arduas exprimunt poetæ, Virgilius, Georg. II, 42; Æneid. VI, 625; Hostius apud Macrob. VI, 3; Persius, Sat. V, 1, 26; Claudian. in Cons. Olyb. et Prob. 55, qui omnes secuti sunt Hom. Il. B, 488: Πληθὺν δ' οὐκ ἂν ἐγὼ μυθήσομαι, οὐδ' ὀνομήνω, Οὐδ' εἴ μοι δέκα μὲν γλῶσσαι, δέκα δὲ στόματ' εἶεν, Φωνὴ δ' ἄῤῥηκτος, etc. Sed Noster in re leviore parum feliciter hæc adhibuit. Heinsius e Florentino S. Marci, Neapolitano, Berneggeriano, invexit *linguæ*, ut cum τῷ *ingeniumque* conjungeretur; quod est durissimum. Revocavi igitur vulgatam lectionem et interpunctionem.

535. *Decus*, cura et ornatus corporis. — *Liventia*, ut liveant. — *Refoventque*; vide ad vers. 163; et de *fovere* ad II, 339: quem locum omnem cum hoc conferas. — *Lecto*,

Oscula dant ipsi, posito dant oscula lecto.
Post cinerem, cineres haustos ad pectora pressant
Adfusæque jacent tumulo; signataque saxa
Nomine complexæ, lacrimas in nomine fundunt.
Quas Parthaoniæ tandem Letoia clade
Exsatiata domus, præter Gorgenque, nurumque
Nobilis Alcmenæ, natis in corpore pennis
Adlevat; et longas per brachia porrigit alas;
Corneaque ora facit; versasque per aera mittit.
V. Interea Theseus sociati parte laboris

feretro : etiam græce κλίνη. Vide Kirchmannum de funeribus, II, 9. — *Oscula ipsi, oscula lecto;* sic distingue : oscula dant *ipsi*, id est, Meleagro seu corpori, posito oscula dant *lecto;* ut alterum *oscula* ad corpus, alterum ad lectum referatur. *Ed.*

538. *Post cinerem*, postquam combustus erat. Sed amat Ovidius hujusmodi repetitiones, *Post cinerem, cineres* etc. — *Pressant*, sæpius premunt. Imitatus est Silius, VIII, 129 : *Cui cinerem orbatæ pressant ad pectora matres.—Haustos,* collectos, ut IX, 35, *haustus pulvis.* Similia lamenta et eadem fere verba habes XIII, 424. — *Adfusæ;* vide ad III, 438. — *Signataque saxa nomine.* Sic e tertio Leidensi et altero Thuani dedit Burmannus pro *signataque saxo nomina* (quod etiam habent nostri Regii), quia saxum signatur nomine, non æque recte nomen saxo.— Etiamsi nostris Codicibus non fulti, attamen Burmanno adhæremus, quia jam in libro II, 326, *signant hoc carmine saxum ;* et infra, XV, 169, *novis fragilis signatur cera figuris.* Ed. — *Fundere in nomine* recte dici docet Burmannus.

541. *Parthaonis* filius Œneus. — *Gorge* nupserat Andræmoni, Dejanira Herculi, et sic *nurus Alcmenæ.* Has duas etiam Hyginus et Nicander exceperunt. Secundum hunc Baccho deprecante iis natura sua relicta. — *Adlevat*, aves esse jussit : Claudianus, 18, 295 : *Elevat hanc plumis, squamis hanc fabula vestit.* Aves illas Noster parum perspicue notavit. Intelligi eas, quæ Linn. Numidæ Meleagrides, Nostris *Perlhühner* dicuntur, docet Schneider. ad Æliani Histor. Animal. IV, 42. Cæterum variæ res omnis hujus fabulæ Calydoniæ in nummis et aliis monumentis expressæ sunt a Veteribus. Collegit illa omnia Begerus in libro, *Meleagrides et Ætolia ex numismate*, inspersis marmoribus quibusdam.

546-610. *Origo insularum, quas Achelous fecerat. Echinadum et Perimeles.* Ac *Echinades* quidem insulæ asperæ et incultæ, unde et iis nomen inditum, non longe aberant ab ostio Acheloi : Strabo, lib. X, p. 453; Thucydides, II, p. 171; et ab Acheloi alluvione natæ credebantur : Plinius, II, 85; Dionys. Perieg. vers. 433 sqq. Causam, cur

Functus, Erechtheas Tritonidos ibat ad arces.
Clausit iter, fecitque moras Achelous eunti,
Imbre tumens : « Succede meis, ait, inclyte, tectis,
» Cecropida ; nec te committe rapacibus undis.
» Ferre trabes solidas, obliquaque volvere magno
» Murmure saxa solent : vidi contermina ripæ
» Cum gregibus stabula alta trahi ; nec fortibus illic
» Profuit armentis, nec equis velocibus esse :
» Multa quoque hic torrens, nivibus de monte solutis,
» Corpora turbineo juvenilia vortice mersit.

non cohæreant cum terra continente, Pausanias, Arcad. p. 647, reddit hanc : quum Ætolia, pulsis Ætolis, inculta jaceret, Acheloum desiisse limum et sordes advehere, quibus Echinades annecterentur terræ continenti. Sed apud mythicos Achelous, iratus ideo, quod a nymphis posthaberetur Diis rusticis, eas efficit ; et sic hæc fabula commode annectitur superiori, in qua Diana similem ob causam irascebatur.—*Sociati pars laboris;* pars virilis laboris. Nondum dimittit *Thesea,* sed plures rebus ejus fabulas annectit, quanquam non satis feliciter. Etenim *Acheloum*, qui e Pindo effusus ab occasu Ætoliam dirimebat ab Acarnanibus, objicit Theseo Calydone Athenas redeunti.—*Erechtheas;* primus Horeti, primus Gronovii, excerpta Mureti, secundus Palatinus et duodecim alii, *Erichthonias*, quod non displicet Heinsio; nam et alii ab Erichtonio rege urbem Atheniensium nominarunt. Regius noster A, cum pluribus ab Heinsio notatis, *Erichthoias* : Codex B, cum duobus, teste eodem, *Eritheidas*—*Arces;* urbem : vide ad VII, 54. Athenas hic duplici epitheto insignitas male ait *Gierig:* nam *Tritonidos* non est epitheton. *Ed.*

548. *Clausit;* vide ad VI, 572.—De *tectis* fluviorum vide ad I, 574. Acheloi tectum internum ipse mox describit. *Succedunt tectis*, qui eo devertunt. Suavis est hæc et invitatio et inde orta sermocinatio, quæ pertinet ad lib. IX Metam., 96, ubi hospites discedunt, non exspectata fluminis pace.

551. *Ferre trabes* etc. In fluminis tumentis descriptione Nostro præiverunt Lucretius, I, 182, 290; Virg. Æn. II, 305-7, et 496 sqq. Apta hæc ad deterrendum. — Saxa, quæ *obliqua* feruntur, angulis suis majore vi prosternunt obvia. Quum Junianus habeat *oblataque*, Heinsius conjicit *obstrataque*, vel *obstructaque*. ut III, 570; sed ibi sermo de saxis cursum fluvii impedientibus. Regii nostri, *obliquaque*.—*Vidi;* confer V, 569.—*Stabula alta trahi;* confer V. 627 : pro *trahi*. sic Veteres *rapi;* at *trahi* exquisitius, et bene de fluviis rapacibus. Etiam Virgilius, dicto loco, *cum stabulis armenta trahit.* — *Nec fortibus* etc. ut I, 305.

556. *Turbineo vortice;* in modum turbinis se volvente. *Ed.*—*Solito dum*

» Tutior est requies, solito dum flumina currant
» Limite, dum tenues capiat suus alveus undas. »
Adnuit Ægides : « Utarque, Acheloe, domoque,
» Consilioque tuo, » respondit; et usus utroque est.
Pumice multicavo, nec levibus atria tophis
Structa subit : molli tellus erat humida musco ;
Summa lacunabant alterno murice conchæ.
Jamque duas lucis partes Hyperione menso,
Discubuere toris Theseus comitesque laborum :
Hac Ixionides, illa Trœzenius heros
Parte Lelex, raris jam sparsus tempora canis ;
Quosque alios parili fuerat dignatus honore
Amnis Acarnanum, lætissimus hospite tanto.

limite currant; dum intra ripas, aquis imminutis, se recipiant. *Ed.*

559. *Suus*, iis a natura adsignatus. —*Tenuis*, exigua.

561. *Multicavo.* Cumulavit Ovidius in hac fabula vocabula nova. Ex eo genere paulo ante erat *turbineus:* hic habemus *multicavus*, et mox, *lacunare*, facere lacunar : quod verbum fuit ignotum librariis, nam omnes Codices habent *lacus nabant*, aut *lacu nabant.* Regius noster A, *lacus nabant;* Codex B, uno verbo, *lacunabant.* Lacunar, φάτνωμα, tectum, in quo cælati erant loculi, qui lacuum similitudinem habebant, quos *laquei*, id est, margines eminentiores cingebant, unde idem et *laquear* dicitur. Beatorum quidem hominum lacunaria ornata erant eburno, auro, gemmis adeo (videatur Plutarchus, Apophth. Lac. XII, n. 94); sed fluvii ornamenta sunt conchæ et murices.—Paulo ante *nec levibus*, asperis. — De *pumice* et *tophis* vide ad III, 160. In Cyrenes thalamo Virgilius, Georg. IV, 374, *pendentia pumice tecta.*

564. *Metiri* poetis est medium transire, percurrere. Igitur Sol metitur cælum, hoc loco, *lucem*, sive diem. — *Duas partes;* horam diei nonam designat, qua etiam apud Romanos cœnæ initium.—*Discumbere* et *toris* et *super toris* dixit Virgilius, Æn. I, 700, 708. — *Ixionides*, Pirithous, vers. 403.—*Trœzenius heros* non est, ut *Rode* putabat, Theseus, sed *Lelex*, qui supra, versu 312, *Narycius* vocatur. Lensio videtur a Locrensibus *Trœzenas* migrasse. E versu 622 videmus, eum jam olim vixisse apud *Pittheum*, Trœzeniorum regem. Forte *Trœzen*, Pitthei frater, cujus e filia Æthra nepos Theseus (Pausanias, p. 182 sqq.), fuit ejus pater. Sic Thesea genere proxime attingebat, eumque comitabatur redeuntem. Hi tres in uno toro accubuere ita, ut Theseus medium locum teneret. — *Parili*, pro *pari*, ut sæpe apud Ovidium.—*Hospite tanto;* Ju-

Protinus adpositas nudæ vestigia Nymphæ
Instruxere epulis mensas; dapibusque remotis,
In gemma posuere merum : tum maximus heros,
Æquora prospiciens oculis subjecta, « Quis, inquit,
» Ille locus? digitoque ostendit, et, insula nomen
» Quod gerat illa, doce; quanquam non una videtur. »
Amnis ad hæc, « Non est, inquit, quod cernimus, unum;
Quinque jacent terræ : spatium discrimina fallit.
Quoque minus spretæ factum mirere Dianæ,
Naides hæ fuerant; quæ quum bis quinque juvencos
Mactassent, rurisque Deos ad sacra vocassent,
Immemores nostri festas duxere choreas.
Intumui, quantusque feror, quum plurimus, unquam,

nianus, *hospite terno*, quod probat Heinsius : male; nam plures aderant; et Achelous Theseo hospite lætabatur, immo per omnem hunc locum Thesei dignitas eminet.

570. *Protinus adpositas*; plurimi, *adpositis*; nostri Regii, *adpositas*. Et mensæ et epulæ dicuntur adponi. Vide Burmannum.—*Vestigia*, pedes: *nudi vestigia*, γυμνόποδες. Erat autem ἀνυποδησία reverentiæ signum. Vide Spanhem. ad Callimachi hymnum ad Cer. 125. Et de hoc ministerio vide ad IX, 89. — *Posuere*, apposuere mensam secundam, in qua merum in *gemma*, poculis gemmeis, seu crystallinis. Virg. Georg. II, 506, ut *gemma bibat*. Similiter autem in Cyrenes thalamo Nymphæ ministrant, Georg. IV, 378.—*Tum maximus heros*; ita Regii nostri. Unus Leidensis et duo alii, *quum maximus heros*, quod Heinsio placebat; quam ob causam nescio.

577. *Spatium discrimina fallit*; multi ex vetustioribus, *spatii discrimina fallit*, quod Heinsius commendabat, si cum Urbinate *discrimine* reponeretur. Burmannus mallet *spatium discrimina tollit*; quia Lovaniensis, *solvit*. Regius noster A, *spatii discrimina fallunt* : Codex B vulgatam habet.—*Spatium discrimina fallit*, elegans locutio, quæ non debebat tentari; longa distantia facit, ut discrimina non animadvertantur, ut non discretæ, sed una insula esse videatur. Supra, VI, 60; et Horat. II, Sat. II, 12, *studio fallente laborem*.

580. *Ad sacra vocassent*; vide ad versum 265: Horatius, I, Od. xxx, 2, *vocans ture te multo Glycera*. Hæc est *evocatio* Deorum. — *Immemores nostri*. Solebat Achelous aris coli a Græcis; Pausanias, Att. p. 84 et 98. — *Choreas*. In sacris Veterum solemnis saltatio cum cantu. Itaque hoc loco *chorea* pro toto sacrificio. *Ducere choreas* primum de præsule, deinde omnino de saltantibus.—Illud *intumui* graviter exaggerat, *quantusque .... revelli*. — *Feruntur* fluvii, quum rapidi sunt; Burmannus: *ferri* enim sæpe impetum et vim decla-

Tantus eram; pariterque animis immanis et undis,
A silvis silvas, et ab arvis arva revelli;
Cumque loco Nymphas, memores tum denique nostri,
In freta provolvi: fluctus nosterque marisque
Continuam diduxit humum, partesque resolvit
In totidem, mediis quot cernis Echinadas undis.
» Ut tamen ipse vides, procul, en procul una recessit
Insula grata mihi: Perimelen navita dicit.
Huic ego virgineum dilectæ nomen ademi.
Quod pater Hippodamas ægre tulit, inque profundum
Propulit e scopulo pariturae corpora natæ.
Excepi, nantemque ferens; « O proxima cælo
« Regna vagæ, dixi, sortite, Tridentifer, undæ,
» In quo desinimus, quo sacri currimus amnes,
» Huc ades, atque audi placidus, Neptune, precantem.

rat.—*Animis*, ira.—*Animis immanis et undis*; unus Mediceus, *immanis et undas*, quod Heinsio arridebat, dummodo *animos* legeretur. Regii nostri nihil mutant.

585. *Memores tum denique nostri*; tum demum intellexerunt, quem per ludibrium de Diis agrestibus inhonoratum præteriissent. *Ed.*—*Provolvi*; Balliot. et Thuan. *pervolvi*; Menardi, *devolvi*, quod rapiditati convenientius Burmannus putabat. Regii nostri, *provolvi*. Virgilius, Æn. X, 555, *truncum provolvens.*—*Continuam*, continentem terram, *diduxit*, divisit, distraxit.

589. *Recessisse* eleganter dicuntur quæ longius remota sunt.—Secundum Apollodorum, I, VII, 3, *Perimede* (non *Perimele*) uxor Acheloi, quæ ei Hippodamanta et Orestem peperit.—*Navita dicit*; conf. IX, 228.

593. *Pariturae*, pro *periturae* (quod habent quidem Regii nostri ambo) ex uno Leidensi et altero Twisdenio dedit Heinsius: viderint periti. *Ed.*

594. *O proxima cælo* etc. confer cum hoc loco, IV, 532, ubi similes ad Neptunum preces: *O numen aquarum, Proxima cui cælo cessit, Neptune, potestas*; unde apparet male hoc loco librarios *cælo* mutasse in *terræ* (quod quidem habet Codex noster Regius A; et Codex B non multo melius dat *mundi*), ut primus vidit Accursius, uno suo Codice. — In verbis *In quo ... amnes* sane est redundantia quædam; neque tamen illa, nisi innumera optimorum poetarum loca mutare velimus, sollicitanda, quanquam ingeniosa est Burmanni conjectura *quot sacri*.

597. *Huc ades*, etc. Hunc versum spurium judicat, et eum qui mox sequebatur, *Cui quondam tellus clausa est feritate paterna*, delevit Heinsius, auctoritate unius Vossiani. Plures, nempe secundus Palatinus, pri-

» Huic ego, quam porto, nocui : si mitis et æquus,
» Si pater Hippodamas, aut si minus impius esset,
» Debuit illius misereri, ignoscere nobis.
» Adfer opem ; mersæque, precor, feritate paterna
» Da, Neptune, locum : vel sit locus ipsa licebit;
» Hunc quoque complectar. » Movit caput æquoreus rex,
Concussitque suis omnes adsensibus undas :
Extimuit Nymphe ; nabat tamen : ipse natantis
Pectora tangebam trepido salientia motu :
Dumque ea contrecto, totum durescere sensi
Corpus, et inducta condi præcordia terra.

mus Moreti et octo alii proxime sequentem versum *Huic ego*, etc. non agnoscunt, improbante Burmanno. Ego versum *Huc ades*, etc. ineptum adeoque tollendum censeo. – Regius noster A, respuit versus quinque 596–600 ; quos manus secunda margini inscripsit, una cum versu certe rejiciendo *Cui quondam* etc. Hunc autem posuit post versum *Debuit illius* etc. : ea transpositione glossator manifestam dedit sui imperitiam, junctis duobus versibus qui haberent insulsam repetitionem vocabul. *feritate paterna*. Etiamsi Codex B eosdem quinque versus uncis incluserit, tanquam præsente nota suspicionis signatos, non video tamen cur rejiciantur, quum sententiæ omnino eos repugnare dici non possit. *Ed.*

603. *Hunc quoque complectar*; Burmannus mallet *Sic quoque*, sine causa. Heinsius qui *hanc* ex vetustioribus invexit, explicabat, postquam in insulam erit conversa. — Regius A, *Hunc quoque* ; Regius B, *Hanc quoque*. — *Complectar*, undis meis alluam. — *Movit... concussitque* etc. instar Jovis, I, 179. — *Movit caput*, idem quod, annuit precibus. *Ed.*

605. *Extimuit Nymphe* etc. Heinsio hic versus et tres sequentes delendi videntur aut saltem duo 609 et 610 (vide infra notam 608), ne bis idem dicatur. Burmannus admonet 604, 605 et 606 abesse a Francofurtensi, et duos sequentes fuisse margini adscriptos. — Sex versus, de quibus agitur, resecat Codex Regius A, et uncis notavit Codex B. — *Tangebam* ; Ambrosianus et unus Mediceus, *mulcebam*, quod amanti aptius judicat Burmannus. Immo tam periculoso tempore, *tangebat* potius amplexu pectora. — Codex Regius B, qui, ut diximus, hos versus inclusos uncis habet, dat *tangebam*. — *Dumque ea contrecto*; duo Leidenses, *contracto*, quam scripturam sunt qui putent meliorem. Regii nostri, *contrecto*. — *Totum durescere* ; Codex Sixii, *tactum durescere*, approbante Burmanno, ut sit Ovidiana repetitio. Nostri Regii, *totum*.

608. *Conduntur* et ea, quæ in aliam formam transeunt ; vide ad IX, 389. — Equidem arbitror, versus 609 et

Dum loquor, amplexa est artus nova terra natantes,
Et gravis increvit mutatis insula membris. »
VI. Amnis ab his tacuit : factum mirabile cunctos
Moverat : irridet credentes ; utque Deorum
Spretor erat, mentisque ferox Ixione natus ;
« Ficta refers, nimiumque putas, Acheloe, potentes
» Esse Deos, dixit, si dant adimuntque figuras. »
Obstupuere omnes; nec talia dicta probarunt :
Ante omnesque Lelex, animo maturus et ævo,
Sic ait : « Immensa est, finemque potentia cæli

610 *Dum loquor.... membris* esse resecandos ; nam priores quatuor multo elegantiores sunt. Quod duo ex iis absunt a Francofurtensi Codice, et sqq. duo in margine adscripti, id nihil in hac causa decernit ; potuerunt aut a festinante librario omitti, aut ab eo, qui postremos versus genuinos putaret, ut ego sentio. *Ed.*

611–724. *Philemon et Baucis.* Jupiter et Mercurius Phrygiam peragrantes, accipiuntur a Philemone et Baucide, pauperrimis hominibus. Quam ob causam casa eorum mutatur in templum, ipsi fiunt antistites istius templi ; et quum vitæ finis instaret, ambo simul mutantur in arbores. Ut Menecrates Xanthius Lyciacas fabulas collegerat, unde VI, 313 sqq. una repetita est, sic alius scriptor potuit Phrygias tractare, quarum pars hæc nostra est. Eam vero Ovidius copiosissime suavissimeque exornavit. Ruhnkenius ad Callimachi fragmenta, p. 580, eum suspicatur multa ex Callimachi Hecala mutuatum esse, quæ et ipsa fuerat anus paupercula, sed hospitalitate insignis. Hyriei fabula huic nostræ similis narratur Fast. V, 499 sqq.—*Ab his,* post hæc.—*Factum,* ut versu 578, et 726 : non igitur erat, cur Heinsius *fatum* suaderet. Regii nostri, *factum — Moverat,* admiratione et metu Deorum impleverat. —*Spretor Deorum* erat ad exemplum Ixionis patris et Phlegyæ avi. Et talis etiam *mentis ferox,* mente feroci, esse solet.—*Ut* ponitur, quum causa rei ex moribus alicujus repetitur.—*Ixione natus ;* Ixionis filius ex Centaurorum genere, qui Superum contemptores inducuntur a poetis ut et Cyclopes. *Ed.*—*Si dant ;* si eos putas dare posse.

616. *Obstupuere ;* unus Mediceus, *obstrepuere,* quod, quia indignationem indicat, optimum videtur Burmanno. Regii A et B, *obstupuere.*— Hic adfectus amicis convivantibus melius convenire videtur, quam indignatio surgendo reclamandoque prodita, quæ est in altera lectione Burmanno probata.

617. *Animo maturus et ævo,* vir gravis et constante ætate, frequens senis descriptio. Heinsius malit *animi* et *ævi.* Utrumque poetis in usu ; confer Æn. V, 43 ; IX, 246. Hinc quovis loco MSS. consensus premendus. Talem autem senem metus Deorum maxime decet. — *Sic ait,*

Non habet, et quicquid Superi voluere, peractum est;
Quoque minus dubites, tiliæ contermina quercus
Collibus est Phrygiis, modico circumdata muro.
Ipse locum vidi: nam me Pelopeia Pittheus
Misit in arva, suo quondam regnata parenti.
Haud procul hinc stagnum; tellus habitabilis olim;
Nunc celebres mergis fulicisque palustribus undæ.
Jupiter huc, specie mortali, cumque parente
Venit Atlantiades positis caducifer alis.
Mille domos adiere, locum requiemque petentes;
Mille domos clausere seræ: tamen una recepit,
Parva quidem, stipulis et canna tecta palustri:
Sed pia Baucis anus, parilique ætate Philemon

quum fere sermonis clausula sit, hic in principio orationis offendit Burmannum qui malit, *Vis, ait;* namque *vim* et *potestatem* Deorum sic junxisse etiam Cicero videtur. Sed frustra hæc monuit: *Sic ait* in principio etiam X, 17; XIII, 539: *Atque ait*, V, 489.

620. *Tiliæ contermina quercus* etc. Monumentum facti, quo commemorato fides fit fabulæ. — *Circumdari muro* solebant loca sancta et memorabilia. — *Ipse* etc. confer VI, 320 sqq. — *Pelops*, Pitthei pater, filius fuit et successor Tantali, regis Phrygiæ, quæ inde *Pelopeia arva*. Is regno paterno pulsus ab Ilo, in Græciam venit tempore Acrisii, et nomen dedit Peloponneso. Vide Marsham. Chron. p. 286. — *Suo parenti*, Pelopi; nam Pittheus, ut notum est, et Trœzen Pelopis filii fuere. *Ed.*

625. *Palustribus;* confer Virgilium, Georg. I. 361 sqq., ubi *marinæ fulicæ;* quo loco et ipsæ cum *mergis* conjunguntur, de quibus XI, 793 sqq. — *Jupiter* in terris ambulans *Mercurium* secum ducere solebat. Ambos sic et Hyrieus hospitio excepit. Fast. dicto loco; Hyginus, P. A. II, 34. Inde intel. Act. XIV, 12. — *Sera*, obex, μοχλὸς, lignum ferratum et vecti simile, quod oppositum foribus non sinebat eas aperiri.

630. *Parva quidem*, etc. Sequitur locus præstantissimus, quo casa, supellex, epulum pauperculorum hominum, eorumque eximia hospitalitas ita describitur, ut res sensibus subjecta videatur, et lector facile moveatur pietate hospitum. — *Stipulis;* Fast. VI, 261: *Quæ nunc ære vides, stipula tunc tecta videres. Stipulæ* autem sunt stramina, vers. 701. Veteres enim messores aristas tantum cum exigua calami parte demebant, et stipulas alio tempore metebant. Virg. Georg. I, 289. — *Tecta;* Priceus et Heinsius conjiciunt *texta*, ut tota casula inde constructa. — *Baucidis* nomen in proverbium abiit, et pro quavis anu paupercula, eademque pia, est positum. Persius, Sat. IV, 21. — *Illa sunt* etc. Claudia-

Illa sunt annis juncti juvenilibus; illa
Consenuere casa; paupertatemque fatendo
Effecere levem, nec iniqua mente ferendam.
Nec refert, dominos illic, famùlosne requiras;
Tota domus duo sunt; îdem parentque jubentque.
Ergo ubi cælicolæ parvos tetigere penates,
Submissoque humiles intrarunt vertice postes,
Membra senex posito jussit relevare sedili;
Quo superinjecit textum rude sedula Baucis.
Inde foco tepidum cinerem dimovit, et ignes
Suscitat hesternos; foliisque et cortice sicco
Nutrit; et ad flammas animà producit anili;
Multifidasque faces, ramaliaque arida tecto

nus, epigram. II, 1: *Felix, qui patriis ævum transegit in agris, Ipsa domus puerum quem videt, ipsa senem: Qui baculo nitens, in qua reptavit arena, Unius numerat secula longa casæ.—Paupertatemque fatendo;* Codex B habet *ferendo.*—Dum victu et cultu paupertatem *fatebantur* (quod omnis hic locus declarat), suoque habitu vitam degebant, paupertatem fecerunt *non iniqua mente ferendam*, id est, tolerabilem. Qui contra pauper potentem imitatur divitisque nomen adfectat, magnum sibi imponit onus. In dissimili re, Amor. I, 21: *Acrius invitos multoque ferocius urget, Quam qui servitium ferre fatentur. Amor.* — Mox ingeniose et jucunde: non habebant servos ancillasque. *Tota domus* etc. Vide ad I, 353.

637. *Tangere penates*, ut *tangere portus*, eo pervenire. — Mox graphice *submissoque* etc. — *Quo superinjecit;* Burmannus conjicit *Quoi*, id est, *cui.*—*Textum*, stragulum.— Ignis excitationem Virg. Æneid. I, 174, eadem prope diligentia describit. Idem Æn. VIII, 410, de muliere bene mane ad opus surgente, *cinerem et sopitos suscitat ignes;* Noster, Fast. V, 506: *Ignis in hesterno stipite parvus erat. Ipse genu posito flammas exsuscitat aura, Et promit quassas comminuitque faces.* — *Cortice sicco;* unus Bononiensis, *vimine sicco*, non male, judice Burmanno. Regii nostri, *cortice.*—*Anima producit anili* exquisitius quam spiritu suscitat debili. Ita Tacitus, Ann. VI, 9: Vestilius *senili manu* ferrum tentat.—*Multifidas*, in multas partes scissas.—*Faces* jam supra VII, 259, legimus. Heinsius putat hic esse faces concisas in frusta, qualia sarmenta *tædæ schidiæ* appellantur a Vitruvio, VII, 10. Male; namque additur *minuit*, id est, frangit et in frusta concidit, quod verbum ad faces non minus, quam ad *ramalia* (id est, ramos aridos, unde Pers. V, 59, membra fracta senum commode ita appellat), referendum. — *Tecto detulit.* Callimachus,

Detulit, et minuit, parvoque admovit aheno;
Quodque suus conjux riguo collegerat horto,
Truncat olus foliis: furca levat ille bicorni
Sordida terga suis, nigro pendentia tigno;
Servatoque diu resecat de tergore partem
Exiguam; sectamque domat ferventibus undis.
Interea medias fallunt sermonibus horas;
Sentirique moram prohibent: erat alveus illic
Fagineus, curva clavo suspensus ab ansa;
Is tepidis impletur aquis; artusque fovendos
Accipit: in medio torus est de mollibus ulvis
Impositus lecto, sponda pedibusque salignis:

fragment. Hec. *παλαίθετα ξῦλα καθῄρει*, *vetusta ligna detraxit.*

647. *Truncat olus foliis*, folia decerpit oleri. Sequentia bene illustravit Heinsius. Describitur carnarium, ubi carnes siccandæ suspendebantur: erat foco proximum, adeoque fumo expositum; inde carnes *furca* deferebantur. Conferatur Petronius Satyr. cap. 135. — *Sordida*; Gebhardus malebat *torrida*, id est, fumo siccata; nam in uno MS erat *horrida*. Regii nostri, *sordida*. Posset et legi, *fumida*, quomodo Horatius, Satyr. II, XI, *fumosæ pedem pernæ*; sed vulgatum non est temere mutandum. *Ed.—Sordida*, fumosa: Silius, VI, 320, *sordentia fumo frena.* Illustrationi inserviunt etiam loca hæc. Juven. XI, 82: *Sicci terga suis rara pendentia crate;* Petronius, cap. 136: *Præterea quæ fumoso suspensa tigillo Conservabat opes humilis casa.*

651. *Medias horas*, quæ effluebant, dum epulum parabatur, ut in libro IV, 167, *medium tempus*. Has horas *fallunt* seduli hospites *sermonibus*, sermones gratos instituunt cum Diis, ne tempora longa iis videantur. Non erat, cur Burman. suaderet, *mediis.*

652. *Alveus*, labrum, solium balneare. — *Ab ansa*, ope ansæ. *Ab* instrumentum indicat, quo aliquid fit. — *Fovendos* melius puto quam lavandos; exprimit enim gratum teporem, quo pedes ex itinere fessi reficiuntur.

655. *Accipit*; Codex Regius A, *suscipit.*—Non videt Heinsius quomodo *torus in medio* esse potuerit, qui locus mensæ fuerit dandus. E duobus igitur versibus, quos MSS nonnulli habent (vide finem notæ) facit unum hunc, *Accipit. Inde torum sternunt de mollibus ulvis Impositum lecto* etc. At *in medio esse* hoc loco, ut sæpe, nihil aliud significat, nisi, adesse. Etiam, XI, 610, *At medio torus est.* Vide et ad Plinium, III, Ep. XX, 4.—*Torus*, pulvinus, qui imponitur spondæ. Is plumis confertus esse solebat, XI, 610; sed in hac domo, ulvis. Apud Hyrieum Dii *flumineam lino celantibus ulvam*, *Sic quoque non altis incubuere toris.* —*Salignis*, quum ditiorum lectuli pe-

Vestibus hunc velant, quas non nisi tempore festo
Sternere consuerant; sed et hæc vilisque vetusque
Vestis erat, lecto non indignanda saligno.
Adcubuere Dei: mensam succincta tremensque
Ponit anus; mensæ sed erat pes tertius impar;
Testa parem fecit: quæ postquam subdita clivum
Sustulit, æquatam mentæ tersere virentes.
Ponitur hic bicolor sinceræ bacca Minervæ,

des haberent eburneos.—Post hunc versum 656, multi inserunt, *Concutiuntque* (aut *consternuntque*, *constituuntque*, *conficiuntque*) *torum de molli fluminis ulva*. Hunc versum non agnoscunt recte nostri Regii. *Ed.*

657. *Vestibus*, stragulis.—*Velare* solemne in hac re.— *Quas non* etc. Trist. V, v, 7, *quæ semel toto vestis sumitur anno*; Tibull. II, II, 7, *vestis seposita*.— *Vetus*, obsoleta. —*Non indignanda*; unus Ciofani, Capran. Vaticanus, Cantabr. secundus, tertius Palatinus et decem alii, *sed non indigna*. Primus Gronovian. et unus Heinsii, *tamen haud indigna*. Regii nostri habent vulgatam. —*Non indignanda*, quæ non habebat cur lecto indignaretur, ei conveniens. Aliter apud Virgilium, Æneid. I, 697, *aulæis jam se regina superbis Aurea composuit sponda*.

660. *Succincta*, adeoque sedula; IX, 89. Horat. Sat. II, VI, 107, de mure urbano, *veluti succinctus cursitat hospes*. — *Tripes mensa* erat in supellectile pauperiorum hominum; Horat. Sat. I, III, 13, ubi vide Interpretes.—*Sustulit*, inæqualitatem abstulit, *pedi* submissa testa. *Ed.* — Plerumque spongia tergi mensa solebat, nunc *menta*, de qua vide X, 729. —*Tersere*; Codex A, *extersere*. Ed.

664. *Ponitur hic bicolor* etc. Has epulas suo modo poeta instruxit, ita quidem, ut frugalitatis et eximiæ liberalitatis societatem in his senibus commendaret. Multos igitur cibos apponit, sed inemtos omnes, eorumque missus facit tres. —*Sincera Minerva* quæ sit, disputatur. Crispinus interpretatur, castam. Heinsius baccam recentem, et nullo sale aut muria conditam; nam etiam apud Columellam, XI, 50, *sincerum* et *quod salem recepit*, sibi opponi. Burmannus intelligit, non læsam, incorruptam; nam apud Nostrum in Nuce versu 22, esse, *læsa bacca*; et apud Suetonium, in Aug. 40, *sincerum* opponitur *corrupto*. Invehitur in eum Schirachius ideo, quod de bacca interpretatus sit, quod Ovidius ad Minervam retulerit. Ipse cum Gesnero in Thesauro intelligit integram Minervam. At quid est integra Minerva? hoc amplius erat explicandum. Equidem arbitror, poetam non Minervam Deam laudare voluisse, sed baccam adpositam describere, et retulisse, more poetis consueto, ad illam, quod erat referendum ad hanc. Capio igitur cum Heinsio de bacca non condita; nam mox opponuntur *corna condita*. —*Ponitur*, adponitur.— *Bicolor*, viridis et nigra. — *Corna*, quanquam lapidosa et in victu in-

Conditaque in liquida corna autumnalia fæce,
Intubaque, et radix, et lactis massa coacti,
Ovaque, non acri leviter versata favilla;
Omnia fictilibus: post hæc cælatus eadem
Sistitur argilla crater; fabricataque fago
Pocula, qua cava sunt, flaventibus illita ceris.
Parva mora est; epulasque foci misere calentes:
Nec longæ rursus referuntur vina senectæ;

felici, Æn. III, 649, numerata, condiri tamen solebant olivarum instar.

666. *Intubum* sativum, sive hortense, Linn. Cichorium Endivia. — Gallice *Endive*, quod forsan deductum fuerit ab *Intiba* quod dant Regii nostri Codices. *Ed.* Inde diversum intubum erraticum amaris fibris, Linn. Cichorium Intubus, germanice *Wegwart.*— *Radix*, rapharus. — *Lac coactum*, uno verbo, *coagulum*, quod legitur Fast. IV, 543; confer infra XII, 436. — *Ova* apud Romanos fere semper in principio cœnæ.

668. *Post hæc cælatus* etc. Post missum primum prima vina contra prisci ævi morem ponuntur. Sed hic et de lectione et de sensu laboramus. Olim legebatur, *cælatus eodem Sistitur argento crater.* Sed Heinsio displicebat et argenteus et cælatus crater in vasis Philemonis. Quum igitur in uno Palatino esset, *eodem argillo,* in multis aliis MSS. autem pro interpretatione adscriptum esset *de argilla*, hoc recepit in contextum, et pro *cælatus* scribendum censet, *illatus*. Rigaltius contra ad Tertullian. de Cultib. femin. lib. I, cap. 2, tuetur antiquam lectionem putatque jocose hoc dictum esse, et e superioribus facile explicandum. Fruges omnes adponebantur in *fictilibus* vasis. Crater *eodem argento cælatus* ergo foret, nullo argento cælatus, æque non argenteus et cælatus ac reliqua, quæ præcesserant. In *cælata argilla* frustra hæretur. Etenim latiore sensu *cælare* omnino instrumento fabrili incidere, scalpere, radere. Virgilius, Ecl. III, 37, ligneum poculum vocat *cælatum opus*, in quo vitis *torno* effecta.—De *eadem argilla* idem quod Rigaltius putant multi, quare *eodem argento*, jocose dictum anteponunt. *Ed.*—*Fabricataque fago pocula;* Virgil. dicto loco, *pocula fagina;* Fast. d. l. apud Hyriea, *Terra rubens crater, pocula fagus erant.* Tibullus, I, 1, 38: *Dona nec e puris spernite fictilibus. Fictilia antiquus primum sibi fecit agrestis Pocula, de facili composuitque luto.* Idem I, x, 8 de aureo seculo, *Faginus adstabat scyphus.* — *Qua cava sunt* etc. Theocrit. I, 27, βαθὺ κισσύβιον κεκλυσμένον ἁδέϊ καρῷ, profundum poculum dulci cera collutum.

671. *Parva mora est;* etc. Secundus missus.—*Calentes*, nempe terga suis cum olere, de quo sup. 646. Vina post primum missum apposita et mox remota nunc *rursus referuntur*, secunda vice apponuntur. Erant autem *non longæ senectæ*. Contra Hyrieus, in cibis parcior, *Quæ puer quondam primis diffuderat annis*.

Dantque locum mensis paulum seducta secundis.
Hic nux, hic mixta est rugosis carica palmis,
Prunaque, et in patulis redolentia mala canistris,
Et de purpureis collectæ vitibus uvæ;
Candidus in medio favus est: super omnia vultus
Accessere boni, nec iners pauperque voluntas.
Interea, quoties haustum cratera repleri
Sponte sua, per seque vident succrescere vina,
Attoniti novitate pavent, manibusque supinis
Concipiunt Baucisque preces, timidusque Philemon,
Et veniam dapibus, nullisque paratibus orant.
Unicus anser erat, minimæ custodia villæ,
Quem Dìs hospitibus domini mactare parabant:
Ille celer penna tardos ætate fatigat;

Prodit fumoso condita vina cado. Sed hæc quoque vina *paulum*, in breve tempus, quamdiu mala cum uvis et palmis adstarent, *seducta* sunt. — Sprotii et duo alii, pro *seducta*, habent *subducta*. — *Mensis* pro *mensæ*. — De *secunda* mensa vide ad IX, 89. Hic vs. 673, præcedenti præponendus videtur Heinsio; sed male. *Ed.*

674. *Rugosæ*, quippe siccatæ. — Pro *redolentia* (quod habent Regii nostri) Heinsius scribendum censebat *halantia*; olim conjiciebatur *ridentia*, frustra, nam *redolentia* bene commendat mala a leni et suavi odore. — In *canistris* apponi solebant et mala et panes. Homer. Od. A, 147. Æneid. VIII, 180. — *Purpureis*. Vitibus tribuit, quod erat uvis tribuendum. — *Nec iners* etc. excellenter! *non iners* pertinet ad sedulitatem et ardorem, quo accipiebant hospites; *non pauper* ad liberalitatem, qua apponebant, quidquid habebant; et lautissimum epulum parassent, si modo potuissent. Etiam Hyrieus, Fast. 503, *vultum addidit* verbis.

679. *Haustum*, exhaustum, quod exstat in plurimis MSS. sed ex interpretatione fluxit. *Hauriuntur* et ea, ex quibus hauritur. — *Per se*. Vide ad I, 102. — *Supinæ manus*, quæ extolluntur sic, ut palma sursum pateat, qui fuit habitus precantium; Lambinus ad Horatium, III, Od. XXIII, 1. — *Concipere* nil nisi facere. — *Dapibus* etc. dapibus sine sumtu apparatis. — *Paratus*, apparatus, ut VI, 451.

684. *Unicus anser erat*, etc. Hoc quoque pietatis signum commode memoratur, et imagine grata sensibus subjicitur, *celer tardos fatigat, eluditque diu*. Bene etiam additum *unicus*, quem, quia unum habebant, magni faciebant; vide ad III, 454. — *Custodia*, custos, ut XI, 599; XII, 148; sic *tutela* mox versu 711; Columella, VIII, 13: *Anser sollertiorem custodiam præbet, quam ca-*

Eluditque diu; tandemque est visus ad ipsos
Confugisse Deos. Superi vetuere necari;
« Dique sumus; meritasque luet vicinia pœnas
» Impia, dixerunt; vobis immunibus hujus
» Esse mali dabitur; modo vestra relinquite tecta;
» Ac nostros comitate gradus; et in ardua montis
» Ite simul. » Parent ambo, baculisque levati
Nituntur longo vestigia ponere clivo.
Tantum aberant summo, quantum semel ire sagitta
Missa potest; flexere oculos, et mersa palude
Cætera prospiciunt, tantum sua tecta manere.
Dumque ea mirantur, dum deflent fata suorum,
Illa vetus, dominis etiam casa parva duobus,
Vertitur in templum; furcas subiere columnæ;

nis; nam clangore prodit insidiantem. —*Eludere*, ut I, 692.

690. *Hujus.* Unus Heinsii, *unis*, quod venustum Burmannus judicat. Regii nostri, *hujus;* et recte. *Ed.*

693. *Ite simul.* etc. Olim edebatur: *Ite simul. Parent; et Dis præeuntibus ambo Membra levant baculis: tardique senilibus annis Nituntur* etc: versus medius in MSS. nonnullis manu recentiore adscriptus est margini. Primum Florentinus S. Marci sic exhibet: *Ite simul. Parent ambo, baculisque levatis*, et Spirensis rectius *levati.* Quum cætera additamenta nugatoria viderentur, Heinsius pro tribus versibus duo reposuit.— Codices nostri Regii A et B, a prima manu, veterem lectionem sine varietate ulla præbent; quæ, pace doctissimi Heinsii, certe anteponenda est. *Ed.*

695. *Tantum aberant summo*, etc. Fast. III: 583: *nec longius abfuit inde, Quam quantum novies mittere funda potest.* Confer. Homer. Il. Π, 589.—*Ire*, de volante sagitta et alibi.

696. *Et mersa palude.* Post hunc versum rursus duo ejecti a Ciofano et Heinsio; sunt autem hi: *Mersa vident, quæruntque suæ pia culmina villæ. Sola loca stabant; dum deflent fata locorum.* — Horum versuum prior tantum et a secunda manu margini Codicis A inscriptus fuit; duos habet Codex B: quum eis æquus sensus attribui possit, et certe priori posterior non consentiat, recte deleverunt et Ciofanus et Heinsius. *Ed.*

699. *Casa parva.* Pro *parva*, Junianus *pena*, quod ortum ex *plena* videtur, idque placebat Burmanno: *plena duobus*, tam angusta, ut vix duos caperet. Regii nostri, *parva.*

700. *Furcas subiere columnæ.* Seneca, Ep. 90 de casis priscorum hominum, *Furcæ utrinque suspensæ fulciebant casam, spissatis ramalibus* etc.—*Stramina*, quibus tecta casa, *flavescunt*, in aurum mutantur. Tri-

Stramina flavescunt, adopertaque marmore tellus,
Cælatæque fores, aurataque tecta videntur;
Talia quum placido Saturnius edidit ore:
«Dicite, juste senex, et femina conjuge justo
» Digna, quid optetis. » Cum Baucide pauca locutus,
Judicium Superis aperit commune Philemon:
« Esse sacerdotes, delubraque vestra tueri
» Poscimus; et quoniam concordes egimus annos,
» Auferat hora duos eadem, nec conjugis unquam
» Busta meæ videam; neu sim tumulandus ab illa. »
Vota fides sequitur: templi tutela fuere,
Donec vita data est: annis ævoque soluti
Ante gradus sacros quum starent forte, locique

buitur quidem *flavus* color et auro, ut IX, 688, in primis tamen straminibus ipsis. Itaque hoc loco e conjectura Capoferrei mallem *fulvescunt;* nam auri *fulva* natura; Plin. XXXIV, 2 s. 3. Sed restat alia difficultas. Mox rursus *aurata tecta* commemorantur. Olim hæc verba alio ordine lecta sunt; Heinsius enim ait, ex fide optimorum Codicum se ordinem verum restituisse. Lenzius igitur non male putat, Ovidium scripsisse, *Stramina flavescunt* (*fulvescunt*) *aurataque tecta videntur, Cælatæque fores, adopertaque marmore tellus.* Fores *cælatæ* etiam in regia Solis, II, 6. Post versum 702 Codex Regius A addit hunc: *Concipiunt Baucisque preces timidusque Philemon.* Quo versu cum præcedentibus sequentia forsan melius jungerentur: sed esset vitiosa repetitio; nam is est jam versus 682; quare non admittendum censui. *Ed.*

704. *Justitia* summa virtus, quæ reliquas complectitur omnes. — E plurimis MSS. *Judicium* revocandum putavi, quod Ciofanus paucorum auctoritate, non bene in *consilium* mutavit; namque *judicium* eleganter dicitur quod consulto, deliberatione instituta, fit. Multi MSS. *indicium*, facili lapsu. — Etiam in Æneid. VII, 443, *Deum effigies et templa tueri* de æditu, νεωκόρῳ. Non optant illi opes immensas, sed moderata satis, ex pietate sua tam in Deos quam mutua.—*Poscere*, precari.

710. *Tumulandus*, sepeliendus, ut supra VII. Sæpe eo verbo Noster utitur: usus eo est jam Catullus, LXV, 153.

711. *Fides sequitur*, quia fit, quod promiserant Dii.—*Tutela*, tutores, antistites templi. Supra, III, 617, *tutela proræ.*—*Soluti*, fracti.—*Annis ævoque* sane eodem redeunt; sed nil lucramur, si cum Heinsio *senioque* corrigimus. — *Gradus* templi, de quibus vide ad I, 375. — *Inciperent* Burmannus dedit e septem MSS. Vulgo *narrarent*. Sic Regii nostri.—

Inciperent casus, frondere Philemona Baucis,
Baucida conspexit senior frondere Philemon:
Jamque super gelidos crescente cacumine vultus,
Mutua, dum licuit, reddebant dicta; « Valeque,
» O conjux, » dixere simul, simul abdita texit
Ora frutex: ostendit adhuc Tyaneius illic
Incola de gemino vicinos corpore truncos.
Hæc mihi non vani, neque erat cur fallere vellent,
Narravere senes: equidem pendentia vidi
Serta super ramos; ponensque recentia, dixi:
« Cura pii Dîs sunt; et, qui coluere, coluntur. »

Inciperent casus, more æditurorum, qui peregrinis tradebant templi originem, sacra etc.—*Frondere*, frondescere, ut supra *patere* pro *patescere*. Fronduit autem Philemon in *quercum*, Baucis in *tiliam*, versu 620.

716. *Gelidos* e Juniano pro *geminos*, quod mox reperitur, amplexus est Burmannus. — Regii A et B, *geminos*.

719. *Tyaneius*; alii, *Fineius*, *Trineius*, *Thineyus*, *Tirinthius*, *Chineius*, *Tyreneus*. Nostri Regii, *Thirneius*. — *Tyaneius* haud dubie corruptum est. Tyana enim, urbs Cappadociæ, remota nimis est, quam ut incola ejus arbores Phrygias ostendere potuerit. Lenzius putat, rem accidisse in confinio Phrygiæ et Cappadociæ, adeoque communem fuisse utrique terræ. Hoc ferri posset, si modo constaret Ovidium *Tyaneius* dedisse. Sed MSS. mirum in modum hic variant, et ita, ut ex ista varietate vix quidquam certi elici possit. — Mox revocavi antiquiorem lectionem *gemino corpore*, quam Ciofanus ex Vaticano Statii et uno suo in *gemina arbore* mutaverat, approbante Burman. qui truncos tantum arborum restitisse putabat, amissis vetustate ramis. Immo *rami* mox diserte memorantur. *Trunci* ergo sunt arbores, quæ Lelegis tempore integræ restabant, versu 620, et repetitur hic, quod maxime in iis memorabile, factas esse e *gemino corpore*. —Regius noster A, *gemina arbore*.

721. *Neque erat cur fallere vellent*. Unus Mediceus, *nec erant qui* etc. Codex Regius A, *nec erat cur*; Codex B, *neque erat cur*.

723. *Sertis* aliisque donariis ornari solebant arbores, eæque summa religione colebantur a prætereuntibus, nec facile quisquam eas violabat manu aut securi. Vide Herald. ad Arnob. I, p. 22.—*Cura pii Dis sunt; et... coluntur.* Heinsius hunc versum ita correxit, quum antea vulgaretur: *Cura Deum Di sint et.... colantur*. Codex A, sicuti castigatiores, *Cura Deum Di sunt et ... coluntur*; Codex B habet antiquam. *Colit* Deus homines, quando curam eorum gerit. Cic. N. D. I, 41: *Cur Deos ab hominibus colendos dicas, quum Dii homines non colant?* Lactant. Epit. 27: *vitam hominum excolere, eosque ab omni malo tueri.*

VII. Desierat; cunctosque et res et moverat auctor,
Thesea præcipue; quem facta audire volentem
Mira Deum, nixus cubito Calydonius amnis
Talibus adloquitur: « Sunt, o fortissime, quorum
Forma semel mota est; et in hoc renovamine mansit:
Sunt, quibus in plures jus est transire figuras;
Ut tibi, complexi terram maris incola, Proteu:
Nam modo te juvenem, modo te videre leonem:
Nunc violentus aper; nunc, quem tetigisse timerent,
Anguis eras: modo te faciebant cornua taurum:
Sæpe lapis poteras, arbor quoque sæpe videri:
Interdum faciem liquidarum imitatus aquarum
Flumen eras; interdum undis contrarius ignis.
» Nec minus Autolyci conjux, Erisichthone nata,

725-884. *Proteus et Mestra.* Exponitur de iis, qui formam habebant ambiguam, hoc est, quibus licebat modo in hanc, modo in illam formam transire, in quibus *Proteus*, 725-737, et *Erisichthonis* filia. De *Proteo* locus classicus apud Homer. Od. Δ, 364 sqq, quem Virgilius, Georg. IV, 387 sqq, et Noster XI, 254, expresserunt. Tam *ambiguum* autem, ut II, 9 vocatur, Deum finxerunt haud dubie prisci auctores, quibus placebat aquam esse principium omnium rerum; Orpheus, hymn. 24. Vide Heynium ad Virg. dicto loco.

727. *Nixus cubito.* Jacuerat in lectulo; nunc, quum narrare vult, se erigit.—*Renovamen* pro transformatione, aut nova forma, nove dictum. —*Jus*, potestas concessa. In iis Thetis transformis, XI, 241 sqq. Nereus secundum Pherecydem in Schol. Apollon. IV, 1396.

731. *Complexi* etc. Homerus eum juxta Pharum insulam collocat, Virgilius in Carpathio mari, ut adeo illud figmentum cum philosophemate, unde pendet, ex Ægypto originem traxisse videatur. Secundum Homerum, Od. Δ, versu 417, omnia tentat fieri, *ὅσσ' ἐπὶ γαῖαν Ἑρπετὰ γίγνονται, καὶ ὕδωρ καὶ θεσπιδαὲς πῦρ*, et vers. 456, fit leo, draco, panthera, ingens sus, liquida aqua, arbor. — *Videri*, cerni. — *Interdum* etc. Virgilius, Georg. IV, 409 sqq.: *Aut acrem flammæ sonitum dabit .... aut in aquas tenues dilapsus abibit.*

738. *Autolyci conjugem* Tzetzes ad Lycophr. vers. 410, et Lactant. in Argumento hujus fabulæ, *Mestram* vocant; Palæphatus, cap. 24, *Metram*; Antoninus Liberalis, cap. 17, *Hypermestram.* Pausanias vero, Arcad. p. 605, auctor est, Autolycum, Parnassi incolam, Mercurii, sive verius Dædalionis filium, uxorem habuisse Neæram, Perei filiam. Quem dissensum ita componit Burman. ut Autolycum bis matrimonium iniisse

Juris habet : pater hujus erat, qui numina Divum
Sperneret, et nullos aris adoleret honores.
Ille etiam Cereale nemus violasse securi
Dicitur, et lucos ferro temerasse vetustos.
Stabat in his ingens annoso robore quercus,

dicat. De Autolyci fatis vide Hygini fabulas 200, 201. Sed in hac fabula notabilius est *Erisichthonis* facinus et *fames*, quam Mestræ metamorphosis. *Erisichthon* enim, Thessalus, Triopæ filius, quum domum sibi struere vellet, arbores in luco vetusto et Cereri sacro cædit. Triopam hoc fecisse tradunt Herodes Attic. in Inscript. et Hyginus, P. A. II, 14; vide tamen Salmasium ad illam Inscript. et Spanhem. ad Callimachi hymnum in Cer. vers. 24. A quo conatu quum nec prodigiis, nec precibus deterreri posset, Ceres irata ei injicit diram famem, qua absumitur. Confer. Diodorus, V, p. 331, in primisque Callimachus, hymn. in Cer. vers. 23-116, qui et ipse fabulam copiose enarravit. Hinc Scaliger Poet. V, 8, utramque descriptionem ita comparavit, ut principatum deferret ad Ovidium; quam sententiam non probavit Ernesti. Is enim, in Excursu ad hymnum in Cer. subjecto, eam sub examen vocavit, docuitque iniquum fuisse judicem Scaligerum in comparandis his descriptionibus. Ipse magis favere videtur Callimacho suo. Fortasse res ita expediri potest. Studet Callimachus summæ simplicitati, quam postulat hymnorum ratio; Ovidius contra id agit, ut omnia ingenii sui luminibus exornet. Habet igitur uterque suas in suo genere virtutes; plures tamen et majores, ut equidem arbitror, Ovidius.

739. *Numina Divum*, Divos.—*Honores* dignius, quam, sacrificia, quæ adolentur in honorem Deorum; Virgilius, Æneid. I, 49, *aris imponat honorem*; Noster, X, 681, *turis honorem*. — Pro *honores* plerique vetustiores, *odores*. Codex Regius B, *odorem*. At idem Virgilius, Æneid. III, 547: *Junoni Argivæ jussos adolemus honores*. Ed.

741. *Cereale nemus*. Juxta Dotium, urbem Thessaliæ, prisci incolæ *Cereri* consacraverant *nemus*, quod copiosius describitur a Callimacho, vers. 27-30: quam descriptionem a Nostro omissam esse propterea, quod jam alio loco ea exornatione usus sit, Ernesti monet.— *Violare* et *temerare* impietatem declarant Erisichthonis, qua cædebat arbores sacras, quod summum nefas. De verbo *temerare* ad II, 592. *Templum* Cereris dirutum esse ab Erisichthone, tradit Hyginus, P. A. II, 14, ex falsa haud dubie interpretatione vocis τέμενος, quod et templum et lucum Diis consecratum notat; vide Perizonium ad Æliani Var. Histor. VI, 1, p. 439.

743. *Quercus* magis placet Scaligero et Annæ Fabri, quam Callimachi αἴγειρος, id est populus nigra, quia hæc sterilis, nec quidquam ad Cererem. Ernesti contra monet, quercum, si quis hoc urgere velit, non decere Cererem, quæ dedocuerit homines vesci glandibus, et sterilitate per iram immissa cogat famem solari quercu. Addit, αἴγειρον vocabulum antiquiore sensu acci-

Una nemus : vittæ mediam, memoresque tabellæ,
Sertaque cingebant, voti argumenta potentis.
Sæpe sub hac Dryades festas duxere choreas ;
Sæpe etiam, manibus nexis ex ordine, trunci
Circuiere modum : mensuraque roboris ulnas
Quinque ter implebat ; nec non et cætera tanto
Silva sub hac, silva quanto jacet herba sub omni.
Non tamen idcirco ferrum Triopeius illa
Abstinuit ; famulosque jubet succidere sacrum
Robur : et ut jussos cunctari vidit, ab uno
Edidit hæc rapta sceleratus verba securi :

piendum pro arbore quacumque silvestri, præsertim grandiore. Nil refert, qualis arbor fuerit; et in magno luco varii generis arbores stetisse credibile est.—Eam arborem Callimachus breviter sic describit : *μέγα δένδρεον, αἰθέρι κῦρον*, id est, cælum tangens, quod bene altitudinem declarat. Sed Ovidius non minus eleganter amplitudinem exprimit : *Una nemus*, tanta erat, ut nemus videri et dici possit. Sic etiam Heroid. XV, 159; Plinius, Hist. Nat. XVI, 44 : *Vicina luco est ilex et ipsa nobilis XXXIV pedum ambitu caudicis.... silvamque sola facit.* Etiam Martialis, IX, 61, *nemus* vocat unam platanum.—*Annoso robore* plenius, quam annosa.—*Vittæ mediam.* Arbores tæniis, *vittis* etc. ornatæ religiose colebantur a prætereuntibus; quem cultum rident scriptores veteres Christiani, Arnob. I, p. 22 ; Prudent. in Sym. II, 1009, ubi *arbor vittata.* Confer supra vs. 722 sqq. —*Tabellæ* votivæ dicuntur *memores*, quia inscriptio earum beneficia a Cerere impetrata celebrabat.—*Argumenta*, signa ejus, qui voti *potens*, compos, factus erat. Alii *votum potens*, quum fit, quod optamus.—*Voti argumenta*, *ἀναθήματα*, donaria ab iis suspensa, qui Cereris ope votorum compotes fuerunt ; sic supra vers. 56 et 80. De platano a Xerxe torquibus et armillis ornata, Ælianus, Variar. Hist. II, 14. *Ed.*—Pro *potentis* Heinsius mallet *potentum*.

746. *Sæpe sub hac Dryades* etc. Callimachus, versu 39 : Τῷ δ' ἔπι ταὶ νύμφαι ποτὶ τὤνδιον ἑψιόωντο, sub quo nymphæ ad meridiem ludebant. — De *festis choreis* nympharum vide ad versum 581.—*Modus*, amplitudo. Cornelius Nepos, XI, 1, *hastæ modum*, longitudinem, *duplicavit*, *gladios longiores fecit.* Hoc loco *modus trunci*, ipse truncus. — *Mensuram* non ipse definit poeta, sed a Nymphis inventam esse ait.

750. *Jacet* inseruit altitudini istius quercus declarandæ ; exprimit enim aliquid valde remoti. II, 179. — *Tanto.... quanto*, scilicet spatio.

751. *Triopeius* ; MSS. omnes (ut et Regii nostri) habent *Dryopeius* ; Dryopes gens Thessaliæ. *Triopeius*, filius Triopæ ; Callimachus, Τριόπειο γόνος.—*Famulos*, quorum numerum, formam et arma recenset Callim.

» Non dilecta Deæ solum, sed et ipsa licebit
» Sit Dea, jam tanget frondente cacumine terram. »
Dixit; et, obliquos dum telum librat in ictus,
Contremuit, gemitumque dedit Deoia quercus:
Et pariter frondes, pariter pallescere glandes
Cœpere; ac longi pallorem ducere rami.
Cujus ut in trunco fecit manus impia vulnus,
Haud aliter fluxit, discussa cortice, sanguis,
Quam solet, ante aras ingens ubi victima taurus
Concidit, abrupte cruor e cervice profusus.
Obstupuere omnes; aliquisque ex omnibus audet
Deterrere nefas, sævamque inhibere bipennim.
Adspicit hunc; « Mentisque piæ cape præmia, » dixit
Thessalus; inque virum convertit ab arbore ferrum,
Detruncatque caput; repetitaque robora cædit;
Editus e medio sonus est quum robore talis:

vers. 34. — *Sed et ipsa* etc. Eadem impietas vers. 394.

757. *Librat.* Vid. ad II, 311: *librare in obliq. ictus* alibi uno verbo *obliquare* ensem. — *Gemitumque* etc. Breviter Callimachus, Ἁ πράτα πλαγεῖσα, κακὸν μέλος ἴαχεν ἄλλαις. — *Deoia*; olim edebatur *decidua*, quod quidam in *Dodonia* mutabant; multi e veteribus, *Deoida*, unde Heinsius fecit *Deoia*. Regius noster A, *Dodonia*; Regius B *Deoida*. Vide insuper ad VI, 114. Quum tot puellæ in arbores mutatæ traderentur, Hamadryadesque arbores incolere crederentur, fieri haud poterat, quin ex opinione Veterum aliquid tale accideret interdum, quale hic narratur. Confer Apollonium, II, 476 sqq. Simile aliquid habet et Virgilius, Æneid. III, 28 sqq. Posteriore loco *atro liquuntur sanguine guttæ, Et terram tabo maculant.*

762. *Discussa.* Olim *discusso*. Plerique (inter quos nostri Regii) *discusso sanguine cortex*. Heinsius mavult aut cum quarto Mediceo *discussus sanguine cortex*, aut cum uno Strozzæ, *discussa cortice sanguis.* — *Obstupuere.* Heinsius conjicit *Obstupuere animis*, quia *omnibus* mox seq. — Regii nostri servant *omnes.* — *Omnibus* mihi videtur de industria repetitum, neque adeo sollicitandum. *Omnes* quidem obstupuere, sed ex *omnibus* non nisi unus ausus est etc. — *Deterrere nefas*, deterrere Erisichthonem a facinore atque ita impedire nefas. Similis breviloquentia VII, 423. — *Adspicit*, ὑποβλέπει, limis et torvis oculis adspicit.

768. *Thessalus*; Erisichthon. *Ed.* — *Convertit*; Cantabr. *detorsit*, probante Burmanno. — *Repetita cæde*; vide ad IV, 733. — *Editus e medio sonus est*; apud Callimachum, ver-

« Nympha sub hoc ego sum Cereri gratissima ligno,
» Quæ tibi factorum pœnas instare tuorum
» Vaticinor moriens, nostri solatia leti. »
Persequitur scelus ille suum; labefactaque tandem
Ictibus innumeris, adductaque funibus arbor
Corruit, et multam prostravit pondere silvam.
Attonitæ Dryades damno nemorisque, suoque,
Omnes germanæ, Cererem cum vestibus atris
Mœrentes adeunt; pœnamque Erisichthonis orant.
Adnuit his; capitisque sui pulcherrima motu
Concussit gravidis oneratos messibus agros;
Moliturque genus pœnæ miserabile, si non
Ille suis esset nulli miserabilis actis,
Pestifera lacerare Fame: quæ quatenus ipsi
Non adeunda Deæ, neque enim Ceceremque, Famemque
Fata coire sinunt, montani numinis unam
Talibus agrestem compellat Oreada dictis:
« Est locus extremis Scythiæ glacialis in oris,

su 41, Ceres ipsa statim sentit arborem suam cædi. Assumta igitur sacerdotis specie, Erisichthonem morata satis oratione a facinore deterret. Ille vero minatur, se sacerdoti securim in corpus libraturum. Hinc Dea augustissima et immensa statura se ei exhibet, quo facto in fugam se dant famuli.

771. *Nympha sub hoc ego* etc. Servius ad Eclogam X Virgilii, Nymphæ, inquit, Hamadryades sunt, quæ cum arboribus nascuntur et pereunt, ἀπὸ τοῦ ἅμα, καὶ τῆς δρυός; qualis fuit illa quam Erisichthon occidit; qui quum arborem incideret, et vox inde erupit, et sanguis, sicut docet Ovidius, et Scaliger, Poetices lib. V, cap. 8. Nudis Callimachi rebus Ovidius addit ornamenta; veluti quum orationem attribuit Nymphæ. *Ed.*

780. *Adnuit his;* nutu concutit agros, ut Jupiter cælum, I, 179, et Neptunus undas, supra vers 603 sqq. — *Gravidi* proprie agri, sed poetis etiam messes et aristæ: *miserabile*, misericordiam excitans, sed mox *miserabilis*, commiseratione dignus. —*Lacerare*, graviter vexare.—*Fata non sinunt* ea, quæ per rerum naturam fieri nequeunt, v. c. ut alimentorum copia et fames una sint. —*Numinis* collective, numinum.— *Oreada;* Nympham montanam; Oreades namque montium sunt nymphæ, ἀπὸ τοῦ ὄρους, hoc est, a monte cognominatæ. *Ed.*

788. *Est locus extremis* etc. Quum locum horrendum designare vellent

» Triste solum, sterilis, sine fruge, sine arbore tellus;
» Frigus iners illic habitant, Pallorque, Tremorque,
» Et jejuna Fames: ea se in præcordia condat
» Sacrilegi scelerata jube: nec copia rerum
» Vincat eam; superetque meas certamine vires.
» Neve viæ spatium te terreat, accipe currus;
» Accipe, quos frenis alte moderere, dracones. »
Et dedit: illa dato subvecta per aera curru
Devenit in Scythiam; rigidique cacumine montis,
Caucason adpellant, serpentum colla levavit;
Quæsitamque Famem lapidoso vidit in agro
Unguibus, et raras vellentem dentibus herbas.
Hirtus erat crinis; cava lumina; pallor in ore;

poetæ veteres, *Scythiam* fere nominabant, de cujus frigoribus vide ad II, 224. Egregie autem patriam Famis describit. Confer ex Pont. I, III, 49 sqq.; III, 1, 11 sqq. — *Tristitia soli* est in ipsa *sterilitate*. Male putat *Gierig* scribendum *Triste cœlum*, quamvis similem dicat locum Horatii, I, Od. 22: *pigris ubi nulla campis Arbor æstiva recreatur aura; Quod latus mundi nebulæ malusque Jupiter urget.*—*Iners*, ab effectu, alibi *ignavum* aut *pigrum frigus*. — *Habitant* non mutandum; etenim sæpe Noster, ut monet Burmannus, præmittit verbum plurale sequentibus nominibus singularis numeri.

793. *Meas vires*, abundantiam frugum, quas ego largior. — *Certamen* illud infra describitur.—De Cereris *draconibus* et *curru* vide ad V, 642. —Pro *alte* Gebhard. II. Crep. 17 ex MSS. legit *alites*, quam vocem in duas syllabas contrahit. Nil mutandum; versu 813, *versis sublimis habenis*; ita et V, 648; VII, 222. Regii nostri *alte*.

798. *Caucasus* frigoris et horridæ solitudinis imago apud poetas.

799. *Quæsitamque Famem* etc. Sequitur insigne rursus exemplum phantasiæ Ovidianæ in hac Famis prosopopœia, cujus fœdam et odiosissimam imaginem ita ante oculos ponit, ut lectori item ferme accidat, quod Nimphæ vers. 812, *Visa tamen sensisse Famem*. Si quis pictor aut statuarius hanc imaginem exprimeret, nemo ejus adspectum sustineret. Recte Ernesti de hac prosopopœia et de imagine Erisichthonis jam somniantis cibum: « Quæ nisi admirer, nihil viderim ». Omnibus istis bonis caret Callim. qui unum illud monet, Cererem ei injecisse ardentissimam et improbam famem. Cum hoc loco confer. Quintil. Decl. XII, p. m. 210; Sil. II, 461; Claudianus, XV, 21 sqq.

800. *Raras* Heinsius ex MS. Bononiensi dederat; Burmannus tamen revocavit *raris*, tum quia reliquis omnibus, ut crini, labris, faucibus etc. epitheta, quæ deformitatem

Labra incana situ; scabri rubigine dentes;
Dura cutis, per quam spectari viscera possent;
Ossa sub incurvis exstabant arida lumbis;
Ventris erat pro ventre locus: pendere putares
Pectus, et a spinæ tantummodo crate teneri.
Auxerat articulos macies, genuumque rigebat
Orbis, et immodico prodibant tubere tali.
Hanc procul ut vidit, neque enim est accedere juxta
Ausa, refert mandata Deæ; paulumque morata,
Quanquam aberat longe, quanquam modo venerat illuc,
Visa tamen sensisse Famem; retroque dracones

designant, addita sunt, tum quia omnes (et nostri etiam Regii), præter unum, Codices a exhibent. Ego vero Heinsium secutus sum. Nondum enim poeta Famem describit, sed ejus agrum *raras* herbas habentem. Et quo jure Fami *raros dentes* dedisset? Dentes enim illa non excutit. — *Cava lumina*, quia Fames exedit pulvillos carnis, qui cingunt oculos, eosque tollunt. Quintil. *Cavum macie caput, conditi penitus oculi, destitutæ genæ.* Claudianus, *oculi jacentes interius.* Labra etiam absumta fingere potuisset. Quintil. *nudos labris trementibus dentes.*— Mox revocavi *scabri dentes*, quod Ciofanus et Heinsius præ altero *scabræ fauces* spreverant. Ovidius non nisi externam Famis formam describit, *faucium* autem *rubigo* non æque ac Quintil. *inanes faucium sinus*, cerni poterat. Neque *dentes* antea descripti, sed obiter tantum memorati erant.—*Dura cutis;* unus Mediceus *dira. Dura*, densata succis exsiccatis. Confer, VII, 599. Quintil. vero *laxam cutem* habet; *luridam* Silius. — Pro *spectari* Lovaniensis *numerari*, quod valde adblanditur Burmanno, ut VI, 391, *numerare fibras.* Nostri Regii, *spectari.*—*Ossa* etc. Pro his Quintil. *tergum ossibus inæquale.*

805. *Ventris* etc. Sic, XIII, 564, *loca luminis.* II, Fast. 280, *Hic ubi nunc urbs est, tum locus urbis erat.*— *Pendere*, non inniti ventri.—*Auxerat* etc. Lenzius, longiora reddiderat membra. Malim, *fecerat*, ut plures articuli, qui proprie dicuntur, in conspectum prodirent. —*Rigebat;* Regii nostri *tumebat;* non male, nam γονυκαχὴς, de quo infra, significat, tumida genua habens. *Ed.* — *Immodico* etc. At eorum, qui fame laborant, pedes tumescunt, quum alia membra marcescant. Inde Hesiodus, Scut. 264, de homine inedia confecto, γονυκαχὴς. Vide Grævium, Lectt. Hesiod. 19. — *Tubere tali;* Heinsio e Florent. et uno Bonon., placet *tubera talo;* non item Burmanno, quia *tali*, qui in pinguibus latent, in Fame velut *tuber* prodierint. Nostri Regii *tubere tali.*

809. *Hanc procul ut vidit*, etc. Similis aversatio Minervæ, conspecta Invidia, II, 766. — *Quanquam* non sine vi repetitur, ut festinatio et aversatio Nymphæ describatur.

Egit in Hæmoniam, versis sublimis habenis.
Dicta Fames Cereris, quamvis contraria semper
Illius est operi, peragit; perque aera vento
Ad jussam delata domum est; et protinus intrat
Sacrilegi thalamos; altoque sopore solutum,
Noctis erat tempus, geminis amplectitur alis;
Seque viro inspirat, faucesque et pectus et ora
Adflat, et in vacuis spargit jejunia venis;
Functaque mandato fecundum deserit orbem;
Inque domos inopes, adsueta revertitur antra.
Lenis adhuc somnus placidis Erisichthona pennis
Mulcebat: petit ille dapes sub imagine somni;
Oraque vana movet, dentemque in dente fatigat;
Exercetque cibo delusum guttur inani;
Proque epulis tenues nequicquam devorat auras.
Ut vero est expulsa quies, furit ardor edendi;

815. *Vento.* Neapolitanus, primus Mediceus, primus Basileensis, primus Hamburg. et pro diversa lectione Florentinus S. Marci *vecta.* Nostri Regii *vento.*—Adeo levis erat præ macie fames, ut *vento* ferri posset. BURM. Et opus erat tali vehiculo, quia Fames tarde incedit et corpus trahit. — *Solutum.* Vide ad VII, 185.—Quum tot Dii *alati* fingerentur, etiam Fami *alas* dare Ovidius potuit. Sic *Furia alata* Æneid. VII, 408. Vulgo tamen h. l. *ulnis.* —*Se inspirat,* Fames persona edendi rabiem inspirat. Simile quid, XI, 621, *in vacuis venis.* Silius, *exurit siccatas sanguine venas.*

823. *Lenis adhuc* etc. Sequitur imago somniantis cibum, quam admiremur non minus, quam superiora. Somnus est Deus *alatus.* Sic apparet in monumentis, v. c. apud Gruter. Thes. CCCIV, 9. Conf. Cuperi Apotheos. Hom. p. 178. Propert. I, III, 45: *Dum me jucundis lapsam sopor impulit alis.*—*Mulcere*, ut μαλάσσειν et μαλθακίζειν, eleganter de somno. Vide Valken. ad Euripidis Hippolytum, vers. 303. — *Sub imagine somni*, somnians; IX, 473–79. Jam in descriptione frustra mandentis singula verba bene delecta.—*Vana* pro adverbio, frustra. — *Fatigare* eleganter de rebus, quibus quis abutitur.—*Exercere,* usque occupatum tenere et sic labores creare. —*Inania*, quæ per quietem objiciuntur. Apud Silium I, 69, Hannibal somnians *inania bella gerit.*

828. *Ardor edendi.* Callimachus, vers. 67, λιμὸς αἴθων, ardens fames. Eidem βούπεινα et βούβρωστις dicitur, de quibus vide Spanhem. ad vers. 103.—Bene *immensa*, quia expleri et satiari haud poterant, quasi immensa essent. Erant immensa vo-

Perque avidas fauces, immensaque viscera regnat.
Nec mora : quod pontus, quod terra, quod educat aer,
Poscit; et adpositis queritur jejunia mensis;
Inque epulis epulas quærit : quodque urbibus esse,
Quodque satis populo poterat, non sufficit uni;
Plusque cupit, quo plura suam demittit in alvum.
Utque fretum recipit de tota flumina terra,
Nec satiatur aquis, peregrinosque ebibit amnes;
Utque rapax ignis non unquam alimenta recusat,
Innumerasque trabes cremat; et, quo copia major
Est data, plura petit; turbaque voracior ipsa est :
Sic epulas omnes Erisichthonis ora profani
Accipiunt, poscuntque simul : cibus omnis in illo

rago, aut immensum mare. Mox *alti voragine ventris*. Ib. 387, *vasta Polyphemi alvus*. Boeth. IV, Metr. 9, *immanis Polyphemi alvus*. Burmannus tamen probat conject. Heinsii, *incensaque;* hoc enim *ardori edendi*, præcedenti *avidas* et mox *flammæ gulæ* respondere.—*Fauces avidæ* bene memorantur, quia voraces serviunt fauci. In describenda autem hac voracitate Callimachum expressisse videtur, quod etiam Scaliger fatetur.

830. *Educat*, alit. Horatius, I, Ep. XV. *Tractus uter plures lepores, uter educet apros*. — *Inque epulis* etc. sententia ingeniosa, quales plures sequuntur vers. 841 sqq.—*Quærere*, desiderare. II, Amorr. II, 43, de Tantalo, *Quærit aquas in aquis*. — *Quodque urbibus* etc. prodigialiter rem auxit.

834. *Plusque cupit;* prior Gronovii, *Plusque sitit*, quod Heinsius venustum judicat, nempe quia *sitire* omnino, cupidum esse. Idem cum Græviano aliisque nonnullis *capit* etiam posse legi putat. Regii nostri *cupit*. Callim vers. 69, σχίτλιος ὅσσα πάσαιτο, τόσων ἴχεν ἵμερος αὖτις. *Demittere* interdum librarii pro longe efficaciore *demergere* reposuerunt. XV, 105, in Ibide vers. 387 : Phædr. IV, fab. v, 9, *avidis dentibus Capacis alvi mersit tartareo specu*.

835. *Utque fretum* etc. Callimach. 90, τὰ δ' ἰς βυθὸν οἷα θαλάσσας Ἀλεμάτως ἀχάριστα κατίῤῥειν ἴδατα πάντα. Paulo ante, πανάμερος εἰλαπιναστὰς Ἤσθιε μυρία πάντα· κακὰ δ' ἰξάλλετο γαστὴρ Αἰεὶ μᾶλλον ἴδοντι.—*Recipit*, quia omnes aquas habent ex mari; quanquam *recipere* etiam pro *accipere*, quod IV, 440, in eadem similitudine legitur.— *Utque rapax.... ipsa est;* hæc redundantia verborum urgentur.—*Trabes* cum uno Ciofani, Cælestino, Florentino S. Marci. Jureti excerptis, Moreti et uno Heinsii malui, quam *faces*, quia igni tam rapaci accommodatius. Recte judicavit Cl. *Gierig*, etiamsi nostri Regii habent *faces*.

841. *Accipiunt, poscuntque* etc.

Causa cibi est; semperque locus fit inanis edendo :
Jamque fame patrias altique voragine ventris,
Attenuarat opes; sed inattenuata manebas
Tum quoque, dira fames; implacatæque vigebat
Flamma gulæ : tandem, demisso in viscera censu,
Filia restabat, non illo digna parente :
Hanc quoque vendit inops; dominum generosa recusat;
Et vicina suas tendens super æquora palmas,
« Eripe me domino, qui raptæ præmia nobis
» Virginitatis habes, » ait : hæc Neptunus habebat;
Qui prece non spreta, quamvis modo visa sequenti
Esset hero, formamque novat, vultumque virilem
Induit, et cultus piscem capientibus aptos.
Hanc dominus spectans; « O qui pendentia parvo

quod versu 834, simpliciter dixerat, *Plusque cupit* etc. id nunc pluribus oxymoris exaggerat. Apud Callim. 114, absorbet βαθὺν οἶκον, *lautam rem familiarem*. Deinde commemorantur pecora, quæ ex stabulis voraverit, muli, equi, boves, feles etiam. —*Alti ventris*; Suetonius, Vitell. 13, *profunda gula*.—*Voraginem* patrimonii Cic. Sext. 52, hominem nepotem dixit. Similia apud Horatium, I, Ep. xv, extr. de edaci parasito leguntur.—*Inattenuata*, non fracta, non satiata. Usus est hoc vocabulo quia dixerat, *Attenuarat opes*. —*Implacatæ*, insatiabilis. Horatius, Sat. II, VIII, 5, *Placaverit ventrem iratum esca*; Statius, Ach. II : *Ut placata fames epulis bis terque repostis*; Theb. X, *Rabies placata cruore*. Infra, XV, 94.

846. *Censu*, opibus. Devoratis bonis apud Callimachum mendicans sedet in triviis. Noster autem redit ad Erisichthonis filiam, cujus causa omnem hanc narrationem instituerat, versu 738. Transformis fuisse forte fingebatur, quia omnia tentaverat, ut patrem aleret.

847. *Hanc*. Is. Tzetzes ad illa Lycophronis τῆς παντομόρφου βασσάρας λαμπουρίδος Τόχηος, ἥτ' ἀλφαῖσι ταῖς καθ' ἡμέραν Βούκτιναν ἀλθαίνεσκεν ἀκμαίαν πατρὸς : vocat hanc Μήστραν, et φαρμακίδα fuisse ait, quam in varias animalium formas mutatam pater vendidit, quæ paulo post recepta sua forma ad patrem reversa est. Antoninus Liberalis Ὑπερμήστραν nominat, et quæ pro muliere vendita, mox in virum mutata, patri suo hinc alimenta suppeditarit. *Ed.*

851. *Neptunus*. Ejus atavus apud Callimachum, versu 97; sed hic alia causa eum mulieri jungit.—Exponit poeta id quod puella tacuerat, a Neptuno fuisse raptam. *Ed.*—*Formamque novat*; Burmannus cum quibusdam mallet *formamque novam*, sine causa.—*Cultus* etiam ad instrumenta piscatoria referendus. Ornate piscatorem describit.

» Æra cibo celas, moderator arundinis, inquit,
» Sic mare compositum, sic sit tibi piscis in unda
» Credulus, et nullos, nisi fixus, sentiat hamos:
» Quæ modo cum vili turbatis veste capillis
» Litore in hoc steterat, nam stantem in litore vidi,
» Dic, ubi sit; neque enim vestigia longius exstant. »
Illa Dei munus bene cedere sentit; et a se
Se quæri gaudens, his est resecuta rogantem:
« Quisquis es, ignoscas; in nullam lumina partem
» Gurgite ab hoc flexi; studioque operatus inhæsi:
» Quoque minus dubites, sic has Deus æquoris artes
» Adjuvet, ut nemo jamdudum litore in isto,
» Me tamen excepto, nec femina constitit ulla. »
Credidit, et verso dominus pede pressit arenam;
Elususque abiit: illi sua reddita forma est.
Ast ubi habere suam transformia corpora sentit,
Sæpe pater dominis Triopeida vendit: at illa
Nunc equa, nunc ales, modo bos, modo cervus abibat;
Præbebatque avido non justa alimenta parenti.

856. *Æra*, hamus. Etiam, VI, Fast. 240. *Quique tegunt parvis æra recurva cibis*.—*Sic* adhibetur, quum obtestando aliquid ab altero petimus, eique vicissim aliquid apprecamur. Hoc loco votum piscatori gratissimum.—*Composita*. quæcumque placida, ut homo a feritate ad mansuetudinem revocatus, civitas pace fruens, mare ventis non agitatum. — *Credulitas* piscium etiam, XIII, 934.

862. *A se se quæri* dictum, ut II, 704, *Me mihi prodis?*—*Resecuta* vide ad VI, 36.—*Studio*. piscationi, *operatus*, operam dans. Supra, VII, 751, *studiis operata Dianæ*. Virgilius, Æn. III, 236, *Connubiis operata juventus*.—*Inhæsi* attentionem declarat. *Artes* idem quam studium. Posterior pars responsionis non satis convenit priori, qua negat se ullam in partem oculos flexisse.

871. *Transformia*, quæ transire possunt in alias formas. Fast. I, 373. *Transformis Proteus*. Palæphatus, cap. 24, putat, amantes ventitasse ad formosulam Metran, tauros, equos, oves offerentes, quibus Erisichthon pater ditesceret. Hinc fluxisse fabulam. — Erisichthon, ubi bona sua omnia luxu dilapidasset, demum et filiam prostituit: illius vero ætatis homines, ante cusas pecunias, pecora aliasque merces invicem permutabant. Illa itaque, ab

Vis tamen illa mali postquam consumserat omnem
Materiam, dederatque gravi nova pabula morbo,
Ipse suos artus lacero divellere morsu
Cœpit, et infelix minuendo corpus alebat.
Quid moror externis? etiam mihi sæpe novandi
Corporis, o juvenes, numero finita potestas.
Nam modo, quod nunc sum, videor; modo flector in anguem:
Armenti modo dux vires in cornua sumo;
Cornua, dum potui; nunc pars caret altera telo
Frontis, ut ipse vides: gemitus sunt verba secuti. »

hoc accepto ove, bove ab alio, alia ab aliis mercede, et suæ et paternæ subvenit inediæ: atque hinc natam fabulam dicunt quidam, quod est verisimillimum. *Ed.*

876. *Materiam*, opes, rem familiarem. In sequentibus hæsere interpretes. Schirachius *dare nova pabula morbo* explicat, augere morbum. Sed vir doctus non curabat totam sententiam, quum hæc scriberet.—*Vis mali*, id est, morbus ille gravis, augebat morbum. —Vere haud dubie Burmannus conjicit *decrantque gravi nova pabula morbo lacero*, lacerante. *Lacerari morsu*, id est, morderi, dixit Phædrus, II, III, I.

880. *O juvenes*. Theseum et Lelega alloquitur Achelous. *Ed.*—*Numero finita*, quia in taurum tantum et anguem mutari poterat, quum Proteo in omnia transire liceret. — *Flector*, mutor, sed accommodate ad naturam anguium. II, 138.—*Vires in cornua sumo*, cornibus valeo.

883. *Cornua, dum potui*. Quidam, teste Heinsio, *Cornua dum sumsi*: sed lectionem receptam elegantemque habent bene Regii nostri, Jureti excerpta, Florentinus S. Marci, Neapolitanus, secundus Mediceus et quatuor alii cum Arundeliano; ut τὸ *sumsi* subintelligatur: tertius Mediceus et secundus Vaticanus *dum gessi*. Virgilius, Æneid. XI, 823, *Hactenus, Acca soror, potui; nunc vulnus acerbum Conficit*; ubi Servius: « absolute, vel pugnare vel » vivere; necessaria enim eclipsis » in defectione, qua ex arte non » semel posita est; » ubi *necessaria enim ellipsis* scribendum. *Ed.*

N. B. Argumentum hujus Libri noni Metamorphoseon relatum invenies in serie CANTERI, tom. III, pag. 39.

P. OVIDII NASONIS
METAMORPHOSEON
LIBER NONUS.

FAB. I. QUÆ gemitus, truncæque Deo Neptunius heros
Causa rogat frontis; quum sic Calydonius amnis

1-100. *Achelous*, luctans cum Hercule propter Dejaniræ conjugium, ter ab adversario vincitur in varias formas mutatus, et ad extremum altero cornu privatur. Ducta est fabula e Sophoclis Trach. init. Confer. Diodorus Sic. IV, 34 sqq.; Strabo, lib. X, pag. 458; Apollodorus, II, VII, 5; Schol. Homeri ad Il. Φ, 194; Hygini fabula 31. Monumentum cedrinum et inauratum referens Herculis cum Acheloo pugnam, spectabatur apud Megarenses, in quo Mars Acheloo, Herculi Minerva aderat, adstantibus etiam Jove et Dejanira; Pausanias, Eliac. II, p. 500. Cernebatur etiam in solio Amyclæi. Idem p. 256. Mole exstructa Herculem coercuisse hunc fluvium, rapiditate sua multum damni inferentem accolis, jam olim suspicabantur; vid. Strabo, d. l. Ea latius persequitur Heynius in *Antiq. Aufsaetzen*, tom. I, p. 57, ubi monet, hac fabula vel maxime illustrari imagines et sermonem poetarum antiquissimorum, eamdemque facillime posse explicari. — Qui non recens a libri superioris lectione nexum quærit, respiciat ad VIII, 548 sqq., et 884 ad finem. — *Neptunius heros*, Theseus, cujus cum matre Æthra *Neptunus* et Ægeus una nocte concubuisse credebantur; Meursius, in Thes. 1. — *Gementem*, aut *mærentem*, *tristem*, *pudibundum* inducere Acheloum solent poetæ, quod exemplis docet Broukhusius, ad Propertium, II, XXV, 34. — *Trunca frons*, cujus alterum cornu truncatum et revulsum, vers. 86; Boethius, de Consolatione Philos. IV, *Fronte turpatus Achelous*; Silius Ital. III, 42, *frontem minor truncam amnis Acarnan*; sed hoc loco *Calydonius*, quia Achelous inter Ætolos, quorum urbs *Calydon*, et Acarnanes in mare defluit. Solemne autem Veteribus, fluviis vel propter mugitum aquarum (Scamander μεμυκὼς ἠΰτε ταῦρος apud Homerum, Il. Φ, 237,) vel propter curvaturas eorum, quæ cornuum figuram referunt, taurina aut capita, aut cornua tribuere; Strabo, dicto loco. Acheloi nostri caput cornutum exstat in monumentis;

Cœpit, inornatos redimitus arundine crines :
« Triste petis munus : quis enim sua prælia victus
Commemorare velit? referam tamen ordine : nec tam
Turpe fuit vinci, quam contendisse decorum est;
Magnaque dat nobis tantus solatia victor.
Nomine si qua suo tandem pervenit ad aures
Dejanira tuas ; quondam pulcherrima virgo,
Multorumque fuit spes invidiosa procorum.
Cum quibus ut soceri domus est intrata petiti ;
« Accipe me generum, dixi, Parthaone nate. »

vid. Spanhemius, de usu et præstantia Numismatum, diss. VII, p. 490 : confer. Jani ad Horatium, IV, Od. XIV, 25. — *Inornatos ;* tertius Mediceus inepte *inauratos.* Horridi et inculti pingebantur Fluvii. Vide v. c. Rheni descriptionem apud Claudianum Cons. Olyb. 210 sqq. — *Arundo* insigne Fluviorum, quo coronari solebant. Virgilius, Æneid. VIII, 33 : *eum tenuis glauco velabat amictu Carbasus, et crines umbrosa tegebat arundo.* Confer etiam locum Vellei. Paterc. II, 83.

4. *Triste petis munus :* etc. Talia præfari solent, rem ingratam narrare jussi. — *Prælia* dignius quam colluctatio, certamen.—*Referre ordine* formula solemnis, totam rei seriem narrare, non summatim. V, 335. — *Nec tam Turpe* etc. Vere e sensu Græcorum : vide in XIII, 19. Mors etiam a viro forti et a bestia majore illata minus acerba habebatur ; V, 191 ; Ælianus, Variar. Histor. XIV, 4 ; quem sensum leoni etiam tribuit Phædrus, I, fab. 21. — *Decorum*, gloriosum ; Cicero, Brut. I, de Hortensio : *cum quo certare erat gloriosius, quam omnino adversarium non habere.* Victus tamen Achelous erat, quum Hercules nondum Deus esset, adeoque turpe duxerat ei cedere ; vers. 16. — *Est* post *decorum* omittunt Palatin. et tres alii. — Regii nostri hoc verb. servant. — *Tantus victor*, quantus Hercules fuit. Vide quæ fuerit interpretatio vers. 191, lib. V : *Magna feres tacitas solatia mortis ad umbras, A tanto cecidisse viro.* Ed.

8. *Tandem* Regius interpretatur, aliquando ; Burmann. hoc non concoquit, sed corruptum voc. putat, quod et Heinsio visum sit, qui margini adscripserit : forte, *forsan.* Ipse malit, *fando*, ut XV, 497 ; Virgil. Æneid. II, 81. Mihi tamen hoc parum placet propter ingratum sonum, *suo fando.* Usitatius est, *si forte*, ut VII, 694, et sæpe.—Regii nostri habent *tandem.* — *Dejanira nomine suo* pro vulgari, nomen Dejaniræ. Quum addit *qua*, indicat, non satis celebrem fuisse mulierem : quod tamen melius forte omisisset. —*Multorumque* etc. Idem versus legitur IV, 794 (ubi vide quæ Cl. *Gierig* dixerit, et quæ exempla ex Propertio attulerit).

11. *Petere*, ut αἰτεῖν, proprie de procis puellam ambientibus ; vid. Cerda ad Virgilium, Æn. VII, 54.

12. *Accipe me generum.* Missis mo-

Dixit et Alcides : alii cessere duobus.
Ille Iovem socerum dare se, famamque laborum,
Et superata suæ referebat jussa novercæ.
Contra ego : turpe Deum mortali cedere duxi ;
Nondum erat ille Deus ; « Regem me cernis aquarum

re antiquissimo ambagibus, rem ipsam proponit : *accipere*, ut λαμβάνειν, proprie de adoptione ; vid. Corte ad Sallustium Jug. 10, (et quæ collega noster doctis. J. L. BURNOUF ad eumdem locum dixerit, nost. edit. p. 158. *Ed.*) Hinc etiam bene, *accipere generum*, ut alibi, *accipere amicum*, *in amicitiam*, *in matrimonium* : supra, II, 526, *sumere socerum*, et Heroid. VI, 80, *sumere nurum*. — *Parthaone natus*, Œneus, de quo libro superiori. Hujus filiam Dejaniram faciunt et alii, paucis dissentientibus, qui ei Dexamenum patrem dant, vel Bacchum. Eam, auctore Diod. Hercules duxit, Meleagro exstincto. Meleagri umbra impulsus, quum esset apud inferos, duxisse eam traditur a Schol. Homeri, Il. Φ : secundum Homerum, Il. Ξ, 115, Porthei filius fuit Œneus. — *Alcides*, Alcei nepos, dictus creditur, dum in terris versabatur, *Hercules* autem in cælum receptus ; Cerda ad Virgil. VIII, 203. — *Alii*, cæteri. Auctore Lactantio, in Argumento, pater promiserat, se filiam daturum ei, qui lucta vicisset : hinc cæteri proci, metu perculsi, *cesserunt* Herculi et Acheloo.

14. *Ille Jovem socerum* etc. Nobilem se genere, clarum rebus gestis jactat, ut Perseus Andromedam ambiens, IV, 357. — *Dat*, tanquam munus, ea, in quorum societatem ventura erat conjux futura. — Mirari licet, placuisse Heinsio et Burmanno, quod in Græviano MS. legitur, *summamque laborum* : etenim *summa laborum* vel universos labores significat, vel maximum laborem. Sed Dejanira profecto et hunc et illos recusasset. — *Novercæ*, Junonis, qua postulante, Eurystheus Herculem ad labores istos adegerat : Seneca, Herc. Fur. 34, 41. *Novercales stimulos* vocat Claudianus, R. P. II, præf. 29. — *Superare*, exsequi. Ea *jussa* Hercules ipse vers. 69 sqq., 182 sqq. recenset.

16. *Turpe Deum* etc. Attemperata est hæc Acheloi oratio cupiditati proci, puellam ambientis ; suas virtutes commendat, rivalis autem laudes invidiose minuit. — *Duxi*. Quum antea *dixi* (quod habent nostri Regii) vulgaretur, Heinsius ex uno Strozzæ *duxi* recepit. Quanquam ne sic quidem verba satis bene juncta procurrunt. Itaque idem suasit aut *ducens*, aut sic : *Contra ego, turpe ratus mortali cedere, dixi*. Forte melius erit ex Heinsii emendatione, *ducens*. Sed τὸ *Deum* nolim tentari, quia in opposit. *Deum mortali* magna vis. — *Nondum erat ille Deus* ; ἀποθέωσιν ejus habes infra, 240. *Ed.* — *Regem* dedit Heinsius cum Neapolitano primo, Mediceo secundo, Norico et duobus aliis ; vulgo *dominum* (quod habet Regius noster A) ; multi veteres (inter quos Regius B) *numen*. Quoniam divinitatem suam jactat et *regna* sequitur, possis non male legere *numen* : ita II Amor. xiv, 13, et Fast. IV, 531, *numen aquarum*. — *Me cernis regem*

» Cursibus obliquis intra tua regna fluentum.
» Nec gener externis hospes tibi missus ab oris,
» Sed popularis ero, et rerum pars una tuarum.
» Tantum ne noceat, quod me nec regia Juno
» Odit, et omnis abest jussorum pœna laborum.
» Nam quod te jactas Alcmena matre creatum;
» Juppiter aut falsus pater est, aut crimine verus:
» Matris adulterio patrem petis: elige fictum
» Esse Jovem malis, an te per dedecus ortum. »
Talia dicentem jamdudum lumine torvo

pro simplici, sum rex, quia coram hæc dicebat. — *Cursibus obliquis* tantum ornatus causa additum.

19. *Nec gener hospes* etc. Cum *hospite* sive advena matrimonium inire summum dedecus apud Græcos. Etiam in *tibi missus* aliquid invidiæ est; et *oris* contemtim additum, quasi nesciret, unde esset Hercules. — *Popularis*, δημότης, qui est ejusdem populi. — *Rerum tuarum*, regni tui, ut VII, 509: sed Gronovius, Observat. IV, p. 706, *res* hoc loco interpretatur subditos: sic sane, VII, 522, *pars*: Heroid. III, 46, *patriæ pars ego magna meæ*; infra, XI, 216, *pars militiæ*. — *Una*; Lovaniensis, *pars priva*, id est propria, quod Burmannus non credit ab indocto librario profectum; ita illum dicere, se totum esse in ejus regno et ditione. Verum Ovidius non amat obsoleta. Regii nostri, *pars una*.

21. *Tantum ne noceat*, etc. Satis acerbe respondet et ad rerum gestarum gloriam et ad generis nobilitatem. De *nec... et* vide ad II, 42. — *Pœna laborum*, labores pœnæ loco impositi, non sponte suscepti. Bene autem *pœnam* memorat, et *jussos* labores, quia sic minuitur gloria actorum. — *Omnis abest* a me *pœna*; ad nullos unquam labores condemnatus sum.

23. *Nam quod te* etc. Dilemmate admodum molesto premit Herculem. *Nam* alterum multo minus nocet. — *Quod te*; secundus Palatinus, *quo te?* cum nota interrogationis: Regius A, *quo*; Regius B, *quod*: hoc præstantius videtur. *Ed.* — *Jactas*, dicis, fateris. — *Falsus*, fictus. Etiam, I, 754, *falsus genitor*, sed III, 558, elegantius *adsumtus pater*. — *Crimen* passim absolute de adulterio. Ut Hercules sentiat vim omnem opprobrii, clarioribus verbis repetit, *Matris adulterio* etc. matrem facis adulteram, ut Jovem patrem habeas. Capoferreus *matris... petis* per interrogationem efferendum censet. — *Elige*, utrum *fictum* patrem *esse Jovem malis*, etc. Pro *fictum* Junianus repetit *falsum*. Ita et nostri Regii. — *Dedecus*, adulterium, ut II, 473.

27. *Jamdudum*, continuo. Vix exspectare potest finem orationis. — *Torvo* (quod bene habent nostri Regii): Leidensis, *torto*, ut, II, 787, *obliquum lumen*, quod Burmannus comparat: at ibi de invidia, nunc de ira sermo est. — Bene *non fortiter*; fortis enim animi est,

Spectat; et accensæ non fortiter imperat iræ,
Verbaque tot reddit: « Melior mihi dextera lingua:
» Dummodo pugnando superem, tu vince loquendo. »
Congrediturque ferox: puduit modo magna locutum
Cedere: rejeci viridem de corpore vestem,
Brachiaque opposui, tenuique a pectore varas
In statione manus; et pugnæ membra paravi.
Ille cavis hausto spargit me pulvere palmis,

imperare adfectibus. Qui id non potest, *impotens* dicitur. — *Melior mihi* etc. Cf. XIII, 9. Est sermo hominis corporis robore, non item ingenio valentis, nec crimina repellere sustinentis. Et Herculis ætate nihil gloriosius corporis robore. *Melior*, valentior et exercitatior.

31. *Congrediturque* etc. Non credibile est, eos in ipso Œnei conclavi congressos esse, neque hoc sequentia credere sinunt; sed quum ibi alter alterum provocasset ad certamen, elegerunt extra domum aream colluctationi aptam.—*Ferox*, iratus.— *Magna loqui*, gloriari. Vide ad I, 751. Alibi *magnifica dicere*, ut Tibul. I, Eleg. v, 6; II, vi, 11. Gloriantibus tribuuntur et *magna verba*, Senec. Ep. 82; et *magna lingua*, Horat. IV, Od. vi, 1; Sophocl. Antig. 108, μεγάλης γλώσσης κόμπους. Contrarium est, *verbis minoribus uti*, VI, 151.

32. *Rejeci.... vestem*, etc. Parat se pugnæ. *Viridem vestem* Fluviis tribuebant poetæ, quia ripæ viridibus herbis consitæ. *Rejeci*, scilicet in tergum, quo sensu proprie *rejicere* dicitur. Id autem facere solebant, qui se ad pugnam parabant; Suetonius, in Augusto, 26; Phædrus, V, fab. 11, 3; item ad pugilatum; Virgilius, Æn. V, 421: *Hæc fatus, duplicem ex humeris rejecit amictum.* Sed hoc loco forte pro *dejeci*, nisi ita legi malis. Græci instituebant luctam ante Acanthum Lacedæm., qui vixit Olympiad. XV, succincti (sic etiam apud Homerum, Il. Ψ, 710) postea nudi; vid. Dionysius Halic. Antiq. Rom. VII, cap. 72: habemus autem hic locum classicum de lucta, antiquissima omnium certaminum, (Plutarch. Sympos. II, 4) qua inprimis excellebat Hercules. Noster singulos motus ita descripsit, ut res subjecta oculis videatur. — *Varas*; Vivianus et alii, *curvas*. quod fluxit vel ex interpretatione, vel ex ignorantia vocis *varas*, quam interpretor projectas et recurvas: passim *brachia* vara luctantium; vid. Heinsius. — Haud dubie ex interpretatione irrepsit *curvas*, quod glossa interlineari dat Codex noster Regius B, qui cum Codice A habet *varas* in textu. Et si quid interpretatione doctiss. *Gierig* addi possit, dicam, *varas*, incurvatas instar varorum, quibus crura oborta. *Ed.*— *Statio*, gestus luctantium. De verbi *stare* hoc sensu vid. Broukhus. ad Propertium, III, Eleg. xii, 7.

35. *Ille cavis* etc. De hac pulveris palæstrica adspersione vid. Salmasius ad Tertull. Pall. p. 217; et Mercurialis, de Arte Gymn. I, 8. In palæstra fiebat, postquam oleo corpus unxerant, ut melius pulvis hæ-

Inque vicem fulvæ tactu flavescit arenæ :
Et modo cervicem, modo crura micantia captat,
Aut captare putes, omnique a parte lacessit :
Me mea defendit gravitas, frustraque petebar :
Haud secus ac moles, quam magno murmure fluctus
Oppugnant; manet illa, suoque est pondere tuta.
Digredimur paulum, rursumque ad bella coimus;

reret, eoque induceretur cutis; nam sic eo facilius adversarius capi poterat. Hoc loco nulla unctionis mentio.—*Flavescit*, verbum delectum, quia arena flava. Etiam Martialis, VII, Epigram. LXVI, 5, *flavescere haphe*. Nempe *haphe*, Græcis, ἁφή, tactus pulveris. Vide Gronovium, Observ. III, 18, qui etiam hoc loco tuetur *tactu:* quod idem Hermolaus ad Plinium, Hist. Nat. XXXVIII, 10, agnoscebat. Recte, fuit enim ἁφή, *tactus*, verbum proprium de hac pulveris adspersione. Id ergo revocavi. Barth. *jactu* reponendum censuit, quod et præferunt alter Hamburg. Rottendorph. et tres alii: inde recepit Heinsius, approbante Burmanno. Sed in locis ab Heinsio et Burmanno allatis, in quibus jactus pulveris commemoratur, sermo non est de luctatoribus. Regii nostri habent *tactu*, quod videtur rectum. *Ed.*

37. *Crura micantia* Safftius vertit *glaenzende Schenkel*. Sed unde nunc ille splendor? Nec membra vel maxime oleo uncta facile quisquam dixerit *micantia*. Itaque *micantia* sunt celeriter mota; talis enim motus fuit in artibus palæstricis. Virgilius, Æneid. V, 430, in cæstus descriptione : *Ille pedum melior motu, hic membris et mole valens*, qua et ipse valebat Achelous, vers. 39. Et quoniam celeritate pedum effugiebat captationes adversarii, propterea ingeniose addit, *aut captare putes*. —*Trementia*, quod habent quatuor MSS., scilicet, Lovaniensis, Argentor. Mediceus et Strozzæ, glossa esse videtur. *Tremere* enim de crebro et celeri motu dicitur. Etiam Homerus, Od. Θ, 265, celerrimos motus saltantium vocat μαρμαρυγὰς ποδῶν, *coruscationes*, *micationes* pedum. Metaphora haud dubie a celeri ignis motu petita. Ambo nostri Regii habent *micantia*. — *Aut captare putes*; Schepperus vult legi *putat*.—*Lacessit*; quidam, inter quos unus Heinsii, non indocte *fatigat :* hoc enim verbum omnino frequentare, crebro aliquid facere, tractare, movere significat. Apud Virgilium, *fatigare silvas venatu*, *cælum clamore* et alia. — *Gravitas*, moles corporis.—*Defendit* a lapsu.— *Petere* et de ictibus gladiatorum et de captationibus luctantium dicitur.

40. *Haud secus ac moles*; hoc vocabulum, *moles*, quo Virgil. usus, peperit haud dubie similitudinem seq. Nisi Noster respexit Æneid. X, 693, ubi de Mezentio pugnante: *Ille, velut rupes, vastum quæ prodit in æquor, Obvia ventorum furiis, expostaque ponto* etc. *Manet*. ut I, 288. — *Oppugnant*; Codex Regius A, *oppugnat*.

42. *Rursumque ad*; Codex Regius A, *rursus ad*; Codex B, *rursusque*

Inque gradu stetimus, certi non cedere; eratque
Cum pede pes junctus: totoque ego pectore pronus
Et digitos digitis, et frontem fronte premebam.
Non aliter fortes vidi concurrere tauros,
Quum pretium pugnæ, toto nitidissima saltu,
Expetitur conjux: spectant armenta, paventque
Nescia quem maneat tanti victoria regni.
Ter sine profectu voluit nitentia contra
Rejicere Alcides a se mea pectora: quarto

ad. — *Bellum*, ut πόλεμος, de pugna. — *Coimus*, congredimur. Terent. Ph. II, II, 32, *prima coitio est acerrima.* — *Inque gradu*; quatuor MSS. *jamque gradu.* Heinsius conjicit *jamque gradum stitimus.* — Regii nostri nihil mutant. — *Gradus* idem quod status luctantium. Conabantur adversarium *de gradu dejicere.* — *Certi*, animo sic obfirmato, ut non cederemus. Virgil. Georg. IV, 84, *obnixi non cedere.* — *Cum pede pes junctus* etc. Ita descripserunt Veteres etiam acerrima certamina. Tyrtæus, p. 101: Καὶ πόδα παρ' ποδὶ θεὶς, καὶ ἐπ' ἀσπίδος ἀσπίδ' ἐρείσας etc., ubi vid. Klotius; vid. etiam Freinshemius ad Curtium, III, IV, 5. Sed nunc ille ardor accommodate ad luctam notatus. Vid. etiam Virgilius, Æn. X, 362: *hæret pede pes, densusque viro vir*, etc. *Ed.* — *Pronus.* Vide ad X, 652. — *Frontem fronte*; hinc *pugnantia secum frontibus adversis*, contraria. Horat. I, Sat. I, 102.

46. *Non aliter* etc. Similitudo bene delecta, quia et tauri de conjuge certant, et quia Achelous interdum armenti dux, VIII, 882. Hujusmodi autem taurorum prælium de formosissima juvenca copiose et excellenter describit Virgilius, Georg. III, 217 sqq.; confer Amor. II, XII, 25 sqq. Sed Noster nunc respexit Æneid. XII, 715 sqq.: *Quum duo conversis inimica in prælia tauri Frontibus incurrunt, pavidi cessere magistri: Stat pecus omne metu tutum, mussantque juvencæ, Quis nemori imperitet, quem tota armenta sequantur.* — *Fortes vidi.* Regii nostri, *vidi fortes.* — *Fortes* vel ad aratra, vel, ut hoc loco ad pugnam, passim vocantur tauri. — *Concurrere* alias de integris exercitibus, nunc de singulari certamine, ut XIII, 88. — *Pretium*, præmium. — *Nitidissima* proprie de pulchritudine juvencarum; declarat enim et pinguedinem et inde orientem nitorem, sæpe etiam simul niveum colorem: vide ad I, 610. — *Conjux* de vacca, ut *vir* de tauro, I, 660; et *maritus* de capro, Horat. I, Od. XVII, 7. — *Saltus*, pascua: vide Fest. h. v. — *Regni* probavit Burmannus, ideo, quia Phædrus, I, fab. 30, de tauro dixit, *pulsus regno nemoris.* At ibi longe alia sententia. Melius laudasset Virgilium, Georg. III, 228, ubi taurus victus tali prælio *regnis excedit avitis*: victor enim simul rex armenti.

50. *Nitentia.* Duo Basileenses, *luctantia*; Regii nostri, *nitentia.* — *Pectora nitentia contra*, *amplexus* et *nexus* magna pars luctationis. Ele-

Exuit amplexus, adductaque brachia solvit;
Impulsumque manu (certum mihi vera fateri)
Protinus avertit, tergoque onerosus inhæsit.
Si qua fides, neque enim ficta mihi gloria voce
Quæritur, imposito pressus mihi monte videbar.
Vix tamen exserui sudore fluentia multo
Brachia: vix solvi duros a pectore nexus.
Instat anhelanti, prohibetque resumere vires;
Et cervice mea potitur: tum denique tellus
Pressa genu nostro est, et arenas ore momordi.

ganter, *exuit amplexus*, pro quo mox *solvi a corpore nexus*; Heroid. XIII, 12, *solvor ab amplexu*; Cic. Verr. V, 58, *exuere se laqueis*. Exuebant autem amplexus dorso curvato. — *Exuit .... adducta*. Codex Regius A, *excutit ..... abducta*; Codex B, *excutit adducta*. — *Adducta*, ad se tracta. Sæpe Noster hoc verbo ita utitur, et interdum satis graphice, ut VIII, 28; Heroid. X, 104.—*Solvit*, expedit. Proprie *solvitur* nexus aut nodus. Burmannus monet Solinum, Ep. 24, dixisse, *implicare et explicare nexus*. — *Protinus avertit*; quum primus Gronovianus, secundus Palatinus, tertius Mediceus, primus Basileensis, aliique multi, præferant *advertit*; Heinsius legi volebat *Pronus humum*, aut *humo, advertit*; quod recte improbat Burmannus, quia versu 60 demum tellurem premit Achelous.— Regii nostri, *Protinus avertit*. — *Avertit*, comprehensum me ita rotat, ut tergum ei obvertere cogerer, quod Hercules protinus insilit, et ita inhæret; quæ ars in lucta fuisse videtur. Ita interpretatur Burmannus, qui tamen dubitabat, an non *avertit* nunc quoque esset, in fugam vertit, ut passim *avertere hostes*. Verum id non patiuntur sequentia. — *Onerosus* præclare de Herculea mole, quam sensit ipse Atlas, versu 273.

55. *Gloria* in eo erat, quod par fuerat tanto oneri sustinendo. — *Pressus monte* proverbii speciem habet; Cic. Senect. 2, *onus Ætna gravius sustinere*.

57. *Exserui* pro *inserui* (quod habent Regii nostri) ex tribus MSS. recepit Heinsius, qui tamen mallet *asserui*, et *tandem* pro *tamen*.—*Sudore fluentia* poetice, pro sudore defluente. Versu sequenti Heinsius vulgato *a corpore* (quod habet Noster B) e melioribus MSS. præferebat *a pectore*, quod improbat Schirachius, quia Hercules inhæsit tergo. Sane; sed inhærens tergo Hercules ita amplexus erat Acheloum, ut manus necterentur in pectore. Itaque ego *a pectore* revocandum putavi.— *Nexus*, quum luctatores adversarium brachiorum nodo constringunt. Etiam amantium amplexus sic Claudianus, XXXI, 131.

59. *Resumere*, recuperare; VIII, 882, *sumere vires*; III ex Pont. IV, 31, *sumere vigorem*; Justinus, VI, IV, 1, *resumere potentiam*.

61. *Tellus pressa genu est*. Id unum spectabant luctantes, ut alter alte-

Inferior virtute, meas devertor ad artes;
Elaborque viro, longum formatus in anguem.
Qui postquam flexos sinuavi corpus in orbes,
Cumque fero movi linguam stridore bisulcam,
Risit, et illudens nostras Tirynthius artes;
« Cunarum labor est angues superare mearum,
» Dixit; et, ut vincas alios, Acheloe, dracones,
» Pars quota Lernææ serpens eris unus Echidnæ?
» Vulneribus fecunda suis erit illa : nec ullum

rum ad terram daret, quod Græci ῥϊξαι dixerunt. — *Mordere ore* terram, gramen, arenam de cadentibus in prælio et in lucta. Ita Virgilius, Æneid. XI, 418, *humum simul ore momordit*; et aliis verbis Horatius, I, Od. xv, 20, *crines pulvere collines*.

62. *Devertor*; vulgo *divertor* e sollemni permutatione : *diverti* est diversam viam instituere, *deverti* ex alio loco in alium se conferre; Ernest. Clavis Cicer. ad hoc verbum. Regii nostri habent *divertor*. — *Meas devertor ad artes*; confugio a fortitudine mea ad transformationes, quibus uti ego soleo; Art. Amat. II, 425, *devertor ad medicas artes* : sed Remed. 287, *adsuetas decurrere ad artes*; Art. Amat. II, 99, *Hæmonias decurrere ad artes*. Illa transformatio, de qua Apollodorus nihil habet, inde est, quia fluvii, propter tortuosum decursum, cum serpentibus comparari solent. — *Formatus*, transformatus.

64. *Qui postquam flexos*. Unus, *Qui squamosum flexos*. Heinsius, ut vitium metri reparet, conjicit *squamosum ut flexos*. Regii nostri vulgatam tuentur recte. — *Flexos* tantum ornat. Claudianus Laud. Stilic. I, 223, *flexos in falcem curvent gladios*. — *Sinuavi* melius quam, curvavi. — *Linguam bisulcam*. Sex libri, *trisulcam*. Regii nostri, *bisulcam*. Alibi fere *trisulca lingua* serpentibus tribuitur, sed hoc loco *bisulca*; Plautus, Pœn. V, II, 74, *bisulcilingua, quasi proserpens bestia*. Vide Aristotelem, de Part. Anim. III, cap. ult. et nos ad III, 34. — *Movi*, vibravi. — *Fero stridore*. Claudian. R. P. II, præf. *ferum os* serpentum.

67. *Labor cunarum mearum*, in cunis jam a me susceptus. Satis contemtim, et more hominum gloriantium. Aliena tamen a vanitate erat hæc Herculis gloriatio; infans enim quum in cunis jaceret, dracones duos, quos Juno miserat, manibus interemit; Ælian. H. A. XII, 5; Quint. Cal. VI, 202. — *Ut vincas*, fac, finge te vincere, sive magnitudine superare; Cic. Tusc. II, 5 : *ne sit* (finge non esse) *summum malum dolor, malum certe est*. — *Pars quota* etc. Seneca, Herc. Œt. 93, *At quoties jacet Python in hydra?* — *Echidnæ*; erat enim filia Echidnæ.

70. *Vulneribus fecunda suis*. Minutius Felix, 20, *hydra felicibus vulneribus renascens*. — *Erit*; forsan quis malit *erat* quod habent Regii nostri. *Ed*. — *De centum numero*. Multi ex

» De centum numero caput est impune recisum,
» Quin gemino cervix hærede valentior esset.
» Hanc ego ramosam natis e cæde colubris,
» Crescentemque malo, domui, domitamque peremi.

vetustioribus, testante Heinsio, et Regii nostri, Codex B a manu secunda quidem, habent *De comitum numero*; primus Basileensis et duodecim alii, eodem Heinsio testante, dant *De capitum numero*, quod is non improbat propter repetitionem : tamen rectius judicat scribendum *centeno e numero*; nam si de numero capitum hydræ non convenit, centena tamen illi a plerisque assignantur: redeamus ad cl. *Gierig*, cujus de hoc loco disquisitionem clariore ordine disponere cogimur, religiose tamen servatis verbis. *Ed.* — *De numero capitum* illius hydræ non consentiunt Veteres, qui mox *centum*, mox quinquaginta, novem, octo numerant. Vid. Heinsius et Heynius ad Apollodorum, p. 345. Sufficit monstrum πολυκέφαλον cogitare. Palæphatus, cap. 39, fabulam suo modo interpretatur. — *Non* impune de auctis molestiis debellatoris capiendum. — *Gemino.* Noricus, et prima editio Aldi, *gemina*, ut ad cervicem respiciat. Regii nostri, *gemino.* — *Hæres* paulo audacius. Laudat Burmannus Plinium, qui, Hist. Nat. XVI, 33, *hæredem* vocat stolonem ex salice repullulantem. *Geminus hæres*, duo capita quæ succrescebant in locum unius excisi : sic illa *vulneribus fecunda suis*; sic *haud impune* caput recidebatur; sic denique *valentior* quovis vulnere cervix fiebat. *Valens* alibi, viribus et robore præstans, hoc loco ad numerum capitum referendum. De his quinque versibus, 70-74, vide in fine notæ subseq.

73. *Ramosam*, arboris similem, e qua capita, tanquam rami exstabant : *ramosam colubris*, ut, X, 21, *villosa colubris*, et 349, *crinitas angue.* — *Malo*, damno. — *Domui*, nempe adjuvante Iolao; Apollodorus, II, v, 2. — *Peremi* est ex duobus Heinsii MSS. quum cæteri in alia omnia discedant, *revinxi*, *reduxi*, *subegi*, *reliqui*, *repressi*. Heinsius tamen malit *perussi* aut *præussi*, quia apud Euripidem, Herc. Fur. 422, ὕδραν ἐξεπύρωσεν. Avien. Arat. 381, *hydram Ureret Alcides quum flammiger*; at hæc loca male transferuntur ad nostrum. Hercules enim hydram non prius domuit et domitam demum præussit. Regius noster A, *reduxi*, cum glossa, « ad nihilum »; Regius B, a manu prima, *revinxi*, cum glossa, « in pulverem. » — Cæterum Schirachio valde displicet omnis hæc oratio, qua Hercules inter pugnandum certamen illud, tanquam historicus, accurate descripserit. Idem censet, verba *gemino hærede et ramosam* in oda aut in carmine epico facilius ferri, quam in hac oratione, atque etiam lusum illum *domui domitamque peremi* dedecere Herculem, et esse frigidum; se ergo valde dubitare de elegantia hujus loci, quem Ovidius, si per fata licuisset, haud dubie emendaturus fuisset. Hæc ille. Videamus tamen, quid ad excusandum poetam dici queat. Primum Hercules non pugnans hæc dicit, sed spectans, et ridens novi serpentis stridorem, cujus adspectus ei necessario in memoriam revocabat

» Quid fore te credis, falsum qui versus in anguem
» Arma aliena moves, quem forma precaria celat? »
Dixerat; et summo digitorum vincula collo
Injicit: angebar, ceu guttura forcipe pressus,
Pollicibusque meas pugnabam evellere fauces.
Sic quoque devicto restabat tertia tauri
Forma trucis: tauro mutatus membra rebello.

hydram Lernæam. Eam igitur describit, et capita ejus centum vulneribus fecunda suis commode, opinor, cum hoc uno transformato serpente comparat. Neque porro ego putem, frigidum esse lusum Herculeque indignum in verbis, *domui domitamque peremi*, (sic vers. 195, *præsepia vidi, visaque dejeci*, et sæpe apud Nostrum), aut improbandum magnopere in hac oratione vocabulum *ramosam*. Quidni etiam in sermone quotidiano monstrum πολυκέφαλον cum ramis arboris comparare liceat? Virgilius, Æneid. VII, 30, *ramosa cornua*, et 189, *cornua arborea cervi*.

75. *Quid fore te credis*. Heinsius ex Florentino Sancti Marci, uno Leidensi, Græviano, primo Palatino et Oxoniensi recepit *credas*, sed nullo jure; indicativus enim bene se habet; duo, *credes*. — Regius A, *credes*; Regius B, *credis*. — *Falsum* duorum MSS. auctoritate, Medicei et Langerman. Burmannus mutavit in *solum*, ut opp. hydræ multorum capitum et natis e cæde colubris. Ego vero *falsum* revocavi. Etenim duo urget Achelous, tu et *unus* es et *falsus* serpens. *Uni* opposuit capita Lernææ hydræ. Nunc ad alterum, ad *falsum*, transit. Ei nihil opponit, sed premit notionem *falsi*, dum *arma aliena* et *formam precariam* addit, in quibus non est tautologia vitiosa. Vocabulum *falsus* Noster amat in describendis transformationibus; vide ad VI, 26. Et vidi etiam a Mitscherl. eamdem lectionem esse receptam. — *Arma moves*, linguam vibras, ut versu 65, aut omnino, pugnam minitaris; Virgilius, Æn. XII, 6, *movet arma leo*. — *Precaria*, aliena. — *Forma celat* eum, qui in eam transit, et proprie quidem eo consilio, ut lateat; sic V, 326, *Et se mentitis Superos celasse figuris*. Multo suavius verbo *dissimulare* usus est in hac re, II, 374, et Heroid. IV, 104, ubi *tauro dissimulante Deum*.

77. *Digitorum vincula* exquisite, digiti, quatenus iis tenaciter premebat anguem: etiam versu 315, *vincla*, digiti nexi. — *Summo collo*, ne mordere posset. Rod.: *den Hals mit den Fingerspitzen*, quasi legisset *summorum*. — *Angi* proprie de iis, quorum guttura comprimuntur, ut spiritum ducere nequeant. Mox Caposferreus legendum censet ordine verborum mutato *ceu forcipe guttura pressus*, quia comparationem non sumit a presso gutture, sed pressionis a forcipe.

80. *Devicto restabat tertia* etc. Ex legibus artis luctatoriæ nemo victor exibat, nisi ter adversarium prostravisset. BURM. Inde τριάξαι et ἀποτριάξαι victoriam deportare. — *Tauro*, in taurum. — *Rebello*; Heinsius con-

Induit ille toris a læva parte lacertos,
Admissumque trahens sequitur, deprensaque dura
Cornua figit humo, meque alta sternit arena.
Nec satis id fuerat: rigidum fera dextera cornu
Dum tenet, infregit, truncaque a fronte revellit.
Naides hoc, pomis et odoro flore repletum,
Sacrarunt; divesque meo bona Copia cornu est. »
Dixerat: at Nymphe, ritu succincta Dianæ,

jicit *revellor*, quum in Spirensi et tribus aliis *revello* esset, et in totidem *repello*. — Regii nostri, *rebello*. — *Rebellare*, bellum aut luctam redintegrare. Sic passim apud historicos. Causa hujus transformationis allata ad versum 1.

82. *Induit ille toris* etc. Locus obscurus, quem adeo interpretes silentio præterierunt. Si quid ego video, sensus est hic: Hercules suscipit toros meos lacertis suis, meque retro currentem trahit quidem, sed et sequi cogitur, donec deprehensa, etc. Fortasse respexit Ovidius monumentum aliquod, in quo ita expressum erat hoc certamen. — *Toris lacertos*; Leidensis, *toros lacertis*, quod probat Gronovius ad Senecam, Hercul. Fur. 1312. — Regii nostri, *toris lacertos*. — *Induit toris lacertos*. tori mei implicant lacertos ejus, dum collum meum amplectitur. — *Admissus* taurus, ut *admissi equi*. — *Deprensaque... humo*. Ita debellari solebant tauri; vid. Gronovius, Observ. I, 17. — Regii nostri habent *depressa humo*. — *Arena* æque recte ac *arenæ*. Vid. Heinsius ad Amor. III, II, 25.

85. *Satis id fuerat*; Regii nostri, *hoc fuerat*. — *Rigidum fera dextera cornu* etc. Hoc est nobile illud *Cornu Copiæ*, quod in monumentis Copiæ, Paci et Fortunæ tribui solet, de quo vide Apollodorum, II, VII, 5, ibique Heynium. Horat. Carm. secul. 59, *Apparetque beata pleno Copia cornu*. Sed apud Apollodorum Acheloo redditur hoc cornu, ejusque loco Hercules Amaltheæ cornu accipit. Sic et cæteri Græci. — *Cornu* vel sinistrum, secundum Schol. Homer., vel dextrum, auctore Schol. Lyc. 50. Sensus fabulæ: Pars erepta fluvio facta est terra fertilis. Diodorus et Strabo putant, brachium fluvii alio deductum ab Hercule terræ adjacenti fertilitatem dedisse. — *Trunca a fronte*, ut frons fieret trunca. — *Naides*, Acheloi filiæ. Hyginus, *Hesperidibus sive Nymphis donavit*; ubi tamen vide Munkerum. — *Sacrarunt*; vide ad X, 646.

89. *Dixerat; at Nymphe*, etc. Regii nostri, *et Nymphe*. — Satiatis edendo convivis, mensa prima cum dapibus removebatur, idque in hoc convivio factum esse, supra VIII, 570, narrabatur. Mox *secunda mensa* cum vino, pomis, nucibus, quæ bellaria et τραγήματα dicuntur, apponebatur; vid. Cerda ad Virg. Æneid. I, 723: hinc non solum epulæ, sed etiam mensæ dicuntur *apponi*; VIII, 570, et 831. — *Succincta*, quo expeditior esset in ministerio; confer, VIII, 660. — *Fusis*. Alibi *sparsis capillis*. —

Una ministrarum, fusis utrimque capillis,
Incessit, totumque tulit prædivite cornu
Autumnum, et mensas, felicia poma, secundas.
Lux subit, et, primo feriente cacumina sole,
Discedunt juvenes; neque enim dum flumina pacem
Et placidos habeant lapsus, motæque residant,
Opperiuntur, aquæ : vultus Achelous agrestes
Et lacerum cornu mediis caput abdidit undis.
Haud tamen ablati domuit jactura decoris;
Cætera sospes erat : capitis quoque fronde saligna,

Autumnum, fruges autumnales. — *Totum*, omnis generis. Sic nostrorum aliquis dixit, *ein ganzer May von Blumen*. — *Cornibus* varie Veteres utebantur, etiam ad servandas fruges.—*Prædivite*, plenissimo. Confer Horat. I, Od. xvii, 15. — *Felices* alibi dicuntur arbores, rami, agri, id est, feraces, sed h. l. et XIV, 627, ipsa poma *felicia*, mitia, excellentissima. Et *felix* interdum omnino præstans, egregium. Contra Virgilius, Æneid. III, 649, *Victus infelix*; Horatius, Epod. II, 17: *Quum decorum mitibus pomis caput Autumnus arvis extulit.*

93. *Primus*, oriens, *sol ferit*, radiis suis, tanquam telis, illustrat, ante omnia, *cacumina* montium. Ut hic *primus sol*, sic *medius Phœbus* Valer. Flaccus, III, 481. — *Neque enim.... opperiuntur*, quod VIII, 548 sqq. decreverant. — Idem ter dixit, *pacem habeant*, et *placidos lapsus*, et *motæ residant*. Fluviis exundantibus *motus* et *ira* tribuitur. Itaque recte Heinsius recepit *motæ* ex uno codice Basileensi et margine Gryphii, pro *totæ*, quod vulgabatur (et quod habent nostri Regii). Unus Mediceus *tutæ* quod et ipsum eidem Heinsio placet. Quum fluvii placide alveum suum rursus sequuntur, *pacari*, *residere*, dicuntur. *Residere* eleganter de iis, quæ componuntur, sedantur, de ira, ardore animi, flatu ventorum; vide Buenemann. ad Lactantium, de Ira, XVIII, 7.—*Lapsus*, propie de cursu fluviorum. *Placidus*, lentus. Curtius, IV, 13, *placide volans aquila*.

97. *Lacerum caput abdidit undis*. Heroid. IX, 140, de Acheloo, *Truncaque limosa tempora mersit aqua*. Similiter alii poetæ.

98. *Haud tamen*; Naugerius ex nonnullis adfert *hunc tantum*, quod Heinsius in quinque Codicibus reperit (et habent nostri Regii); ex uno Moreti *haud tamen* recepi : sic facile procurrit oratio; et in vers. 101 justa est oppositio, *at te*, etc.—*Domuit* in *nocuit* mutat Burmannus, ut et *quoque* in *modo* auctoritate Medicei; neutrum bene; namque *domare* nunc est perdere, interimere, ut I, 309, et δαμᾶν passim apud Homerum : *modo* autem nullo modo sensum fundit commodum. Jactura *decoris*, cornu decori, eum non modo non perdidit, sed celatur quoque arundine. — *Cætera sospes erat* ;

Aut superimposita celatur arundine damnum.
II. At te, Nesse ferox, ejusdem virginis ardor
Perdiderat, volucri trajectum terga sagitta.
Namque, nova repetens patrios cum conjuge muros,
Venerat Eveni rapidas Jove natus ad undas :
Uberius solito nimbis hiemalibus auctus,

Heinsius ex altero Regio dedit *erat* pro *habet;* nisi verum est quod unus Heinsii, *abit :* non est cur *erat* in *enim* mutemus. — *Damnum;* cornu amissum. Sæpe *damnum*, id quod cum damno amisimus.

101-133. *Nessus* Ixionis, regis Thessaliæ, filius, Centaurus, Dejaniram rapiens, ab Hercule sagitta venenata interficitur, sanguinemque vitiatum tradit Dejaniræ; conf. Sophocles, Trachin. 555 sqq.; Euripides, Hippol. 545 sqq.; Diodorus Siculus, IV, 36; Pausanias, Phoc. p. 895; Apollodorus, II, VII, 6; Eusebius, Præp. lib. II. p. 36; Hyginus, fab. 34 et 36; Seneca, Herc. Œt. vers. 494 sqq. fabula memorabilis, non in se, sed propter Nessi vestem, quæ mox exitium feret Herculi. Hinc expressa est in multis monumentis. — *At te* etc. Transitus hic argumentum simul fabulæ indicat. — *Ferox*, ad vim paratus, violentus. — *Virginis*, quia virgo adhuc erat, quum Hercules et Achelous de conjugio ejus decertarent; quanquam et jam nuptæ mulieres interdum virgines dicuntur; vid. Broukhusius ad Propertii IV, II, 52 : et *virgo* etiam a Silio, III, 435, vocatur; ubi vide Drakemb. Rod. vertit, *Fraculein.* — *Ardor*, est vehemens amor. — *Perdiderat ;* Capoferreus emendabat *Perdidit*, *a volucri*, quia hoc non ante Acheloi certamen, sed post accidit. Plusquam perfecto non debebat offendi Capoferreus; nam et alibi Noster eo sic utitur; ita, VI, 425, *Tereus hæc fuderat.* Regii nostri, *Perdiderat.*

103. *Patrios muros*, Tirynthem, ubi jussu oraculi habitabat Alcides, inde *Tirynthius* dictus; Apollodorus, p. 114. Sed secundum eumdem Apollodorum, p. 145, hoc factum est, quum Hercules Trachinem ad Ceycem se conferebat. — Jam difficultas transeundi cum conjuge fluvium, et necessitas tradendi eam vectori notanda erat, ut mores Herculis exprimerentur. — *Evenus* Ætoliæ fluvius (qui prius Lycormas dictus. *Ed.*), Calydona præterfluens. Hinc, VIII, 527, Calydonides *Eveninæ;* Lucan. VI, 208 : *Meleagræam maculatus sanguine Nessi Evenos Calydona secat.* Nota hic molestias itinerum prisca ætate. Burmannus monet recte poetam Evenum *hiemalibus nimbis* auctum inducere; exuisse enim Herculem mortalitatem circa Hecatombæonem mensem, notante Petito in Comment. in Leges Attic. p. 26. Sed quid hoc ad rem? Nonne Noster ipse mox narrat, ab interitu Nessi ad Herculis apotheosin effluxisse longum tempus? Neque Hecatombæo in hibernis mensibus est, sed in æstivis. Itaque *hiemales* potissimum *nimbos* commemorat, quia illi et in se vehementes sunt, et nives solvunt, adeoque vel maxime fluvios augent. Horat. IV, Od. XII,

Vorticibusque frequens erat, atque impervius amnis.
Intrepidum pro se, curam de conjuge agentem
Nessus adit, membrisque valens, scitusque vadorum;
« Officioque meo ripa sistetur in illa
» Hæc, ait, Alcide : tu viribus utere nando. »
Pallentemque metu, fluviumque, ipsumque timentem,
Tradidit Aonius pavidam Calydonida Nesso.
Mox, ut erat, pharetraque gravis, spolioque leonis,
Nam clavam, et curvos trans ripam miserat arcus,
» Quandoquidem cœpi, superentur flumina, » dixit.

3, *hiberna nive turgidi fluvii.* Tum *hiems*, χειμὼν, etiam de tempestate dicitur. Inde χειμάῤῥουν ὕδωρ Homerus, Il. Ψ, 420, torrens tempestate ortus. — Fluvius *verticibus frequens* a Liv. XXI, 5, *vorticosus* vocatur : *atque* hic forte pro *adeoque*. —*Impervius* qui nec vada habet, nec sine periculo et molestiis transnari potest.

107. *Pro se*, de se : tres habent *de se*. — *Curam agere* bona locutio, ut docent Heinsius et Burmannus ad Heroidd. XVI, 302.—*De conjuge;* duo *pro conjuge*.—*Nessus* erat πορθμεὺς seu vector ad istum fluvium, qui trajicere viatores solebat; Sophocles, Strabo, Pausan. et Apollod. d. l. Talis vector esse debebat et *membris valens*, robustus, et *scitus vadorum*, cognita habere vada; Seneca, versu 503, *Transire Nessus verticem solitus vadis*. Sallustius, Jugurth. *locorum scientes erant.* — *In illa*, δεικτικῶς. — *Sistere* propie de vectoribus, qui onera humeris translata *sistunt* in ripa.—*Officio meo*, opera mea, nempe mercenaria.

111. *Pallentemque* etc. Hunc versum quem alii MSS. et editiones priores postponunt sequenti, delendum censet Heinsius. Certe cum seq. *pavidam*, sine tautologiæ vitio servari nequit, nisi forte credas τὸ *pavidam* potius corruptum esse, et pristinum versuum ordinem restituendum. Mollius enim, eo versu servato, procurrere videtur oratio : nec male eo notatur ingenium muliebre.—Hunc versum, quem uncis ex Heinsio incluserat Cl. *Gierig*, eodem loco habent nostri Regii sine uncis et obelo ullo. *Ed.*—*Aonius*, Alcides Bœotus sive Thebanus; vide ad III, 13.

113. *Ut erat*, ὡς εἶχε; vide Heinsium ad X, 7. — *Gravis*, gravatus, onustus. De arcu Herculis admodum *curvo*, vide Winkelm. H. A. p. 98.— *Trans ripam miserat*, transmiserat in alteram ripam. — Unus pro *miserat* habet *jecerat*, quod placet Ciofano, non item Burmanno, quia in versu 118 repetitur *missos arcus*. — Quum de sensu hujus loci omnes conveniant, et constet Herculem *jecisse* suos arcus trans fluvium, præferendam puto lectionem Ciofani, quam habet noster Regius A; Regius B, *miserat*. Ed. — *Superentur flumina;* nando trajiciatur totum flumen.

Nec dubitat; nec qua sit clementissimus amnis
Quærit, et obsequio deferri spernit aquarum.
Jamque tenens ripam, missos quum tolleret arcus,
Conjugis agnovit vocem; Nessoque parante
Fallere depositum, « Quo te fiducia, clamat,
» Vana pedum, violente, rapit? tibi, Nesse biformis,
» Dicimus, exaudi, nec res intercipe nostras.
» Si te nulla mei reverentia movit; at orbes
» Concubitus vetitos poterant inhibere paterni.
» Haud tamen effugies, quamvis ope fidis equina.
» Vulnere, non pedibus te consequar. » Ultima dicta

116. *Dubitat.* Hæret et secum deliberat, more eorum, qui res periculosas aggrediuntur.—*Clementissimus*, quietissimus. — *Obsequio* etc. Art. Amat II, 181: *Obsequio tranantur aquæ: nec vincere possis Flumina, si contra, quam rapit unda, nates.* Sed Hercules nolebat *obsequio aquarum*, hoc est, ita ut obsequeretur, se accommodaret fluvio decurrenti, *deferri*, inferiore loco ad ripam pervenire adjuvante aqua. Sic quoque mores Herculis expressit. Lenzio *obsequium* est id quod clementia. Rod.: *verschmaehend, gleichsam aus schonender Gefaelligkeit vom Gewaesser getragen zu werden.*

119. *Agnovit;* Codex B solus, ut videtur, dat *audivit.*—*Parante;* Codex A, *paranti*, ut jungatur cum *clamat;* sed hoc verbum rarius cum dativo reperitur quam ut omnium codd. et editionum scriptura mutetur. Terentius quidem, And. III, II, 11, *illis quæ sunt intus, clamat de via.* Ed.—*Fallere depositum*, rapere conjugem creditam; sed illud indignitatem rei magis exprimit. *Depositum*, quod alicujus fidei commissum est; qui id non reddit, *fallit depositum*, fallit eum, qui deposuerat. Apollod. p. 157: ὁ δὲ διαπορθμεύων αὐτὴν ἐπεχείρει βιάζεσθαι. τῆς δὲ ἀνακραγούσης αἰσθόμενος ὁ Ἡρακλῆς ἐξελθόντα Νέσσον ἐτόξευσε εἰς τὴν καρδίαν. Sed Ovidius aliam rationem secutus est, ut et sqq. docent.

121. *Biformis*, vide ad II, 630; *Semivir Nessus* in Heroid. IX, 141. —*Tibi dicimus* aut *dico* indignantis et minantis formula; Heroid. XX, 53. Græci φωνῶ σε, aut καλῶ σε.—*Nec res;* Heinsius malebat *ne res.*—Non video ad quid ista mutatio. *Ed.* — *Res* de omnibus, quæ nobis debentur, etiam, ut hoc loco, de conjuge. —*Intercipe.* Vide ad VIII, 291.

123. *Orbes paterni;* satis opportune et acerbe Nesso in memoriam revocat pœnam patris Ixionis, qui rotæ alligatus adsidue volvitur in Tartaris propter *concubitus vetitos*, quia vim inferre voluerat Junoni: vide ad IV, 464. Ex nube in Junonis loco objecta, quacum etiam coit, nati sunt Centauri, inde Nubigenæ dicti. — *Inhibere*, deterrere. — *Ope equina*, velocitate pedum equinorum.

126. *Vulnere*, sagitta vulnifica: Virg. Æn. II, 529, *infesto vulnere*

Re probat; et missa fugientia terga sagitta
Trajicit: exstabat ferrum de pectore aduncum.
Quod simul evulsum est, sanguis per utrumque foramen
Emicuit, mixtus Lernæi tabe veneni.
Excipit hunc Nessus: « Neque enim moriemur inulti; »
Secum ait: et calido velamina tincta cruore
Dat munus raptæ, velut irritamen amoris.

III. Longa fuit medii mora temporis, actaque magni
Herculis implerant terras, odiumque novercæ.

insequitur: vide Drak. ad Silium, V, 251; Senec. Herc. Œt. 516, *Consequar telo fugam.* — *Re probat.* Multi ex vetustioribus, *res probat*, ut III, 350.—Nostri Regii, *re probat.*

129. *Quod simul evulsum est.* Heinsius conjicit *quo simul evulso.* — *Tabes veneni*, venenum. Veneno hydræ Lernææ sagittas tinxerat Hercules. Quidquid igitur iis figebat, morti succumbebat.—*Mixtus* veneno sanguis profluit etiam apud Zenobium. Apud alios Nessus ipse sanguini emisso admiscet venenum. Atque illum secundum Sophoclem vase excepit. De *velamine* cæteri nihil habent. — Ante *neque enim* subintelligenda est sententia aliqua, veluti, bene habet; neque enim etc.—*Neque enim moriemur inulti;* moriturus ex vulnere, inquit Diodorus, pollicitus est ei se amoris medicamentum traditurum, quo nullam præter se mulierem Hercules appeteret. *Ed.* — *Calido;* plurimi, *valido.*

133. *Velut.* Heinsius conjicit *lenti*, vel *vetiti*, vel *tepidi.* Frustra. Nostri Regii, *velut.*—*Irritamen amoris*, remedium, quo conjugis amorem languescentem irritare possit. *Philtrum* vocatur ab Hygin. et Apollod.; namque φίλτρον, interpretante Tzetz. ad Lycophr. p. 14, est, φιλίαν ἐπισπᾶσθαι δυνάμενον, quod irritare amorem potest; confer vers. 154: *Irritare amores* est I, 462; ubi vid. Burmannum. —*Raptæ*, quam rapere parabat.

134–138. *Hercules veneno cruciatus in Œta monte comburitur.* Dejanira indigne ferens amari ab Hercule Iolen, mittit conjugi venenatam Nessi vestem, tanquam præsentissimum amoris irritamen. Qua indutus quum propius accessisset ad Jovis Cenæi aram, venenum incaluit, ipsumque mirum in modum cruciavit. Licha famulo, qui vestem attulerat, in mare præcipitato, Hercules comburitur a Philocteta. Confer. Diodorus Sic. IV, 39; Apollod. II, VII, 7; Seneca, Herc. Œt. 223 sqq. Hygini fabula 36; Servius, ad Virg. Æneid. VIII, 300. De monumentis, in quibus res expressa, vide Heynii *Antiqq. Aufsaetze*, I, 29 sqq.—*Medium tempus*, ut IV, 167; VIII, 651. Ab interitu Nessi usque ad expugnatam Œchaliam longum tempus effluxit. Satis fuisset, *Longum fuit medium tempus*, sed solet *mora* de diuturnitate ita adhiberi; Phædr. IV, fab. IV, 18, *consumta est temporis longi mora.* —*Acta implerant* pro, fama actorum laborum implerat. Sed aliter *implerant odium.* satiarant.—*Magnus* perpetuum Herculis epitheton.

Victor ab Œchalia Cenæo sacra parabat
Vota Jovi; quum Fama loquax præcessit ad aures,
Dejanira, tuas, quæ veris addere falsa
Gaudet, et a minimo sua per mendacia crescit,
Amphitryoniaden Ioles ardore teneri.
Credit amans; venerisque novæ perterrita fama
Indulsit primo lacrymis, flendoque dolorem
Diffudit miseranda suum; mox deinde : « Quid autem

136. *Cenæum* fuisse Eubœæ promontorium, ibique *Jovi Cenæo* Herculem constituisse aram, constans Veterum traditio est. Neque id dubium est, factam esse eam rem, postquam Eurytum debellaverat, ejusque urbem *Œchaliam* expugnaverat. Eurytus enim, nobilis sagittarius, promiserat se filiam suam formosissimam *Iolen* ei daturum, qui se aut filios suos in sagittandi certamine superasset; sed Herculi victori præmium propositum negavit. Is ergo iratus aliquando post rediit, auxiliantibus Arcadibus Œchaliam cepit, Eurytum et filios interfecit, Iolen autem captivam abduxit; Sophocles, Trach. Act. II; Apollodorus, dicto loco. Homerus credebatur hanc Οἰχαλίας ἅλωσιν carmine celebrasse; Strabo, lib. XIV, p. 612. Verum id quæritur, ubi *Œchalia* sita fuerit. Strabo, lib. X, p. 448, eam facit Eubœæ Eretricæ urbem. Pausanias, Messen. p. 283, ostendit, se in hac controversia plus auctoritatis tribuere Messeniis, qui suis finibus illam urbem, postea Carnasium dictam, vindicent, et p. 362, memorat, Euryti ibi ossa servari. Homerus denique, Il. B, 730, eam inter Thessaliæ urbes refert. — *Victor ab Œchalia*, scilicet rediens : apud Anacreontem, Od. XLV, 8, Mars hastam vibrat ἐξ αὐτῆς, e prælio scilicet revertens.—*Vota*, quæ voverat, si Jupiter sibi adesset in expugnanda urbe.— *Quum Fama* etc. Verissima et præclara Famæ descriptio, quacum confer XII, 39-63.—*Præcessit*, celeritatem Famæ declarat : male igitur quidam, *pervenit*. Liv. XXI, 32 : *Fama, qua incerta in majus vero ferri solent, præcepta res erat.* Minutius Felix, XXVIII : *Fama, quæ semper insparsis mendaciis alitur.* Classicus de Fama locus est etiam apud Virgilium, Æn. IV, 173 sqq.—*Gaudet* melius quam *solet.* — *A minimo;* nostri Regii, *e minimo.*—Duo MSS. veteres et prima Aldi editio *minima*, quod Heinsio placet. Alterum Burmannus præfert, ut apud Claudianum, II, Eutr. 34 : *Fama prius falso similis.* — *Teneri* amore significanter, tanquam illaqueatum amore. Sic *teneri studio*, V, Trist. XII, 9.

141. *Credit amans* etc. Ea fama perterrita literas etiam dedit ad Herculem, quas vide Heroid. IX : *amans* cum delectu pro *conjuge.* Causam reddit hoc verbum cur sollicita statim crediderit et tantopere doluerit. *Dolorem diffudit flendo*, « *sie* » *machte ihrem Schmerz durch Thraenen Luft.* » Heinsius volebat *defudit;* sed bene *diffudit*, minuit. Nam quæ *diffunduntur*, in varias partes funduntur, ea evanescunt. Etiam Heroid. VIII, 61, *flendo diffundere*

» Flemus, ait? pellex lacrymis lætabitur istis :
» Quæ quoniam adventat, properandum aliquidque novandum est,
» Dum licet, et nondum thalamos tenet altera nostros.
» Conquerar, an sileam? repetam Calydona, moreme?
» Excedam tectis? an, si nihil amplius, obstem?
» Quid, si me, Meleagre, tuam memor esse sororem,
» Forte paro facinus; quantumque injuria possit,
» Femineusque dolor, jugulata pellice testor? »
Incursus animus varios habet : omnibus illi
Prætulit imbutam Nessæo sanguine vestem
Mittere, quæ vires defecto reddat amori;
Ignaroque Lichæ, quid tradat nescia, luctus

iram.—*Deinde* pleonastice additum. Sic *deinde postea*, *itaque ergo* et id genus alia. *Quid autem* inservit correctioni, *doch was weine ich!* Heinsius hunc locum ita distinguebat: *mox, deinde quid autem flemus?* quia *deinde* in interrogatione id quod *tandem*. — *Pellex lacrymis* etc. Hoc expressit Seneca, Herc. Œt. 1676.

145. *Adventat* pro *adveniet* e tribus dedit Heinsius, quem vide. — *Aliquid novandum*, aliquid moliendum. — *Thalamos tenet nostros*, pro me uxoris jure fruitur; II, 513, *pro me tenet altera cœlum*. In his *altera* invidiose dictum.

147. *Conquerar, an sileam.* Quid moliatur mulier consilii inops et sola? Nil ei fere relictum est, nisi *conqueri*, aut *repetere* domum paternam (ultimum vexatarum conjugum perfugium) aut *obstare* aliquandiu pellici. De his ergo secum deliberat. — *An, si*; hæc lectio non nisi in primo Mediceo, Spirensi et tribus aliis servata (et in nostro Regio A); vulgo *an sic*; alii (et noster Regius B) *ac sic*. — *Si nihil amplius* efficiam, saltem *obstem*. Mox tamen fratris recordatio animum ei audacem reddit; virtutes enim majorum aut consanguineorum magnam habent vim apud animum. — De *Meleagro* vide VIII, 270 sqq. Etiam Heroid. IX, 151. *Tu quoque cognosces in me, Meleagre, sororem.*—*Injuria*, sensus injuriæ acceptæ.—*Possit*, valeat apud animum.—*Testor*, insigni exemplo æqualibus et posteris ostendo.

152. *Incursus ... habet*; nostri Regii, *In cursus ... abit*, quod interpretarer, in diversas cogitationes; istos cursus animi διανοίας dicunt Græci. Sed melius ex Palatino Heins. lexit *Incursus habet*. Ed. — *Incursus*, impetus. Animus ejus nunc huc fertur, nunc illuc. Tandem, ut sæpe fit, nescia ad perniciosissimum omnium consilium defertur. — *Omnibus illi* ex secundo Moreti accepit Heinsius pro *omnibus illis* quod cæteri (et nostri Regii) habent. *Omnibus*, incursibus; *illi*, Herculi.—*Defectus*, qui defecit, ut XIII, 477.

155. *Ignaro*; vide ad III, 3.—*Lichæ*: de scriptura hujus nominis, quod hic vulgo *Lychæ*, hæc Heinsius: *Lichæ* passim scribendum tam

Ipsa suos tradit; blandisque miserrima verbis
Dona det illa viro, mandat : capit inscius heros,
Induiturque humeris Lernææ virus Echidnæ.
Tura dabat primis, et verba precantia, flammis;
Vinaque marmoreas patera fundebat in aras :
Incaluit vis illa mali, resolutaque flammis
Herculeos abiit late diffusa per artus.
Dum potuit, solita gemitum virtute repressit.
Victa malis postquam patientia, reppulit aras;

hic quam apud auctorem Herculis Œtæi; neque aliter Hyginus, fabula 36; apud Græcos Λίχας est; ita Sophocles in Trachiniis sæpe, Æschylus in Glauco Marino apud Strabonem, Apollodorus, Tzetzes in Chiliad. et alii. Regii nostri *Licha*. Ed.—*Lichas*, famulus Herculis. Secundum alios *Lichas* ab ipso Hercule missus erat Trachinem, ut vestem sibi candidam sacrorum causa asportaret; quam Dejanira infecerit Nessi sanguine. — *Luctus*, causam luctus futuri. Schirachius conjungit *miserrima dona*, id est, quæ miserias afferunt. Melius *miserrima* Dejanira intelligitur.—*Verbis*; multi, *dictis*, quod præfert Heinsius, quia sequitur *verba*.— Nostri Regii, verbis.— *Induiturque humeris*; tres antiqui *humeros*: vide Heinsium ad IV, Trist. X, 29, ubi: *Induiturque humeris cum lato purpura clavo*; in hoc citato loco *humeris* videtur præferre, quum dicat: primus Vaticanus, Junianus et duo alii cum editionibus priscis, *humeros*; quod mihi religioni fuit non monere.

159. *Tura dabat* etc. Indutus illa veste sacra facit, quæ vers. 136 paraverat. Tanta autem erat veneni illius vis, ut statim a principio sacrorum corpus penetraret. Confer. VI, 164, et Seneca, Herc. Œt. 775 sqq. *Primis flammis*; tura enim in principio sacrorum injiciebantur flammis, additis *verbis precantibus*, scilicet, precibus; Tibul. III, III, 2, *Blandaque cum multa tura dedisse prece*. Cum *dabat flammis* conjunxit etiam *verba precantia*, more poetarum; Virgilius, Æneïd. VII, 237, *Præferre manibus vittas et precantia verba*. Ut hic *verba precantia*, sic infra vers. 215, *verba excusantia* et V, 105, *verba exsecrantia*.—*Marmoreas*, omnino lapideas.— *Incaluit*; Heinsius malebat *invaluit*, male. *Incaluit*, quia venena calore vim suam recipiunt. Hinc passim *calida venena*.— *Vis illa mali*; Burmannus suadebat *vis inde mali* : *vis mali*, malum, venenum. *Abiit diffusa* pro, diffusa est : multi *late dilapsa*.—Codex Regius A *diffusa*; codex B *dispersa*.

163. *Dum potuit* etc. In sqq. videndum erat, ne quid ipso indignum tribueretur heroi dolenti. — *Solita gemitum*; codex Regius A, *gemitum solita*.— *Malis*, cruciatibus. — Mox mireris, quomodo Alcides Jovi Cenæo in Eubœæ promontorio sacra faciens, *Œten* vocibus suis impleverit. Nempe festinat Ovidius, et omittit multa e Diodoro Siculo, item ex Argumento Trach. Sophoclis, Apollo-

Implevitque suis nemorosum vocibus Œten.
Nec mora; letiferam conatur scindere vestem:
Qua trahitur, trahit illa cutem; fœdumque relatu,
Aut hæret membris frustra tentata revelli;
Aut laceros artus, et grandia detegit ossa.
Ipse cruor, gelido ceu quondam lamina candens
Tincta lacu, stridit, coquiturque ardente veneno.
Nec modus est: sorbent avidæ præcordia flammæ,
Cæruleusque fluit toto de corpore sudor;

doro, et aliunde supplenda. Hercules enim quum sentiret vim veneni, Licham in mare præcipitat, tum Trachinem proficiscitur ad Dejaniram, tandem in *Œten* montem, quippe Jovi sacrum, se deferri jussit, cujus *nemora* tum denique *vocibus suis implevit*. Hinc *Hercules Œtæus* in Senecæ tragœdia; et *Herculeus Œta* apud Lucanum, III, 177. Lenzius putat, Herculem ad ipsam aram in Eubœa ita clamasse, ut Œte, mons inter Locros et Thessaliam, vocibus ejus resonaret. Comparat Sophoclem, 787 seq. Senecam, Herc. Œt. 803 seq. Sed vers. 204, *per altum Œten graditur*. Nec ibi memoravit poeta, quomodo, aut quo tempore illuc pervenerit. Utrumque recte dicitur et *nemorosum*, et, quod habent alii, *nemorosam*. Vide Heinsium et Burmannum.—Regii nostri *nemorosam*.

166. *Nec mora* etc. Sequitur locus non minus injucundus, quam supra, VI, 387 sqq. Marsyæ laniatio. Apud Sophoclem, interprete Cic. Tusc. II, 8, vestis *lateri inhærens morsu lacerat viscera*; Apollod., τὸν δὲ χιτῶνα ἐκίσπα προσπεφυκότα τῷ σώματι· συναπεσπῶντο δὲ αἱ σάρκες αὐτῷ. —*Laceros artus* vestis, *ossa* caro detracta detegit. Priscis heroibus vasta corpora et *grandia ossa* tribui solebant; conf. Virgilius, Georg. I, 497; Claudianus, Laud. Stilic. I, 137.

170. *Gelido ceu quondam* etc. Inepta similitudo, qua calidus corporis humani cruor cum gelido lacu comparatur. Objicit Lenzius, poetam *stridorem* tantum illustrare voluisse. Est ita. Verum calidus sanguis, ubi veneno infuso magis accenditur, non edit stridorem, qualem edit lamina candens etc. Expressit autem Lucret. VI, 147: *Ut calidis candens ferrum e fornacibus olim Stridit, ubi in gelidum propere demersimus imbrem*. Præiverat Homer. Od. II, 391. Eadem similitudo infra occurrit, XII, 275.—*Quondam*, ut *olim* apud Lucretium, et infra XI, 508: in similitudine a poetis ponitur pro, nonnumquam, fere.—*Lamina*, ferrum.—*Tincta*, scilicet ad indurandum.—*Lacu*, aqua. Heynius, ad Virgilium, Georg. IV, 172, ipsa vasa per *lacus* intelligi putat. *Stridit* antiquum, pro *stridet* (quod habent nostri Regii), e codice S. Marci, Neapolitano, et tribus aliis dedit Heinsius, quem vide sicuti et Burmannum.

172. *Nec modus est: sorbent*; Heinsius malit, *Nec modus: exsorbent*. Homius in Elem. Crit Tom. II, p. 301,

Ambustique sonant nervi ; cæcaque medullis
Tabe liquefactis, tendens ad sidera palmas,
« Cladibus, exclamat, Saturnia, pascere nostris ;
» Pascere, et hanc pestem specta crudelis ab alto :
» Corque ferum satia : vel si miserandus et hosti
» Hostis enim tibi sum, diris cruciatibus ægram,
» Invisamque animam, natamque laboribus, aufer.
» Mors mihi munus erit : decet hæc dare dona novercam.
» Ergo ego fœdantem peregrino templa cruore

hunc versum examinat et improbat ; *flammam* enim nunc dici tropice de æstu interno, itaque non debuisse tropum ab alia re petitum, *sorbere*, addi. Sed facile, opinor, poterit ab hoc vituperio defendi. Etenim primum *flamma* hic propemodum proprie accipi potest, quandoquidem ei vis coquendi et liquefaciendi atque sonitus tribuitur. Deinde etiam *τὸ sorbere* rapacitati flammæ propemodum proprie convenit. Denique calidum poetarum ingenium non exigendum est in singulis verbis ad artis præcepta. Vid. Ernesti, Init. Rhet. §. 319, ubi similiter defendit illud Catulli, *tenuis sub artus flamma dimanat.* Sed ideo vituperandus poeta videtur, quod corpus non aliter ac ligna arida ardens finxit.

173. *Cæruleus*, niger, ut *cæruleus imber* apud Virg. aut *cærulea nubes*, κυανέη νεφέλη. Non igitur Rod. vertere debebat, *der blaue Schweiss*, nec paulo post, *die Nerven klingen*. Immo, *die Sehnen prasseln*. — *Fluit;* Heinsius suadebat *ruit*. — *Sonant;* Barber. *gemunt;* quod verbum apud poetas omnino est, sonum edere. — Regii nostri, *sonant*. — Per nervos Veteres etiam intellexerunt tendones, musculos et vincula membrorum : Gellius, XIII, 22.—*Cæca tabe*, (ut III, 490, *cæco igni*) veneno intus ardente.—*Tendens* est e Basileensi et alio ; cæteri (et nostri Regii) *tollens*.

176. *Cladibus pascere nostris* etc. Primum in Junonem multa cum acerbitate invehitur, non modo quia infesta ei semper fuerat, sed etiam quia opera ejus quædam fuisse videtur in hoc ipso cruciatu efficiendo. Certe Hom. Il. Σ, 129, fatum Herculem domat et *gravis ira Junonis*. Apud Sophoclem autem de una conjuge queritur.—*Cor ferum*, animus, qui *pascitur*, delectatur, *peste*, cruciatibus alterius. Is *satiatur*, quum immani ejus cupiditati satisfit immensa hostis miseria. Atqui tales χαιρεκάκους maximo et dignissimo odio aversamur. Eadem verba et supra occurrunt VI, 280.

182. *Ergo ego fœdantem* etc. Incipit labores suos commemorare, qui ab innumeris fere auctoribus recensentur, de quibus vid. Heynius, ad Apollodorum, II, IV, 8. Propter eos, quum salutares Græcis aut essent, aut esse crederentur, inter Deos relatus est. Minuit tamen Herculis laudes Lucretius, V, 22–43, ubi docet, divinis honoribus digniorem esse, qui puro pectore vivere homines doceat. Neque Lactant. Inst.

» Busirin domui : sævoque alimenta parentis
» Antæo eripui : nec me pastoris Iberi
» Forma triplex, nec forma triplex tua, Cerbere, movit :
» Vosne manus validi pressistis cornua tauri ?
» Vestrum opus Elis habet ; vestrum Stymphalides undæ,
» Partheniumque nemus : vestra virtute relatus
» Thermodontiaco cælatus baltheus auro ;
» Pomaque ab insomni male custodita dracone :

div. I, 8, magnopere istis laboribus favet. Sed Herculis gloria ex antiquissimorum Græcorum sensu et moribus æstimanda est, apud quos fortitudo bellica summa et una virtus habebatur. — *Ergo* indignantis est ob labores frustra susceptos. Sic commode eorum fit mentio, sed breviter, ut par erat, et verbis significantissimis, quibus magnitudo meritorum et fortitudinis Herculis præclare declaratur. Ex eo genere sunt, *fœdans templa*, *sævus* Antæus, hydra *geminas vires resumens*, equi *humano sanguine pingues*, *vastator* aper, *moles* leonis etc. Confer. Sophocles Trach. vers. 1054 sqq., quæ Noster expressit.—*Peregrino cruore*, sanguine hospitum, quos Diis suis immolabat Busiris, rex Ægypti.—*Domui*, ipsum et ministros sacrorum clava interfeci. — *Antæum* Libycum non usitato luctantium more devicit, ut eum ad terram daret, (namque quum Terram, quæ erat ejus *parens*, attingeret, *alimenta* inde et novas vires accipiebat) sed brachio eum sustulit, manuque fauces ejus compressit, ut intel. e nummo antiquo, quem exhibet Gronovius in Diatrib. Statian. cap. XXV. — *Pastoris Iberi forma triplex*, Geryon, τρισώματος βωτὴρ Ἐρυθείας Eurip. Hercul. Fur. 423 ; *Tripectora tergemini vis Geryonai*, Lucretius, V, 28. Nempe insulam Erytheam (hodie *Cadix*), pabuli lætitia insignem, tres fratres concordes habuisse videntur, quorum armenta summæ famæ fuere. Vide Justinum, XLIV, 4, qui fabulam satis probabiliter interpretatur. Adde Palæphatum, cap. 25 et 40.—*Movit*, deterruit.

186. *Pressistis cornua*, more Veterum, qui taurorum, quos debellare volebant, cornua ad terram deducebant. Vide supra vers. 84. Sic ergo et Hercules *validum* illum *taurum* apud Cretenses vicit, vivumque ad Eurysthea perduxit. — *Tauri* ignivomi, quem iratus Minoi Neptunus in Cretam immisit. *Ed.*

187. *Vestrum opus Elis habet* ; unus Vossianus, *Elis est* ; hinc Heinsius scribendum censet *vestrum est Elis opus*, vel *vestrum opus Elis erat* ; male, non enim *Elis* condita erat manibus Herculis. — Regii nostri nihil mutant. *Vestrum opus Elis* ; Augiæ regis Elidos stabulum expurgatum. — In *Parthenio*, Arcadico, *nemore*, cervam æripedem Dianæ attigerat. — *Baltheus* ille, quem habebat regina Amazonum, ad *Thermodontem* Cappadociæ fluvium, habitantium, symbolum erat imperii. Justin. II, 4.

190. *Poma custodita ab dracone* ; de pomis Hesperidum vide ad IV,

» Nec mihi Centauri potuere resistere, nec mî
» Arcadiæ vastator aper: nec profuit Hydræ
» Crescere per damnum, geminasque resumere vires:
» Quid? quum Thracas equos, humano sanguine pingues,
» Plenaque corporibus laceris præsepia vidi,
» Visaque dejeci, dominumque, ipsosque peremi:
» His elisa jacet moles Nemeæa lacertis:

636.—*Male*, frustra; vide Burmannum. *Male* dedit Heinsius: ante eum edebatur *non custodita* (quod habet noster Regius A); plurimi codices (inter quos noster B) *concustodita*, quod degenerasse ex *non cust.* Heinsius monet. Sed Gebhard. III, Crep. 23, illud probat, quia Atlas, Hesperides filiæ ac draco custodes coadditi fuerant.

192. *Arcadiæ vastator aper.* Maximus aper, Arcadiam vastans, ab Hercule vivus ad Eurystheum fuit adductus. *Ed.* — *Crescere per damnum;* confer versum 70; Horatius, IV, Od. IV, 59, *per damna ducere opes, et animum.*

194. *Thracas equos;* nostri Regii *Thracis*, scilicet Diomedis regis Thraciæ. — Hujus equos quibus hospites devorandi objiciebantur, secundum alios adduxit vivos ad Eurysthea. Ex interpretatione Theonis Sophistæ, Progymn. cap. 6, et Palæphati, cap. 4, Diomedes equis alendis ad paupertatem redactus originem fabulæ dedit de equis ejus ἀνδροφάγοις; eamque interpretationem probat Gronovius, Obs. IV, 24, ubi docet exemplis allatis 1°. patrimonium Veteres dixisse *viscera, nervos, sanguinem, vires, vitalia;* 2°. qui patrimonium alterius minuant, dici, *devorare, comedere* eum, *exsugere* ejus *sanguinem.*— *Pingues sanguine* melius quam, *pastos sanguine*, quod alii habent; Horatius, II, Od. 29, *sanguine pinguis campus.*— *Visaque dejeci;* Heinsius malit *disjeci.* Non ii sumus qui judicemus, utrum præstantius germani critici, an romani poetæ verbum; saltem non possumus non dolere tam sagacissimum virum Heinsium sæpius textum deturbare, ut nova, sine ullo codicum consensu, injiciat. *Ed.*

197. *Moles;* primus Gronovii, et prior Twisdenii, *pestis.* Sophocles ex interpretatione Ciceronis, « O » pectora, o terga, o lacertorum » tori! Vestrone pressu quondam » Nemeæus leo frendens efflavit gra» viter extremum halitum? »— *Moles Nemeæa*. vastus leo Nemeæus. Curtius, VIII, XIII, 10, *ingentes vastorum corporum moles.* Statius Theb. VI, 835, *Herculea non mole minor.* Livio, lib. XXI, 22, *moles* est serpens ingentis magnitudinis. Virgil. Æneid. III, 656, *vasta* Polyphemi *moles.* Claudianus, in Eutrop. II, 377, *crassa mole leo.* Pessime igitur Saffiius: *Haben nicht diese Arme jenen Damm, der den Eingang des Nemaeischen Waldes versperrte, zerrissen?* Post hunc versum olim legebatur hic: *Cæus et horrendum Tiberino gurgite* (aut *litore*) *monstrum*, quem expunxit Naugerius, quia in plurimis antiquis MSS non reperitur. —Versum istum non acceperunt nostri Regii. *Ed.*

» Hac cælum cervice tuli : defessa jubendo est
» Sæva Jovis conjux ; ego sum indefessus agendo.
» Sed nova pestis adest, cui nec virtute resisti,
» Nec telis armisve potest : pulmonibus errat
» Ignis edax imis, perque omnes pascitur artus.
» At valet Eurystheus, et sunt, qui credere possint
» Esse Deos ? » dixit : perque altam saucius Œten
Haud aliter graditur, quam si venabula tigris
Corpore fixa gerat, factique refugerit auctor.
Sæpe illum gemitus edentem, sæpe frementem,

198. *Cælum cervice tuli* ; quum Atlantem misisset ad mala Hesperidum apportanda, eique cælum *sarcina parva fuit*; vid. Heroid. IX, 58; et *firmior Herculea mundus cervice pependit* apud Claudianum, R. P. II, præf. 47 : adde Laud. Stilic. I, 143. Fabulam interpretatur Servius ad Æn. I, 741 : « Hic (Atlas) quod » annum in tempora diviserit, et » primus stellarum cursus vel cir- » culorum, vel siderum transitum » naturasque descripserit, cælum » dictus est sustinere. Quia nepotem » suum Mercurium et Herculem » docuisse dicitur, inde Hercules » cælum ab Atlante susceptum sus- » tinuisse narratur, propter cæli » scientiam traditam. » Confer. Albricus de Deorum Imagg. cap. 22.— *Defessa jubendo est* etc. Hoc ipsa Juno fatetur apud Senecam, Herc. Fur. XLI : *Minorque labor est Herculi, jussa exsequi, Quam mihi jubere*. Hinc Valerius Flac. V, 43, vocatur *monstriferæ par novercæ*.

201. *Telis* vis infertur, *armis* corpus tegitur et defenditur. Male igitur Rod. *noch Geschoss, noch Gewehr*. — *Pulmonibus*, per pulmones; II, 801, *medio pulmone*.

203. *At valet Eurystheus*; hic fuit Stheneli Mycenarum regis filius, qui impellente Junone Herculem varia pericula adire jussit. *Ed*. — *Sunt qui credere* etc. Miseri quum adversarios suos valentes vident, facile inducuntur, ut de providentia divina dubitent. — *Esse Deos*, scilicet, qui curam gerant rerum humanarum. Confer Claudianum in Rufin. I, 18. *Esse* omnino Deos negare non poterat, quum antea ipse Junonem compellasset.—*Altum* dedit Heinsius ex Florentino S. Marci et aliis quibusdam; plurimi *altam*. — Nostri Regii *altam* quod reponendum censeo, quia infra, in versu 230, *quas ardua gesserat Œte*. Ed. — *Haud aliter* etc. His et sequentibus graviter cruciatus Herculis notantur. — *Tigris* præfert Florentin. S. Marci; sed alter Hamburg. *pardus* ; duo *cervus* ; vulgo *taurus*. *Tigris* optime convenit huic comparationi. — Regii nostri, *taurus*, quod mallem, quia simplicior et aptior comparatio *tauri* cum Hercule, quam *tigridis*. Ed. — *Auctor facti*, vulnerum auctor qui venabulis feram confixit. *Ed*.

207. *Frementem* adoptavit Heinsius ex Codice Caroli Sprotii, tan-

Sæpe retentantem totas refringere vestes,
Sternentemque trabes, irascentemque videres
Montibus, aut patrio tendentem brachia cælo.
Ecce Lichan trepidum, et latitantem rupe cavata
Adspicit : utque dolor rabiem collegerat omnem;
« Tune, Licha, dixit, feralia dona tulisti?
» Tune meæ necis auctor eris? » tremit ille, pavetque
Pallidus, et timide verba excusantia dicit.
Dicentem, genibusque manus adhibere parantem,
Corripit Alcides, et terque quaterque rotatum
Mittit in Euboicas, tormento fortius, undas.

quam Hercule dignius quam *trementem*.—Regii nostri *trementem*; præstat *fremere* quod est iratorum. *Ed.*—Capoferreus conjecit *infringere silvas*; male : insolens est *infringere vestes* (quod habent nostri Regii) pro discindere; dedi ergo ex Genev. et uno Heinsii *refringere*, quod et Burmanno arridebat. — *Retentantem*, denuo tentantem. Tentaverat jam vers. 166. — *Montibus irascens* Hercules vix ferri potest. Heinsius conjicit *incursantemque*, ut XIV, 188, Polyphemus similiter furens *rupibus incursat*. Sed Burmannus *irascentem* absolute capit, et *montibus* conjungit cum sqq. Lenzius *montibus* explicat, in montibus. Nobis Heinsii emendatio placet præ his interpretationibus; nam vers. 207, jam induxit eum poeta *frementem*, id est, irascentem, mox *sternentem trabes*. Nunc vero rursus simpl. *irascentem* subjecisse credamus? Imo *sternens trabes* et *incursans montibus* bene conveniunt.—*Cælo*, ad cælum.

211. *Rupe cavata*; Gebhard. ex Palatino, *caduca*, ut imminens intelligatur.—Regii nostri *cavata*; nec video ad quid ista mutatio Gebhardi. *Ed.*—*Rabiem collegerat*; fecerat, ut *rabies*, summus furoris gradus, omnis erumperet. *Colligere rabiem* est etiam I, 234; *collectum odium*, III, 258; *colligere sitim*, VI, 341.—*Tune*, qui es et famulus meus et servili conditione homo. Ideoque repetit hoc vocabulum.—*Feralia*; Ciofanus *furialia*; sic enim Cicero, Tuscul. II, vertit, ὑφαντὸν ἀμφίβληστρον ᾧ διόλλυμαι : hæc me irretivit veste furiali inscium. *Ed.* — *Tulisti*; nostri Regii, *dedisti*. In Ibide, 493, *Qui dona tulit Lernæo tincta veneno*. Ed.

216. *Genibus manus adhibere*, genua amplecti. Claudian. R. P. I, 50, *genibus admovere manus*. Is ritus fuit supplicum. Cum sqq. confer Senecam Herc. Œt. 817 sqq. qui non satis feliciter Nostrum expressit. Etiam Hyginus, fab. 36, *rotatum in mare jaculatus est*. Inde fretum illud ab Æschylo dictum τύμβος ἀθλίου Λίχα. Apud Sophoclem, 793, Lichas petræ alliditur. Non mirum est, Nostrum prætulisse transformationem. —*Euboicas undas*; mare Euboicum : nam Cenæum promontorium, ubi Hercules sacrificaturus peste correptus est, imminet Euboico mari.

Ille per aerias pendens induruit auras:
Utque ferunt imbres gelidis concrescere ventis;
Inde nives fieri; nivibus quoque molle rotatis
Adstringi, et spissa glomerari grandine corpus:
Sic illum validis actum per inane lacertis,
Exsanguemque metu, nec quidquam humoris habentem,
In rigidas versum silices prior edidit ætas.
Nunc quoque in Euboico scopulus brevis emicat alte
Gurgite, et humanæ servat vestigia formæ.
Quem, quasi sensurum, nautæ calcare verentur,
Adpellantque Lichan: at tu, Jovis inclyta proles,

Ed. — *Tormento fortius*; validius quam machina bellica. *Ed.*

219. *Pendere* proprie dicuntur qui tam leniter volant, ut alæ non magnopere moveantur; vide ad II, 708. Sed hoc loco omnino volare. — *Aerias auras* dixerunt etiam Lucretius, V, 502; Virgil. Æn. V, 520, et Noster, X, 178, ubi vide notam.

220. *Utque ferunt imbres* etc. Inepta similitudo, quanquam etiam Lucret. VI, 498 sqq. nubes cum corpore et aquas in nubibus cum sanguine comparat. — *Molle*, quod Bersmanno debetur, pro *mole* vulgato (et quod nostri Regii Codices habent), probat etiam Heinsius qui monet, referendum ad *corpus*; Plin. H. N. II, 60, *Grandinem conglaciato imbre gigni, et nivem eodem humore mollius coacto.* — *Adstringi* proprie de glacie et grandine; vide ad I, 120. — *Grandine*, in grandinem, ut supra *tauro mutari*, et infra *alite verti*. — *Actum* ex altero Regio recepit Heinsius pro *jactum* (quod habent ambo nostri Regii). — De *validis lacertis* Herculis vide Heinsium ad XV, 230. — In *exsanguem metu* frigidus est ingenii lusus. — *Rigidas* Heinsius cum uno Mediceo et Rottendorph.; cæteri (et nostri Regii) *rigidos*. — *Prior ætas*, vetustas. Infra, XV, 445, *priores anni*; Terentius, Eun. II, 2, *seculum prius*; et sæpe *priores*, qui olim vixerunt.

226. *Brevem* explicant non latum, (Sic Liv. XXI, 35, *breves montes*; Noster Heroid. XVIII, 174, *brevis aqua*) qui sane *alte* eminere potest. Sed quum vetustiores plerique MSS. *alto* habeant, Heins. reponendum censet, *in Euboici.* — *Alto gurgite*, vel *Euboici alti*. *Euboicum* ut alibi *Ægæum* et similia. Vide Broukhusium ad Propertium, III, v, 11. — *Emicat*; hoc ex Palatino Gebhard. cum Grutero prætulit τῷ *eminet* (quod habent nostri Regii). Saltem *emicat* id quod eminet: ut montes *assurgere*, sic eminentes partes *emicare*, *prosilire* etc. suaviter dicuntur. Forte scopulus quidam ibi referebat utcunque formam humanam. Inde fabula.

229. *Adpellantque Lichan*; sive a λίξαι, quod ὁρμῆσαι, hoc est, impellere atque impetum facere, significat; sive etiam a forma, λίχας enim Græcis ἀπότομον, hoc est, abruptum

Arboribus cæsis, quas ardua gesserat Œte,
Inque pyram structis, arcus pharetramque capacem,
Regnaque visuras iterum Trojana sagittas
Ferre jubes Pœante satum : quo flamma ministro
Subdita, dumque avidis comprenditur ignibus agger,
Congeriem silvæ Nemeæo vellere summam
Sternis, et imposita clavæ cervice recumbis,
Haud alio vultu, quam si conviva jaceres,
Inter plena meri redimitus pocula sertis.

IV. Jamque valens, et in omne latus diffusa sonabat,
Securosque artus, contemtoremque petebat
Flamma suum : timuere Dii pro vindice terræ.
Quos ita, sensit enim, læto Saturnius ore

ac truncum, significat. Ut intelligamus scopulum hunc a reliquo Cenæo, velut abruptum quemdam et detruncatum apparere. *Ed.*—*Ardua Œte*; vide quæ supra ad versum 204. *Ed.* — *Arcus*; nostri Regii, *arcum*, quod mallem. *Ed.*— *Regnaque visuras*; Heinsius conjicit *regnaque versuras* : alterum satis poetice.—Regii nostri nihil mutant. — *Iterum visuras*, viderant primum quum Hercules Laomedontem impugnaret.— *Ferre*; deportare. — *Pœante satus*, Philoctetes, qui pyram accendit Herculis, pro eoque officio præter reliqua arma etiam *sagittas* ejus accepit venenatas, sine quibus Troia capi non poterat; vide ad XIII, 45. Apud Sophoclem, 1193, Hyllus, adhibitis sociis, pyram struit, et secundum nonnullos poetas eam accendit. Apud Julian. Orat. VII, p. 408, Jupiter ipse pyram accendit fulmine. Locus, ubi res illa gesta, serioribus adhuc temporibus ostendebatur. Livius, xxxvi, 30. Confer Senecam, Herc. Œt. 1607 sqq. Cum hac Herculis combustione Ajacis funus comparat Quint. Cal. V, 642 sqq.

235. *Nemeæo vellere*; pelle Nemeæi leonis. *Ed.*—*Clavæ*; clava, Herculis insigne, ut Jovis fulmen, Neptuni tridens, etc. *Ed.* — *Recumbere* in armis solebant heroes. Dignus Hercule exitus. Seneca, d. l. vers. 1683: *Quis sic triumphans lætus in curru stetit Victor!* Mors enim ei munus erat vers. 181.

239-272. *Herculis Apotheosis.* — *Valere* et *convalescere* flamma dicitur, quum alimentorum satis habet et accipit. Excellenter autem animum expressit, quo Hercules mortem tulit, *securos artus*, *contemtoremque suum*, corpus Herculis non anxii et contemnentis flammam. Bene etiam, *flamma petebat contemtorem suum.*

241. *Vindex terræ*, (ἀλεξίκακος et σωτὴρ Græcis dicitur Hercules) egregius titulus, quem meruerat Hercules, quia hominibus impiis ferisque immanibus interimendis salutem et securitatem dederat terris.

Jupiter adloquitur : « Nostra est timor iste voluptas,
» O Superi ; totoque libens mihi pectore grator,
» Quod memoris populi dicor rectorque paterque,
» Et mea progenies vestro quoque tuta favore est.
» Nam quanquam ipsius datur hoc immanibus actis,
» Obligor ipse tamen : sedenim, ne pectora vano
» Fida metu paveant, Œtæas spernite flammas.
» Omnia qui vicit, vincet, quos cernitis, ignes;
» Nec nisi materna Vulcanum parte potentem
» Sentiet : æternum est, a me quod traxit, et expers
» Atque immune necis, nullaque domabile flamma :
» Idque ego defunctum terra cælestibus oris
» Accipiam, cunctisque meum lætabile factum
» Dîs fore confido : si quis tamen Hercule, si quis

Magnæ ei etiam laudi est, quod ipsi Dii pro eo timuerunt.

243. *Nostra est timor iste voluptas*; Regius noster A, *voluntas* : male. Fungitur officio Jupiter et hunc pro filio Deorum timorem sibi gratum accidere confitetur, ut signum scilicet benevolentiæ in illum, et in se ut patrem illius. *Ed.*

245. *Populus*, cœtus Deorum, timore suó *memorem* se ostendebat beneficiorum ab Hercule hominibus præstitorum. — *Tuta favore*; Virgilius, Æneid. V, 343, *tutatur favor Euryalum*.

247. *Datur hoc*; vulgo (et nostri Regii) *datis hoc*. Porro, Mediceus unus et Leidensis *insignibus actis*, quod Burmannus defendi posse putat ex Heroid. III, 121. Alterum est efficacius. Horat. II, Ep. 1, 6, *ingentia facta* Bacchi, Romuli etc. — Nostri Regii *immanibus. Hoc datur ejus actis*, hæc sollicitudo oritur propter ejus acta : *immania*, quæ vulgo stupenda vocamus, acta inauditæ fortitudinis. Etiam Trist. II, 335, *immania Cæsaris acta*. Catal. Pith. p. 66, *ingentia Consulis acta*. Occurrit etiam *immanis gloria*, *immanis victoria*.

250. *Omnia qui vicit*. Hinc *invictus Hercules* et in monumentis et apud poetas. — *Vulcanum potentem* dignius, quam, ignem rapidum.— *Materna parte*; Jove genitorum corpora ex duplici materia composita erant, mortali et immortali, ita tamen, ut hæc prævaleret. Illam a matre habebant, hanc a patre. Vid. Philo, p. 881. Divinum corpus Herculi tribuit Julian. Orat. VII, p. 408. —*Nullaque domabile flamma*; Heinsius suadet *nullique ... flammæ*; nam unus ex ejus MSS. habet *nullique* : approbat Burmannus.—Regii nostri vulgatam tuentur.

254. *Defunctum terra*, superatis omnibus molestiis et vicissitudinibus, quæ subeundæ sunt hominibus in terra. — *Oris*, in oras.

256. *Hercule* et *Deo dolere* paulo

» Forte Deo doliturus erit; data præmia nolet;
» Sed meruisse dari sciet, invitusque probabit. »
Adsensere Dei, conjux quoque regia visa est
Cætera non duro, duro tamen ultima vultu
Dicta tulisse Jovis, seque indoluisse notatam.
Interea, quodcumque fuit populabile flammæ,
Mulciber abstulerat; nec cognoscenda remansit
Herculis effigies, nec quidquam ab imagine ductum
Matris habet; tantumque Jovis vestigia servat
Utque novus serpens, posita cum pelle senecta,
Luxuriare solet, squamaque virere recenti:

durius, dolere Herculem in cælum acceptum, atque adeo inter Deos relatum. Mox τὸ *sed* turbare videbatur nonnullis structuram orationis. Burman. malit *dolitūrus, et hæc data præmia nolet: At meruisse* etc. Sed Lenzius recte vidit, *data præmia nolet* apodosin habere; eique rationi nos accommodavimus interpunctionem. — Regii nostri receptæ adsentiuntur. *Ed.*

260. *Durus vultus*, vultus ejus, qui habet *durum*, id est, iracundum et inexorabilem animum. Contra, X, 609, est *mollis vultus*, et III, Pont. I, 166, *non duri vultus*. Supra, VII, 862, *vultus melior*, minus durus. *Cætera* non duro vultu audit, quia posuerat iram e vers. 135. Auctore Diodoro adoptavit adeo Herculem. Par erat ejus etiam in exitu Herculis mentionem facere. — *Notare* eleganter, quum aliquem non nominamus quidem, sed ita describimus describendoque carpimus, ut facile agnosci possit. Cicero, pro Mil. 18, sic dixit *describere*.

262. *Populabile* novum et ab Ovidio factum vocabulum. Insignis Herculis voracitas, quam ridet Aristoph. Ran. 63, 557 sqq. non videtur populabilis fuisse; ea enim in cælo quoque mansit; Callimachus, hymno ad Dian. 259. Confer Senecam Hercul. Œt. 1966. — *Effigies* pro forma passim apud Hyginum. Illam autem effigiem quomodo artifices expresserint, docet Winkelm. H. A. p. 162 et 369, item Heynius in *antiqu. Aufsaetzen*, I, 29. — *Ab imagine*. Heinsius cum Gronoviano et Mediceo, *ab origine*. — Regii nostri, *ab imagine*. — *Ab imagine matris*, a matre, aut ab natura materna. — *Jovis vestigia*, partes, quas a Jove acceperat, quæ docebant, eum esse Jovis filium.

266. *Utque novus serpens* etc. Egregia similitudo. — *Novus*, renovatus. — *Posita senecta*. Etiam Plinius, VIII, 31, dixit, *angues senectutem exuere*; confer supra, VII, 237; Virgilius, Georg. III, 437, *Nunc positis novus exuviis nitidusque juventa*; Tibullus, I, IV, 35, *serpens novus exuit annos*, ubi Heynius monet, hoc exemplum a similitudine potius, quam a rei veritate ductum esse; exuviis enim positis serpentes non ad juventam redire. — *Luxu-*

Sic, ubi mortales Tirynthius exuit artus;
Parte sui meliore viget, majorque videri
Cœpit, et augusta fieri gravitate verendus:
Quem pater omnipotens inter cava nubila raptum
Quadrijugo curru radiantibus intulit astris.
V. Sensit Atlas pondus: neque adhuc Stheneleius iras
Solverat Eurystheus; odiumque in prole paternum

riare de lætis incrementis capiendum, ut VII, 292. Plinius, panegyr. 82, *lætum corpus et crescentia membra*. Male h. l. Rod. *muthwillig scherzt*. — *Virere* habent Palat. et Ambros. Reliqui (et nostri Regii), *nitere*. — *Virere* verbum delectum, quod et vividos colores, et vigorem juvenilem declarat. Claudian. Laud. Stilic. II, 430, *Perpetuum viret squamis*. Plinius, H. N. VIII, 27: « Anguis hiberno situ membrana corporis obducta fœniculi succo impedimentum illud exuit, nitidusque vernat. »

268. *Mortales Tirynthius* etc. Minucius Felix, XXI, *Hercules, ut hominem exuat, Œtæis ignibus crematur*. De verbo *exuere* vide ad X, 104.—*Majorque videri*; Codex noster A habet *melior*: quam repetitionem non probaverim. *Ed*.—*Augusta gravitate*, divina majestate; IV, 539, *majestatem verendam imposuit*. Claudianus, R. P. I, 79, de Plutone, *nigra verendus majestate*. — *Verendus* melius de Diis adhibetur, quam alibi, *timendus*. Illud enim ductum a pietate liberorum, qui *verentur* parentes.

272. *Quadrijugo curru*. Non puto, poetam hic respexisse *quadrijugum currum*, quo Romæ imperatores triumphantes urbem ingrediebantur, ut diceret, Herculem veluti in triumpho in cælum acceptum, sed intelligendus *quadrijugus currus* ipsius Jovis. Similiter Ariadnen Bacchus *lyncibus suis* in cælum vexisse legitur apud Propertium, III, xv, 3. Secundum Apollodorum nubes Herculem cum tonitru exceptum in cælum vexit. — *Astris*. Ibi tenet magnum spatium inter Coronam, Ophiuchum, Lyram et Draconem. — *Radiantibus*, vide ad II, 4.

273-323. *Alcmene Iolæ* narrat difficilem partum suum, Galanthidisque in mustelam mutationem. Confer. Homerus, Il. T, 95 sqq. Antoninus Liberalis, cap. 29. Commode Alcmena ipsa nurui gravidæ hanc fab. narrat.—*Pondus*. Claudian. Gigant. 23, *flammantia pondera*, sidera. Imitatus Nostrum est Seneca, Herc. Œt. 1599, ubi *lassus Atlas* adeo *titubat*: item Lucanus, I, 56, Neroni adulans, *Ætheris immensi partem si presseris unam, Sentiet axis onus, librati pondera cæli. Orbe tene medio*. — *Eurystheus*, Stheneli filius, ultimus posterorum Persei, nondum deposuerat iram (*solvere iras, metum, pudorem* etc. formulæ poetarum solemnes pro, solvere animum metu, ira. Affectus enim veluti fixi hærent in animo); *odiumque paternum*, in patrem conceptum, *in prole* (pro, *in prolem*. Vide Burmannum) in posteros Herculis exercebat, quos regno suo expulit, Atheniensibusque, qui eos receperant, bellum in.

Exercebat atrox : at longis anxia curis
Argolis Alcmene, questus ubi ponat aniles,
Cui referat nati testatos orbe labores,
Cuive suos casus, Iolen habet. Herculis illam
Imperiis, thalamoque animoque receperat Hyllus;
Impleratque uterum generoso germine : cui sic
Incipit Alcmene : « Faveant tibi numina saltem,
Corripiantque moras, tum quum matura vocabis
Præpositam timidis parientibus Ilithyiam,
Quam mihi difficilem Junonis gratia fecit.

tulit, in quo ipse cum filiis periit; Apollod. lib. II, VIII, 1. — *Atrox*, ferus, immanis, qui odium non finiebat morte hostis, sed in posteros quoque immeritos exercebat.

275. *Longis curis*, longa curarum serie.—*Alcmene*, Electryonis, Mycenarum in *Argolide* regis, filia, *Iolen* habet convictricem, *ubi*, apud quam, in cujus sinu *ponat*, deponat, effundat questus *aniles*, vel anibus usitatos, vel omnino suos. *Testatos orbe*, in toto terrarum orbe, in disjunctissimis terris perpetratos. Seneca, Herc. Fur. 36, *qua lucem premit Aperitque* Thethys, *indomita virtus colitur, et toto Deus narratur orbe*. Locus, ubi aliquid gestum est, rem illam *testari* monumentis quibusdam dicitur; confer Horat. II, Od. I, 31; IV, IV, 38.

279. *Imperiis*. imperio. Apollodorus, d. l. κατὰ τὴν τοῦ πατρὸς ἐντολήν. Burmannus monet, poetam maluisse *imperiis*, quam *imperio*. quod habent plurimi MSS. ne tres ablativi in *o* concurrerent; aut si *imperio* recipiendum sit, se cum Heinsio legere, *imperio thalamisque*. — Regii nostri Codices, *imperiis*.—*Thalamo recipere* nunc de conjugio, interdum de uno concubitu capiendum. Hyginus, fab. 29, *Alcumena Jovem thalamis recepit*. — *Animo recipere*, amare. —*Hyllus*, Herculis e Dejanira filius natu major. — *Germine* debetur vetustioribus multis, et est exquisitius vulgatum *semine*. — Regius noster A, *germine*; Regius B, *semine*.—*Germen* de embryone.

281. *Faveant tibi numina*. Cum bonis votis incipit.—*Ilithyia*, Εἰλείθυια, Diana, quæ præesse partubus credebatur, quod ii maturescunt certis Lunæ (quæ eadem cum Diana) cursibus; Romanis *Lucina* et *Juno Lucina* dicta; Cic. N. D. II, 27. Ea quum *corripit moras*, accelerat partum, ὠκυλόχεια Græcis dicitur, *matura*, vicina partui, ut Justin. XIII, 2. Et est verbum proprium mulierum gravidarum, quibus, tropo a fœtibus arborum petito, *maturum onus* aut *pondus*, *maturus venter*, *maturi nisus* etc. tribuuntur. — *Vocabis*, invocabis : Juno Lucina, fer opem, obsecro! —*Timidis*; primus Vatican. et duodecim alii *tumidis*, quod sane de parturientibus.—Nostri Regii *timidis*. — Ut *facilis* Deus (V, 559), qui facile exaudit preces, auxilio suo præsens est, sic contra *difficilis* Dea, quæ auxilium suum denegat.

Namque laboriferi quum jam natalis adesset
Herculis, et decimum premeretur sidere signum;
Tendebat gravitas uterum mihi : quodque ferebam,
Tantum erat, ut posses auctorem dicere tecti
Ponderis esse Jovem : nec jam tolerare labores
Ulterius poteram : quin nunc quoque frigidus artus,
Dum loquor, horror habet; parsque est meminisse doloris.
Septem ego per noctes, totidem cruciata diebus,
Fessa malis, tendensque ad cælum brachia, magno
Lucinam, Nixosque pares, clamore vocabam.

285. *Laborifer* delectum Herculis epitheton. — *Decimum.... signum*, decimo mense. *Signum*, sidus zodiaci. — *Premeretur* elegantius, quam, quum intravisset *sidus*, id est, sol decimum signum. Sol *premit* loca, ad quæ accedit, XIV, 416. — *Gravitas*, grave onus. — *Tendebat*, extendebat, ut X, 506. — *Quod ferebam*. Amant Græci et Latini neutrum de quovis fœtu. Vide Gronovii Obs. III, 2. — *Tecti ponderis*; Seneca, Epist. 124, *Ille, qui maternorum viscerum onus latens est.* — *Auctorem*, ut Heroid. VI, 20, *mihi gravidæ fecerat auctor onus.* — *Nec jam*: Codex Regius A, *jam non*.

291. *Habet*; (sic nostri Regii) Neapolitanus, secundus Mediceus et Urbinas *adit*; inde Heinsius conjecit *obit*. — *Horror habet artus*. Amat Noster hanc formam loquendi; VIII, 84, *habet pectora somnus*; VII, 547, *habet languor omnia*; II, Fast. 754, *habet pectora frigus* : vide et infra ad X, 81.

294. *Nixosque pares*. Vulgo, *ad nexos partus*. Unus Vatican. et Ciofanus, *ad nexusque pares*. Dan. Heinsius ex MSS. protulit *ad nisus pares*, et conjecit, *ad nisus* vel *nixus partes*. Plerique vetustiores, *Lucinam nexusque pares*, nisi quod quidam *nixusque*, quod Turnebo probatum. Florent. S. Marci pro diversa lectione, *vel nixus vel noxas*. Primus Mediceus, secundus Palatinus et duo alii, *nexosque pares*. Nicol. Heinsius elegit ex uno suo, *nixosque pares*, idemque olim legebat, *nixura pares*. — Regius noster A, *nexusque pares*; Regius B, *ad nexos partus*. — *Nixos* aut *Nixios* puerperii præsides fuisse volunt, a *nitendo* sic dictos. Festus : *Nixii Dii tria signa appellantur in Capitolio* ante cellam *Minervæ*, *genibus nixa*, *velut præsidentes parientium nixibus*. Etiam Nonius eos parientibus præfuisse tradit. In MS. Twisdenio additum schol. *Nexi sunt Di, qui connectunt membra mulierum soluta ad partum, unde dicuntur Nexi.* — *Nixusque pares. Duo sunt fratres, Dii partus, sicut et Lucinæ.* Verum præter grammaticos nemo auctorum veterum mentionem facit Nixorum aut Nexorum Deorum. Nec apparet, quo sensu hic dicantur *pares*, quod Burm. mutatum volebat in *Lares*, ut *Nixi* inter Deos Lares sint habiti. Schirachius defendit lect. vulg. *ad nexos partus*.

Illa quidem venit, sed præcorrupta, meumque
Quæ donare caput Junoni vellet iniquæ.
Utque meos audit gemitus, subsedit in illa
Ante fores ara, dextroque a poplite lævum
Pressa genu, digitis inter se pectine junctis

quos cum Ganyræo ad Juv. Sat. II, 33, de partubus implicitis, impeditis adhuc in utero, capit. Alcmenam igitur vocasse Lucinam, ut expediret nexos in utero partus; sed quum scribæ non assequerentur vim istorum verborum, inde ortam esse varietatem lectionis. Ego vero arbitror, loc. ita esse constituendum, ut *Parcarum* hic fiat mentio. Dubium enim non est, Parcas una cum Diana parturientibus præfuisse; Plato Sympos. p. 206. Deinde Antoninus Liberalis, d. l. diserte tradit, Alcmenam parturientem Dianam et Parcas expertam esse difficiles. Μοῖραι, inquit, *καὶ Εἰλείθυια πρὸς χάριν τῆς Ἥρας κατεῖχον ἐν ταῖς ὠδῖσι τὴν Ἀλκμήνην.* Fortasse veræ lectionis vestigia latent in altero Twisdenio MS. *nexasque Deus*. Etiam Codex Spirensis *Nexasque* agnoscit. Apud Homer. vers. 119, Juno retinet *Ilithyias* in numero plurali. Lactantius in Argum. nil præter Ilithyiam memorat. Cæterum apud Plautum, in Amphitr. Alcmene sine doloribus parit.

295. *Illa quidem venit*. Vocati Dii veniebant, etiamsi auxilium ferre nollent; X, 4. — *Præcorrupta* nova compositione, quam Juno blanditiis et precibus jam suam fecerat, et ab Alcmena averterat. — *Donare Junoni caput*, in Junonis gratiam negligere salutem et vitam Alcmenæ. — *Iniquæ*, irascenti. Apud Homer. et Apollod. moratur partum Alcmenæ eo consilio, ut Eurystheus prius edi possit. — *Vellet*; unus Mediceus et Heinsii, probante Burmanno, *mallet*. — Regii nostri, *nollet*.

297. *In illa* δεικτικῶς; *in illa*, quam ante fores cernis. Supervacanea igitur est conject. Heinsii, quam etiam Burmannus probavit, *in ima ara*, id est, in ima aræ parte. Neque hanc emendationem postulat τὸ *subsedit*; id enim in altera lect. non minus locum habet. Lactantio in Arg. *in terra resedisse* dicitur. — *Dextroque a poplite* venit ex Prisciano et sex Heinsii, pro vulgato *dextroque est poplite*. — Hoc habent Regii Codices nostri. — Verba hæc et sequentia plurimum lucis accipiunt a Plinio, XXVIII, 6; quem locum commode adscripsit Heinsius. « Assidere gravidis, vel quum remedium alicui » adhibeatur, digitis pectinatim in- » ter se implexis, veneficium est: » idque compertum tradunt Alc- » mena Herculem pariente. Pejus, » si circa unum ambove genua. Item » poplites alternis genibus imponi. » Ideo hæc in conciliis ducum, po- » testatumve fieri vetuere majores, » velut omnem actum impedientia. » Vetuere et sacris votisve simili » modo interesse. » In nostro loco syntaxis negotium fecit Grammaticis. Victor Giselinus putabat, *pressa est* synecdochice positum pro, *pressit*. Sed est potius, pressa est quoad lævum genu a dextro poplite; pedes ita conjunxerat, ut dexter poples premeret lævum genu. Plin. d. l. *poplites alternis genibus imponere*. — *Pectine*, in formam pectinis, pecti-

Sustinuit nixus : tacita quoque carmina voce
Dixit; et inceptos tenuerunt carmina partus :
Nitor, et ingrato facio convicia demens
Vana Jovi, cupioque mori; moturaque duras
Verba queror silices : matres Cadmeides adsunt,
Votaque suscipiunt, exhortanturque dolentem.
Una ministrarum, media de plebe, Galanthis,
Flava comas aderat, faciendis strenua jussis,
Officiis dilecta suis : ea sensit iniqua
Nescio quid Junone geri; dumque exit et intrat
Sæpe fores, Divam residentem vidit in ara,
Brachiaque in genibus digitis connexa tenentem;
Et; « Quæcumque es, ait, dominæ gratare; levata est
» Argolis Alcmene, potiturque puerpera voto. »
Exsiluit, junctasque manus stupefacta remisit
Diva potens uteri : vinclis levor ipsa remissis.

natim. Brevius et obscurius Antoninus Liberalis, cap. 29, ἐκαθίζοντο κρατοῦσαι τὰς ἑαυτῶν χεῖρας. — Pro *junctis* Heinsius mallet *vinctis* aut *nexis;* et hoc habet Lactantius in Argum. —Nostri Regii, *junctis*. — *Nixus;* Mitscherl. (et nostri Regii) *partus*. —*Tacita*, leni. Alibi vidimus, quantam vim *carminibus* tribuerint magæ.—*Tenuerunt*, κατεῖχον, retinuerunt. Paulo ante sic, *sustinuit. Niti* de conatu pariendi, ut X, 507.

304. *Queror*, querens profero. — *Media plebs*, tenuis, humilis, infima; VII, 432, *medium vulgus* opp. patribus. Contra infra vers. 670, *ingenua de plebe*. Sed Antoninus Liberalis ex Nicandri Transformatt. tradit, hanc Galanthida (ipsi vocata Galinthias) fuisse Prœti Thebani filiam, quam sibi convictricem delegerit Alcmena. *Præministra* Lactantio dicitur. *Flava comas* vocatur propter vers. 320. — *Nescio quid*, aliquid occulti præstigii.

312. *Quæcumque es*. Vide ad I, 678. — *Levari* dicitur parturiens, quum deponit partum. — *Potitur voto*, qui consequitur, quod optaverat.

314. *Stupefacta* revocavi e duobus Medic. MSS. Certe sic Anton. Lib. ἔκπληξις ἔλαβε τὰς Μοίρας, καὶ ἀνῆκαν εὐθὺς τὰς χεῖρας. Sed *patefacta*, quod Heinsius e primo Mediceo, primo Basileensi et octo aliis prætulit, foret, cujus artes patefactæ aut cognitæ. Lactantius *imprudens resolutis manibus* etc. — Regii nostri ambo, *pavefacta*.—*Diva potens;* supra, V, 323, *Lucina potens*. Nunc additur *uteri*, quæ præest parturientibus; Horat. III, Od. xxv, 14, Bacchus *Naiadum potens;* Carm. Sec. 1, Diana *silvarum potens;* Claudian. R. P. I, 56, Pluto *umbrarum potens*, et II, 141, Pallas *tubarum armorumque po-*

Numine decepto risisse Galanthida fama est.
Ridentem, prensamque ipsis Dea sæva capillis
Traxit, et e terra corpus relevare volentem
Arcuit; inque pedes mutavit brachia primos.
Strenuitas antiqua manet; nec terga colorem
Amisere suum: forma est diversa priori.
Quæ, quia mendaci parientem juverat ore,
Ore parit; nostrasque domos, ut et ante, frequentat. ».

VI. Dixit, et, admonitu veteris commota ministræ,
Ingemuit; quam sic nurus est adfata gementem:
« Te tamen, o genetrix, alienæ sanguine vestro
Rapta movet facies: quid, si tibi mira sororis
Fata meæ referam? quanquam lacrymæque dolorque
Impediunt, prohibentque loqui: fuit unica matri,
Me pater ex alia genuit, notissima forma

tens. — *Vincla*, digiti juncti. Vide vers. 77.

317. *Ridentem prensamque* etc. Galanthis mutatur in mustelam, γαλῆν. Nempe mustela prætercurrens terruisse Alcmenam videtur e partu laborantem, eamque isto terrore relevasse. Hoc certe tradit Ælianus Hist. An. XII, 5, *Ἀλκμήνης τεκεῖν οὐ δυναμένης, τήνδε γαλῆν παραδραμεῖν, καὶ τοὺς τῶν ὠδίνων λῦσαι δεσμούς.* Hinc mustela culta a Thebanis, et Herculis nutrix dicta.—*Prensamque* etc. ut II, 476. — *Ipsis*. Unus ex Heinsianis et Grævian. *suis*, quod Heinsio rectius videbatur, qui olim conjecit, *solo capillis Stravit*, propter, II, 476. — Regius noster A, *ipsis*; Regius B, *suis*.—*Nec terga* etc. quia mustelæ dorsum carnis colorem refert. — Mustelas *ore parere*, atque etiam per aures coire opinabantur Veteres. Antoninus Liberalis, d. l. *θορίσκεται γὰρ διὰ τῶν ὤτων· τίκτει δ' ἀναφέρουσα τὸ κυούμενον ἐκ τοῦ τραχήλου.*

324-393. *Dryope*, Iolæ soror, in *loton* arborem. Confer Antonin. Liberalem, cap. 32, qui tamen ex Nicandro rem longe aliter refert, et Servium ad Virg. Georg. II, 84. Fabula hæc affectus tenerrimi plena. — *Admoneri* dicimur etiam earum rerum, quæ non sine dolore nobis in animum redeunt; VII, 480, *admonitus patrii luctus*; Tibullus, I, Eleg. v, 40, *admonuit dominæ Venus*. —*Gementem* pro *dolentem* e solemni Ovidii repetitione habet unus Mediceus; Mitscherl. servavit vulgatam; alii MSS. *loquentem* aut *paventem*. —Codex Regius A, *dolentem*; Codex B, *paventem*. *Tamen* nectit orat. cum super. habetque vim minuendi. plane ut vers. 98. — *Rapere* de transformatione etiam VII, 239.

329. *Unica*, nunc pro, una. Vide Heinsium ad III, 454.—*Patrem* Eurytum, vide ad vers. 136. Nicander

Œchalidum Dryope : quam virginitate carentem,
Vimque Dei passam, Delphos Delonque tenentis,
Excipit Andræmon, et habetur conjuge felix.
Est lacus, acclivi devexo margine formam
Litoris efficiens : summum myrteta coronant.
Venerat huc Dryope fatorum nescia; quoque
Indignere magis, Nymphis latura coronas;
Inque sinu puerum, qui nondum impleverat annum,
Dulce ferebat onus, tepidique ope lactis alebat.
Haud procul a stagno, Tyrios imitata colores,

Sperchium fluvium facit. — *Notissima*, celeberrima : sæpe *notus* in laudem dicitur ; Horatius, IV, Od. XIII, 21, *nota facies* eodem sensu. —*Œchaliæ* habitaverat Iole, vid. ad vers. 136.—*Deus* se primum in testudinem, deinde in serpentem mutaverat.—*Excipit* in matrimonium. — De *Andræmone* vide Burm. Nicandro fuit Oxyli filius.—Non dixit *est*, sed *habetur*, quia exitus conjugii gravis. — *Felix* e formula solemni dictum, qua acclamabatur sponsis, *felix hoc sit!* VI, 681, *Cephalus te conjuge felix*; VII, 698; *felix* (conjuge) *dicebar, eramque*; vers. 799, *conjuge eram felix, felix illa marito*. Similiter, XI, 266; IV, ex p. 11, 22.

334. *Acclivi* pro *acclivis* ex uno Mediceo dedit Heinsius a forma rariore *acclivus*. Regii nostri *acclivis*.— *Acclivi... efficiens*, habens marginem acclivum aut devexum ; nam utrumque eodem redit. Egredientes e mari litus habent *acclivum*, ingredientes *devexum*; Noster autem, ingenio abundans, utrumque conjunxit.—Bene autem *myrtetis* lacum *coronatum*, cinctum fingit ; namque *litora myrtetis lætissima* apud Virgilium, Georg II, 112. Atque adeo propter *myrteta* lacus fictus esse in hac fabula videtur ; non enim pertinet ad rem.

336. *Fatorum nescia*, nesciens quid olim factum illo loco. Contra, VIII, 241, *fatorum ignara*, nesciens, quid aliquando eventurum sit.—*Nymphis*, quibus sacra illa myrteta, *latura coronas* ex more Veterum religioso ; Horatius, III, Od. XXVII, 30, Europa *debitæ Nymphis opifex coronæ*. Hæc igitur innocentiam et securitatem puellæ declarant. Etiam sqq. multum valent ad commiserationem faciendam, adfectumque tenerrimum spirant.— *Tepidi... alebat*, lactabat puerum.

340. *Tyrios imitata colores*, habens flores purpureos. *Imitari* de similitudine colorum ; Horat. II, Epist. 1, 207, *Lana violas imitata*. — *Lotos*, arbor Africana, sed et Italiæ frequens, fructu saluberrimo, cujus tria genera. Plin. H. N. XIII, 27. Dici hodie *Ziziphum* docet Martin. ad Virg. Georg. II, 84. Nostris *Jujubenbaum* aut *Brustbeerbaum*. *Aquatica*, (vide ad II, 853), quia amat aquas. — Fuit autem Lotos nympha ; quam quum insequeretur Priapus, ut eam premeret, miseratione Deo-

In spem baccarum florebat aquatica lotos.
Carpserat hinc Dryope, quos oblectamina nato
Porrigeret, flores; et idem factura videbar;
Namque aderam: vidi guttas e flore cruentas
Decidere, et tremulo ramos horrore moveri.
Scilicet, ut referunt tardi nunc denique agrestes,
Lotis in hanc Nymphe, fugiens obscœna Priapi,
Contulerat versos, servato nomine, vultus.
» Nescierat soror hoc; quæ quum perterrita retro
Ire, et adoratis vellet discedere Nymphis;
Hæserunt radice pedes: convellere pugnat;
Nec quicquam, nisi summa, movet: succrescit ab imo

rum in arborem sui nominis conversa est. *Ed.*—*Florere in spem baccarum* exquisite, floribus facere spem baccarum. *Baccæ* illæ, quarum forma olivis similis, suavissimo sunt sapore; Homerus, Od. II, 92 sqq.

344. *Namque aderam: vidi*, Heinsius ex uno suo malebat *Vidi, namque aderam.*—Nostri Regii nihil mutant.—Figmentum poetarum cyclicorum, arboribus sacris, aut in quas puellæ mutatæ essent, vulneratis guttas sanguinis manare, quod inde etiam accepit Virg. Æneid. III, 28. Confer supra, VIII, 761. sqq.—Sic e Phaethontis sororibus, libro II, 360, in arbores versis, *Sanguineæ manant tanquam de vulnere guttæ;* item de Polydoro, apud Virgilium, Æneid. III. *Ed.* — Pro *e flore* Vaticanus et unus Heinsii, *de flore*, quod arridet Burmanno, quia geminatur interdum præpositio unde verbum compositum. — *Tremulus horror* venuste; Propert. I, v, 15, lacrymis *tremulum horrorem* tribuit. Seneca, Troad. 164, *horridus tremor* membra quassans.

346. *Scilicet* nunc indignantis est. —*Tardi*, quia nunc denique narrant. Simul stuporis notio inesse videtur. — *Lotis;* Regii nostri *Lotos.* —*Obscœna Priapi*, concubitum Priapi. *Obscœnum* et *obscœna* passim de membro virili, ut Lactant. Inst. div. I, XXI, 28, ubi vide Bueneman. Sed Priapi, Dei obscœni (Petron. cap. 79), pudenda in primis *obscœna* vocantur (Horatius, I, Sat. VIII, 5), quippe enormi magnitudine; Lactant. d. l. Confer. Fast. I, 415-440, ubi fabula quæ hic attingitur, copiosius narratur, et VI, 333. — *Contulerat versos vultus*, conversa erat. Varietate opus erat, quum eadem res toties exprimenda esset in hoc opere.

350. *Ire et adoratis;* sic Urbinas, Langermannianus, unus Vossii, Francofurtensis et Calandræ excerpta; quidam, *iret adoratis;* vulgo, *iret et oratis.* — Ita nostri Regii. — *Hæserunt radice pedes* etc. Confer cum hac mutatione I, 548, II, 348 sqq., X, 490 sqq. — *Radice:* ligati radice.—*Convellere;* confer XI, 76 sqq. — *Summa* superiorem corporis partem.

Totaque paulatim lentus premit inguina cortex.
Ut vidit, conata manu laniare capillos,
Fronde manum implevit : frondes caput omne tenebant.
At puer Amphissos, namque hoc avus Eurytus illi
Addiderat nomen, materna rigescere sentit
Ubera; nec sequitur ducentem lacteus humor.
Spectatrix aderam fati crudelis, opemque
Non poteram tibi ferre, soror : quantumque valebam,
Crescentem truncum, ramosque amplexa, morabar :
Et, fateor, volui sub eodem cortice condi.
Ecce vir Andræmon, genitorque miserrimus, adsunt,
Et quærunt Dryopen : Dryopen quærentibus illis
Ostendi loton : tepido dant oscula ligno,
Adfusique suæ radicibus arboris hærent.
Nil, nisi jam faciem, quod non foret arbor, habebas,

353. *Premit.* Primus Gronovii, *subit*, quod Burmanno τοῖς *lentus* et *paulatim* melius convenire videbatur : sed *premit*, id est cingit, ambit, elegantius est. — Hoc habent Regii nostri. — *Tenebant* exquisitius quam vulgatum (quod habent nostri Regii) *tegebant*.

356. *Amphissos* ex Antonino Lib. namque MSS. veteres et auctor Argum. *Amphisos.*—Nostri Regii *Amphisos.* — *Addiderat nomen* etc. — Nihil elabitur fœcundo Ovidii ingenio. *Ducere ubera* phrasis propria; Juvenalis, Sat. XII, 8. Ita et *ducere pocula.* Ducentem *sequitur* lac; *addere nomen* elegantius, quam *indere*. V, 524. Non igitur erat, cur Heinsius *indiderat* mallet. Cæterum, auctore Nicandro, mutatio illa facta, quo tempore Amphissos jam adultus Apollini patri templum exstruebat.

359. *Spectatrix aderam* etc. Hoc maxime dolemus in infortunio nostrorum, quod opem ferre non possumus, quanquam spectatores adstamus.—*Volui* Heinsius sine causa in *vovi* mutari volebat. *Volui sub* etc. votum tenerrimi amoris prope sepulcrum amicorum.

363. *Miserrimus* etiam ad *Andræmonem* referendum. Bene autem hos adducit, ut scena hæc magis moveat lectorem. Dryopen suis cinctam et mandata extrema dantem videmus.

365. *Tepido* e vers. 393, illustrandum, quemadmodum ex I, 554, *trepido* quod hoc loco habent primus Cantab. Basil. et decem alii. (Regii nostri *tepido*). Sed illud nunc verius. *Tepere* de calore corporis humani etiam, X, 281. — *Suæ*, in quam sua conjux et filia conversa. — *Adfusi*; vide ad III, 437; quanquam nec *adfixi*, quod MS. Palat. sec. præfert, damnandum. Etiam Æn. V, 852, *adfixus* et *hærens* conjungun-

Cara soror! lacrymæ misero de corpore factis
Irrorant foliis; ac, dum licet, oraque præstant
Vocis iter, tales effundit in aera questus;
« Si qua fides miseris, hoc me per numina juro
» Non meruisse nefas; patior sine crimine pœnam.
» Viximus innocuæ: si mentior, arida perdam,
» Quas habeo, frondes, et cæsa securibus urar.
» Hunc tamen infantem maternis demite ramis,
» Et date nutrici, nostraque sub arbore sæpe
» Lac facitote bibat, nostraque sub arbore ludat.
» Quumque loqui poterit, matrem facitote salutet,
» Et tristis dicat; *Latet hoc sub stipite mater.*
» Stagna tamen timeat; nec carpat ab arbore flores;
» Et frutices omnes corpus putet esse Dearum.
» Care vale conjux; et tu germana, paterque,
» Quîs si qua est pietas, ab acutæ vulnere falcis,
» A pecoris morsu, frondes defendite nostras:
» Et quoniam mihi fas ad vos incumbere non est,

tur: *hærere* solemne de amplexibus.

368. *Factus* constanter de rebus mutatis; I, 566, *factis modo ramis*; II, 485, *facta ursa*; vers. 589, *facta volucris*.—*Vocis iter* etiam, II, 828; ex Lucretio.

371. *Hoc nefas*, hanc injustam pœnam.—*Si mentior* solemne in formula jurisjurandi. Gravis et apta mulieri in arborem transeunti imprecatio quæ sequitur.

375. *Hunc tamen infantem* etc. En animum maternum! Ante omnia de pueri educatione sollicita est, ejus saluti cavet, eumque etiam mutata circum se habere cupit.—*Maternis ramis* ingeniose de eo temporis puncto, ubi ex parte mater, ex parte jam arbor erat. Sed vide, quam jucunde et apte ad commiserationem faciendam mores pueriles expressi sint.

379. *Et tristis dicat*; Codex Regius A, *Et dicat tristis*.—*Sub stipite* Regii ambo, *in stipite*.

380. *Stagna tamen timeat*; meo monitus exemplo. *Ed.*

383. *Vulnere ... morsu*; bene hæc vocabula, tanquam Dryope sensura sit.—*Falx*, securis.

385. *Fas est*, possibile est: vide II, 57.—*Ad vos incumbere non est*; MSS. sex et editiones nonnullæ, *non est incumbere vobis*. Palat. præterea, *non fas est*. Unus Mediceus *vobis incumbere non est*. Heinsius putat, latere Græcismum, atque scribendum, *Et quoniam non est ad vos incumbere nobis*, aut *Et quoniam fato non est incumbere vobis*. — Regii nostri nihil mutant. — *Ad vos* incumbere

» Erigite huc artus, et ad oscula nostra venite,
» Dum tangi possum, parvumque attollite natum.
» Plura loqui nequeo : nam jam per candida mollis
» Colla liber serpit, summoque cacumine condor.
» Ex oculis removete manus : sine munere vestro
» Contegat inductus morientia lumina cortex. »
Desierant simul ora loqui, simul esse; diuque
Corpore mutato rami caluere recentes. »
VII. Dumque refert Iole factum miserabile, dumque
Eurytidos lacrymas admoto pollice siccat
Alcmene, flet et ipsa tamen : compescuit omnem
Res nova tristitiam; nam limine constitit alto
Pæne puer, dubiaque tegens lanugine malas

singulari et syntaxi et significatione pro, ad vos me inclinare. — *Dum tangi possum*; vetustiores (et nostri Regii) *possunt*, nempe *oscula*; sed præstat recepta lectio.

388. *Nam jam*; Heinsius conjicit *jamjam*; sed et versu 403, *namjam*.

389. *Summo cacumine condor*; cacumen, summa pars arboris, ubi caput occupat, me plane condit in hac arbore, tanquam in sepulcro: ingeniose. Etiam vers. 362, *condi* de mutatione in arborem, Propert. III, XVII, 16, *Arboris in frondes condita Myrrha novæ*.

390. *Ex oculis removete manus*. Morientium oculi clauduntur ab amicis circumstantibus. Quod pietatis *munus* quum pater et conjux etiam Dryopæ præstare vellent, illa *manus ex oculis removere* jubet. — *Contegat* dedit Heinsius, ex scriptis; Regii nostri habent *contegit*.

394-416. *Iolaus* in juvenem mutatur, *Callirhoes* autem *filii* impuberes in viros. Apud Eurip. Heracl. 849 sqq. *Iolaus* cum Eurystheo pugnaturus Heben rogat et Junonem, ut unum in diem juvenis reddatur, et hostes ulcisci possit. Illico duæ stellæ currum ejus tegunt obscura nube, ex qua ipse juvenili forma egreditur. Secundum Pindarum, P. IX, 137, optavit eodem consilio, ut in vitam rediret. Noster fabulam ita intexuit, ut Alcmenæ et Iolæ mœrentibus solatio esset.—De *Callirhoes filiis* confer Apollodorum, III, VII, 6. Tractata hæc olim erant in Alcmæonide, cujus Scholiastes Euripidis ad Orest. 998, meminit, et in Stesichori Eriphyla. Exstabant etiam Sophoclis et Euripidis tragœdiæ ab Alcmæone nominatæ. — *Factum miserabile*; unus Mediceus, *fatum mirabile*, quod Heinsius probabat. — Regii nostri *factum mirabile*.— *Eurytidos*; Ioles Euryti filiæ. *Ed.*

398. *Pæne puer*; Iolaus ex sene denuo pubertatem adeptus; quod de eo fingitur, quia in ætate senecta multa et egregia facinora gessit. *Ed.* — *Dubia lanugine*, quia ambigi poterat, utrum lanugo an barba esset,

Ora reformatus primos Iolaus in annos.
Hoc illi dederat Junonia muneris Hebe,
Victa viri precibus: quæ quum jurare pararet
Dona tributuram posthac se talia nulli,
Non est passa Themis: « nam jam discordia Thebæ
» Bella movent, dixit; Capaneusque nisi ab Jove vinci
» Haud poterit, ibuntque pares in vulnera fratres;
» Subductaque suos manes tellure videbit
» Vivus adhuc vates; ultusque parente parentem
» Natus, erit facto pius et sceleratus eodem:
» Attonitusque malis, exsul mentisque domusque,
» Vultibus Eumenidum, matrisque agitabitur umbris;

ut IV, 399, *dubia nox*. Lanugo, quæ et *flos* vocatur, hic dicitur *tegere*, alibi *inumbrare* et *vestire* genas; confer Virg. Æneid. VIII, 160; Claudian. Cons. Olyb. 70.—*Reformatus primus in annos*; ita mutatus, ut haberet animum primorum annorum. Confer VII, 293: etiam in XI, 254, eodem sensu *reformet*. — *Iolaus*, Iphiclis filius, Herculis patruelis et comes.

400. *Hebe*, juventutis Dea, nupserat Herculi in cælum recepto.

404. *Discordia Thebæ bella movent*, etc. usque ad finem fabulæ. Quoniam satis longa et selectissima disquisitio toti huic loco fuit subjecta a doctiss. *Gierig*, quam intercidere nefas sit, ideo præcedere omnino debent variæ lectiones, tum eæ quas ad hunc locum retulit idem *Gierig*, tum quas suppeditavere nobis Regii nostri Codices, et studiosissimus editor *Variorum* Cnippingius. *Ed.* —*Bella movent*; unus Vossianus habet *manent*; inde Heinsius etiam *Thebas* malebat: sine causa; Virgilius enim, Georg. I, 405, *movet Euphrates bellum*.—Regii nostri, *movent*. — *Haud poterit, ibuntque* correxit Heinsius; vulgo *flentque* et nonnulli etiam *in vulnere*; Florentinus S. Marci *flebuntque*, multi *deflentque*. — Regii nostri *deflentque in vulnere*. Cæsura non obstat, cur non præferatur *ibunt*; hujus exempla non desunt apud Nostrum: lib. VII, 61, *Et Dis cara ferar, et vertice sidera tangam*; 644, *querorque In superis opis esse nihil; at in ædibus* etc. lib. X, 98, *Et bicolor myrtus, et baccis cærula tinus*; 459, *fugitque Et color, et sanguis: animusque relinquit euntem*; XIV, 250, ubi plerique vetustiores, *Ire negabamus, et tecta ignota subire*, vide quæ dicentur ad hunc locum: XV, 634, *Et locus, et laurus, et, quas habet illa, pharetræ*: præterea Virgilius, Æn. X, 394, *Nam tibi, Thymbre, caput Evandrius abstulit ensis*. Florent. tamen habet *Haud poterunt*, quod sensus rejicit. *Ed.* — *Subductaque*; Burmannus dedit *seductaque*; sed et suadet *diducta*, aut cum uno Ambrosiano *divisa*. Vulgatum dictum ut apud Virgil. Æneid. III, 565, *subducta ad manes imos desidimus*

» Donec eum conjux fatale poposcerit aurum;
» Cognatumque latus Phegeius hauserit ensis.
» Tum demum magno petet hos Acheloia supplex
» Ab Jove Callirhoe natis infantibus annos.

unda.—Regii nostri *subducta.*—*Petet hos;* Regii nostri et quidam, ut ex Heinsio credendum, *petet hoc:* is ex Urbinate, Florentino S. Marci et tribus aliis, dedit *hos;* complures *petit;* nonnulli *hæc.*— *Ab Jove Callirhoe natis infantibus annos.* Post hunc versum olim edebatur, puncto rejecto, *Addat: neve necem sinat esse ultoris inultam.* Hæc Heinsius delevit, quia non comparebant in primo Vaticano, et in uno suo margini tantum adscripta erant: quæ causa tollendi mihi non satis gravis esse videtur, et habent illa partem fabulæ.—Sublato hoc versu de quo agitur, sensus hæret certe; et si non Heinsius, quandoque quidem audacior, gravissimus vir tamen, delevisset, hunc reponere non dubitaremus. Regius noster Codex A ita scribit: *infantibus* annos: *Neve necem sinat esse sui genitoris inultam.* Florentinus S. Marci, Urbinas, secundus Palatinus, *infantibus annos: Neve necem sinat esse diu victoris inultam;* Neapolitanus, *Neu genitorque necem sinat esse parentis inultam.* Regius noster B, *Addat: neve necem sinat esse ultoris inultam,* quam lectionem sinceram puto. Nunc ad disquisitionem qua *Gierig* hanc fabulæ partem illustravit. *Ed.*

Vaticinium Themidis, sed, ut solent vaticinia esse, subobscurum, de bello Thebano, de quo et ipso, quippe celeberrimo, admiscere aliquid voluit. Eteocles et Polynices, ambo Œdipodis filii, incluso cubiculi tenebris patre, de regno administrando sic convenerant, ut ei per annuas vices præessent. Anno peracto, Eteocles cedere noluit fratri. Is vero adjutus ab Adrasto, Argivorum rege, cujus filiam duxerat, nobile illud bellum septem heroum ad Thebas, τῶν ἑπτὰ ἐπὶ Θήβαις, suscepit. Quum urbs non statim capi posset, regii fratres singulari certamine decertant, in quo Polynices cadit, Eteocles autem dum spirantem adhuc fratrem spoliat, ab eo gladio transfigitur. Sic *ibant in vulnera,* quod dictum est, ut *ire in arma, in bella.*—Laudat Heinsius *fratres alterna in vulnera læto Marte ruent,* Statii, Thebaid. VIII, 70. Sic Manilius, Astronom. IV, 84, *Mutuaque armati coeunt in vulnera fratres* (falso *Gierig* dixerat vers. 173). Atque hoc est argumentum Phœniss. Euripidis. In istis heroibus erat *Capaneus,* Hipponoi filius, Argivus, qui quum contra Jovis voluntatem Thebas se capturum dixisset, murum adscendens fulmine percussus est, Hyginus, fab. 68; Vegetius, IV, 21; Servius ad Æn. I, 28. In iis erat etiam Amphiaraus *vates,* qui quum sciret, se periturum ad Thebas, atque *seducta* scil. *subducta* (vide varias lectiones, initio notæ) *tellure suos manes vivus vidisset,* noluit interesse bello isti. Persuasus tandem ab Eriphyla uxore, quam Polynices monili aureo corruperat, profectus quidem est, sed Alcmæoni filio simul mandavit, ne mortem suam inultam sineret: id

» Juppiter his motus, privignæ dona nurusque
» Præcipiet, facietque viros impubibus annis. »

quod etiam factum est; namque *natus ultus est parentem*, patrem, *parente*. matre occisa, unde Alcmæon in matricidis numeratur. Sic *facto eodem pius*, patrem ulciscens, et *sceleratus*, matrem interimens. Cic. pro Rosc. Am. 24 : « Videtisne, » quos nobis poetæ tradiderunt, » patris ulciscendi causa supplicium » de matre sumsisse, quum præser- » tim Deorum immortalium jussis » atque oraculis id fecisse dicantur, » tamen ut eos agitent Furiæ, ne- » que consistere usquam patiantur, » quod ne pii quidem sine scelere » esse potuerunt? » Quod idem et Alcmæoni accidit: namque magnitudine sceleris perterrefactus, *attonitus malis*, insania correptus, *exsul mentis*. ut *exsul patriæ* Horat. II, Od. XVI, 19, terras varias peragravit, *exsul domus*. Magnam enim possidet religionem « paternus maternusque » sanguis; ex quo si qua macula con- » cepta est, non modo elui non po- » test, verum usque eo permanat ad » animum, ut summus furor atque » amentia consequatur. » Cicero, dicto loco. In hunc errorem insaniamque conjecerunt eum suæ malæ conscientiæ animi; sed poetæ *vultibus* aut tædis Furiarum, occisorumque *umbris* tribuunt, quod conscientiæ tribuendum est. Cicero, dicto loco: « Nolite enim putare, » quemadmodum in fabulis sæpe- » numero videtis, eos, qui aliquid » impie scelerateque commiserint, » agitari et perterreri Furiarum ar- » dentibus tædis. Sua quemque fraus » et suus terror maxime vexat, suum » quemque scelus agitat, amentia- » que afficit: suæ malæ cogitationes, » conscientiæque animi terrent etc. » Quum Psophide *Phegei* filiam, quam alii Arsinoen, alii Alphesibœam vocant, duxisset, tandem venit in insulam, quam Achelous fecerat, amavitque *Callirhoen*, *Acheloi* filiam, ex qua suscepit filios duos, Amphoterum et Acarnanem, a quo Acarnanes, antea Curetes dicti, nomen acceperunt. Nova conjux *poscit aurum*, monile aureum (etiam Homerus, Od. Λ, 325, vocat χρυσὸν τιμήεντα), quod jam donaverat Phegei filiæ. Profectus igitur Psophida accepit monile aureum, consecrandum Apollini Delphico. Sed quum Phegeus cognovisset, Callirhoæ destinatum id donum, filios misit, qui trucidarent Alcmæonem: sic aurum illud *fatale*. De phrasi *latus haurire*, vide ad V, 126. *Cognatum*, quia Alcmæon affinitatem contraxerat cum Phegeo; nam *cognationem* pro *affinitate* poni docuit Schulting. ad Senec. Controv. III, 21, monente Burmanno. Interfecto Alcmæone, *Callirhoe supplex a Jove petiit*, ut natis annos viriles largiretur ad necem paternam ulciscendam. (Quod consilium exprimit versus ab Heinsio forsan temere ejectus, quem Variæ lectiones habent). Confer Apollod. d. l. Jupiter annuit precibus et tribuit hos annos auxilio Hebes *privignæ*, quam Juno sine patre pepererat, *nurusque*, quam Hercules, Jovis filius, duxerat. — *Præcipere* Rod. non bene *erheischen* vertit. Immo, occupare, ante tempus tribuere, ex usu quidem verbi exquisitiore. Tacit. Ann. lib. I, cap. 55, *præcipere bellum*, maturius facere.

VIII. Hæc ubi faticano venturi præscia dixit
Ore Themis, vario Superi sermone fremebant;
Et, cur non aliis eadem dare dona liceret,
Murmur erat: queritur veteres Pallantias annos
Conjugis esse sui: queritur canescere mitis
Iasiona Ceres: repetitum Mulciber ævum
Poscit Erichthonio: Venerem quoque cura futuri
Tangit, et Anchisæ renovare paciscitur annos.

417-664. *Byblis*, *Cauni* fratris amore ardens, literis amorem suum ei declarat; quibus perlectis ille, relicta patria, profugit; Byblis autem eum persequens in fontem mutatur. Confer. Antoninus Liberal. cap. 30; Hyginus, fab. 243; Schol. Theocrit. ad Idyl. X, 115; Parthenius, cap. XI. Etiam Aristocrit. et Apollonius Ph. in Καύνου κτίσις fabulam narraverant. Ovidius copiosus nimis est in ea exponenda, quia delectatur rebus amatoriis.

417-440. *Hæc*, ut et alibi transitus, et ad antecedentia et ad sequentia pertinent. *Faticanus*, qui fata canit, fatidicus, novum et Ovidianum vocabulum; alii *fatidico*. Heinsius vult scribi *faticino*, quia quatuor *vaticino*: libro II, 640, nonnulli *faticinos furores*; quem locum vide; XV, 436, *faticinas sortes*. Hoc loco habent Regii nostri *faticano*. — *Oris* solemnis mentio, etiam in SS. Literis, ubi de vaticinantibus sermo. — *Venturi*, futuri. *Veniens bellum*, id est, futurum, Flor. IV, 11. — *Fremebant*, murmurabant. — *Eadem dona*; scil. ut juvenes fierent. *Ed.*

420. *Pallantias*, Aurora, patruelis Pallantis soror, nupsit Tithono, Laomedontis, regis Trojani, filio, eique a Diis immortalitatem exoravit; nihilo tamen minus senectutis incommoda expertus est; vid. Tzetz. ad Lycophr. p. 6; Hygini fab. 270. Inde proverb. *Tithoni senectus.* — *Veteres annos*, senectutem, ut VII, 295, *juvencs annos*, juventutem; Tibullus, I, Eleg. VIII, 42, *vetus caput*, id est, senile, et vers. 50, *veteres senes*; Horat. Epod. VIII, 3, *vetus senectus.*

421. *Canescere*; senescere. — *Mitis*; decem *flava*; unus *cana*: *mitis* idem quod *alma*; *mitis Ceres* etiam V, 497; *frugum mitissima mater*; VI, 118; *mitis Venus* apud Tibullum, I, X, 66. — Regius noster A hunc locum ita scribit: *queritur canescere mitis Jasona flava Ceres*, quod male, propter duo epitheta in Cererem. at Regius B, *mitem Jasona flava Ceres*, quod scribendum puto. *Ed.* — *Iasion*, qui et *Iasius* dicitur (et *Jason* in nostris Regiis et in aliis quibusdam ut ex Heinsio apparet), Jovis ex Electra filius, amatus a Cerere, quæ ei peperit Plutum; Homer. Od. E, 125; Hesiod. Theog. 969; Conon Narrat. XX. Amatum esse eum a Cerere propter agriculturæ studium, Heraclides Ponticus tradit Allegor. Homer. p. 28. — *Repetitum ævum*, ut repetantur anni transacti. — De *Erichthonio* vide ad II, 553. — *Tangit*; movet. — *Paciscitur*, postulat, vult: nota varietatem orationis in h.l.

Cui studeat, Deus omnis habet; crescitque favore
Turbida seditio; donec sua Juppiter ora
Solvit; et, « O, nostri si qua est reverentia, dixit,
» Quo ruitis? tantumne sibi quis posse videtur,
» Fata quoque ut superet? Fatis Iolaus in annos,
» Quos egit, rediit: fatis juvenescere debent
» Callirhoe geniti; non ambitione, nec armis.
» Vos etiam, quoque hoc animo meliore feratis,
» Me quoque, fata regunt: quæ si mutare valerem,
» Nec nostrum seri curvarent Æacon anni,
» Perpetuumque ævi florem Rhadamanthus haberet,
» Cum Minoe meo; qui propter amara senectæ
» Pondera despicitur, nec, quo prius, ordine regnat. »

425. *Cui studeat:* unus Leidensis, *cui studeant;* tunc Heinsius malit *habent*, et copiosissimus est in hoc loquendi genere exemplis illustrando. —*Cui studeat;* cui faveat, cujus rem agat. Sic *studium* apud Cic. Agr. II, 7. —*Seditio*, nil nisi fremitus.

427. *Reverentia;* Codex Regius B, *fiducia.* — *Quo ruitis*, scil. sententiis, quam præcipitanter, et nullo consilio sentitis.—*Fata superare*, fato superiorem esse, idque mutare posse. —Pro *juvenescere* Heinsius ex altero Hamburgensi et uno Mediceo, dederat, *revirescere.* At qui ex impubere ad juventutem, aut viriles annos promovetur, (Apollod. III, VII, 6, *γενόμενοι ἐξαίφνης οἱ παῖδες τέλειοι*) non potest dici *revirescere.* — *Ambitione*, studio in suorum gratiam suscepto. Plin. III, Ep. IX, 10, *ambitio et favor.* — *Armis*, contentionibus.

432. *Vos etiam*, etc. Ordo est, Fata regunt etiam vos, et me quoque, ut hoc animo meliore feratis. Hic versus Gronovio spurius et delendus videbatur. Sed gradationem cum seq. efficit non improbandam.

436. *Senectæ pondera*, infirmitates et imbecillitates tam animi, quam corporis, quas adfert senectus, quæ incommoda adeo *amara* et odiosa plerisque senibus sunt, ut onus se Ætna gravius sustinere dicant; Cic. Sen. II. Senex tam infirmus non *quo prius ordine regnat*, hinc *despicitur* a suis, hinc seditiosi homines sub tali imperio res novas moliuntur. Conjunxit tamen Noster verba tria, quæ non satis convenire videntur, *propter amara pondera despicitur.* Præferrem ex uno MS Heinsii *deprimitur*, si latinum esset, *propter pondera deprimi.* Pro *amara* tamen Cod. Ciofan. antiquus et Excerpta Mureti habent *dura*, quatuor, *multa.* —*Ordine* Burm. et Schir. explicant, auctoritate; quæ interpretatio bene convenit τῷ *despicitur;* sed usus loquendi eam non magis admittit, quam Glareani rationem, qui subditorum obedientiam intelligebat. Passim occurrit *recte atque ordine facere.* Hic *ordine* est, sapienter: vide

Dicta Jovis mover eDeos : nec sustinet ullus,
Quum videant fessos Rhadamanthon, et Æacon annis,
Et Minoa, queri : qui, dum fuit integer ævi,
Terruerat magnas, ipso quoque nomine, gentes.
Tunc erat invalidus, Deionidenque juventæ
Robore Miletum, Phœboque parente superbum,
Pertimuit ; credensque suis insurgere regnis,
Haud tamen est patriis arcere penatibus ausus.
Sponte fugis, Milete, tua, celerique carina
Ægæas metiris aquas, et in Aside terra
Mœnia constituis, positoris habentia nomen.
Hic tibi, dum sequitur patriæ curvamina ripæ
Filia Mæandri toties redeuntis eodem,

Cort. ad Sallust. Cat. LI, 5. (Vide etiam quæ ad eumdem locum dixerit cl. BURNOUF in nostro Sallustio, p. 81); namque sapientia cernitur in ordine rerum agendarum. Itaque et h. l. sic capio, non eo consilio, non ea sapientia, qua ante regnabat. Claudian. Cons. Olyb. 57, *quot in ordine gentes rexerit*. Itaque non opus est Heinsii conjectura *omine*. — *Nec sustinet*; Regius noster A, cum Cantabr. Junian. et quatuor aliis, habet *nec se tenet*.

440. *Integer ævi*, qui est florente adhuc ætate. Opp. *invalidus*, confectus senio. — *Ipso nomine terrere gentes*, summi et invicti bellatoris notatio; Florus, III, x, 20; Justinus, XI, vi, 15; XLII, v, 13. Sed Noster rursus videtur Minoa Secundum cum primo confudisse, (vide ad VIII, 120), nisi unum tantum Minoa fuisse credamus cum Aristotele Polit. II, 9 et 10. — *Miletus*, Apollinis filius, *Deionides* a Deione matre dictus videtur, quanquam ea in re mirum in modum variant Veteres : vide Interpretes ad h. l. et Munkerum ad Lactantii Argum. Is quum in adfectati regni suspicionem incidisset, Minoem ut metu liberaret, cum sanctione sua fugit, venitque in oram Anactoriam, ubi Miletum condidit. Hæc ipsi Milesii de originibus suis tradebant. Pausan. Achaic. p. 524. Confer Apollod. III, 1, 2. De *Mileto* vide et Verheyk. ad Anton. Lib. cap. 30. — *Credens*; Tanaq. Faber censebat legendum *certus*. — Regii nostri *credens*. — *Insurgit regnis*, qui, factione facta, regnum eripere conatur alteri. — *Patrii penates* alibi de domo paterna, nunc de patria, regno. *Arcere penatibus*, ejicere, expellere regno.

447. *Metiri aquas*, percurrere mare navi, navigare per mare. Homer. v. c. Od. Γ, 179, πέλαγος μετρεῖν. — *Mœnia* non sunt *mauern*, ut Rod. vertit, sed urbs. *Ponere mœnia* phrasis obvia, sed hoc loco nove *positor*, conditor, ut Fast. II, 63, *templorum positor*. — *Hic*, prope Miletum, ubi *Mæandros* (de cujus *curvaminibus*

Cognita Cyanee, præstanti corpora forma,
Byblida cum Cauno prolem est enixa gemellam.
Byblis in exemplo est, ut ament concessa puellæ:
Byblis Apollinei correpta cupidine fratris,
Non soror ut fratrem, nec qua debebat, amavit.
Illa quidem primo nullos intelligit ignes;
Nec peccare putat, quod sæpius oscula jungat,

vide II, 246, et VIII, 162), per Cariam et Ioniam defluens, in mare se exonerat; Livius, XXXVIII, 13. — *Sequitur curvamina*, ambulat in ripa curvata, quam sibi fecit pater.

451. *Cyanee;* multi *Cyane;* Spirensis et optimus Thuanus *Creneis* a græco γρηνη.—Regius noster A, *Cyanee;* B, *Cyane.*—Secundum Antoninum Liberalem, ex Idothea, Carum regis filia, Caunus et Byblis Mileto nati. —*Præstanti corpora forma;* ea, quæ Berneggerianus pro diversa lectione habet, Heinsius primus edidit, monetque posse et *præstantis formæ*, vel *præstantia formæ* (quod habet unus Mediceus, ut *præstantis animi* apud Virgilium) legi; multi Codices *præstantia forma;* vulgo *præstanti corpore nympha.*—Regius noster A, accuratissimus codex, vulgatam lectionem habet; Regius B, *præstanti corpore forma*, quod minus bene. *Corpora* de una nympha interpretatur *Gierig*, quod difficile receperim. *Ed.*—*Byblis* an *Biblis* scribendum est dubium; Sthephanus Byzant. in Βύβλος eam *Byblen* vocat. *Byblidis* nomen casu, non consilio aliquo, in trium versuum principio repetitum.—Regii nostri Codices scribunt *Biblis*, sed melius, ut docet Hensius, *Byblis.* Conon apud Photium ait Byblidem a Cauno fuisse perdite amatam, in quo a cæteris auctoribus discedit: nam quod et nuce arbore se suspendisse Byblis ab illo traditur, id ipsum Ovidius quoque, Art. Amat. I, 283, testatum reliquit hisce verbis: *Byblida quid referam, vetito quæ fratris amore Arsit, et est laqueo fortiter ulta nefas.* Meminit ejus quoque in Ibide, versu 357. Hyginus, fab. 243, de morte quidem violenta, sed de genere nihil dicit. *Ed.*

453, *Byblis in exemplo* etc. Præmittit sententiam moralem, quam suppeditat fabula: *in exemplo est*, exemplum dat, exemplo suo monet. —*Concessa*, juvenes, quos licet amare. Horat. I, Sat. IV, 113, *concessa Venere uti;* Noster infra vers. 637, *inconcessa spes Veneris;* Horat. III, Od. VI, 27, *Impermissa gaudia.* — *Apollineus* ab avo paterno, mox vers. 573 *juvenis Mæandrius* ab avo materno. — *Qua*, quantum, ut in illo, *qua licet et possum.* Sic etiam *quo;* A. A. I, 285, *Myrrha patrem, sed non quo filia debet, amavit.* Confer, in eodem libro, versum 745; sed mox, versu 509, rursus, *nisi qua fas est.*—Καύνιος ἔρως in proverbium abiit de inconcesso amore.

456. *Illa quidem primo* etc. Jam exemplo insigni ostenditur, quomodo gradatim crescant cupiditates in animo, novaque, dum iis indulgemus, incrementa capiant.—*Intelligit*, sentit.—*Ignes* opp. vers. 459, *pietati.* —*Jungat*...*circumdet;* nonnulli (ut noster Regius B), *jungit*.

Quod sua fraterno circumdet brachia collo;
Mendacique diu pietatis fallitur umbra.
Paulatim declinat amor; visuraque fratrem
Culta venit, nimiumque cupit formosa videri:
Et, si qua est illic formosior, invidet illi.
Sed nondum manifesta sibi est; nullumque sub illo
Igne facit votum; verumtamen æstuat intus;
Jam dominum adpellat; jam nomina sanguinis odit;
Byblida jam mavult, quam se vocet ille sororem.
Spes tamen obscœnas animo demittere non est
Ausa suo vigilans: placida resoluta quiete
Sæpe videt, quod amat: visa est quoque jungere fratri

circumdat. Osculantes proprie *ora* jungunt, hinc poetice etiam *oscula.* — *Mendaci umbra;* fallenti specie. Duo habent *mendacis*, ut ad *pietatis* referatur. — *Pietas*, id est, amor sororius, qui non urit ut amor, quo juvenes et virgines erga se ardent.

460. *Declinat;* Politianus a vetere Codice, primus Gronovianus et tres alii *succrescit*, improbante Heinsio; unus *succedit.* — Regii nostri *declinat.* — *Declinat*, scil. a pietate: aut *declinare* pro, inclinare; Horat. I, Od. XXXIII, 5, *in asperam declinat Pholoen.* In prosa foret, *sed paulatim declinat*, quia cohæret cum vers. 456, *Illa quidem* etc. — *Culta venit*, primus gradus declinantis amoris, simul *invidet* aliis, zelotypia uritur.

463. *Sed nondum manifesta sibi est*, nondum scit, nec credit, quo declinet amor, aut quid sibi velit illa animi affectio. — *Sub illo igne*, ardens illo igne. *Sub* hoc sensu amat in primis junior Plinius. — *Votum*, ut potiatur amato, more amantium.

465. *Domini* et *dominæ* vocabula, quæ olim tyrannidis vim haberent, Augusti temporibus in blanditiis habebantur, monente Ernestio ad Sueton. Aug. 53. Hinc etiam amantes ita se appellare solebant. Noster Amor. III, VII, 11, *Et mihi blanditias dixit, Dominumque vocavit.* — Plura de hoc vocabulo diximus ad Plin. X, Ep. II, 1. — *Sanguinis*, consanguinitatis. — *Mavult;* Gronovianus *mallet;* Heinsius legebat *malit.* — Regii nostri *mavult.*

467. *Spes animo* (pro, *in animum*) *demittere*, spes animo concipere. Etiam *descendere* in animum dicuntur, quæ in eo excitantur, ei traduntur. Pro *demittere* unus Heinsii *permittere*, non improbante Burmanno. — Regii nostri *demittere;* *permittere* si non Ovidianum, saltem justa interpretatio videtur. *Ed.* — *Obscœnus*, incestus, ut X, 465. — *Quod amat* solemne pro, quem et quam amat. VII, 23. — *Placida* tantum ornat. — *Resoluta* vide ad VII, 185, *jungere corpus*, *pectora* proprie de Venere, II, 604: *Miscere pectora* dixit Statius, II, Silv. I, 206; Tibul. I, I, 69, *jungere amores;* et Eleg. IX, 76, *jungere Venerem;* Cic. Off. I, 4, *conjunctio* simpliciter de

Corpus, et erubuit, quamvis sopita jacebat.
Somnus abit : silet illa diu, repetitque quietis
Ipsa suæ speciem, dubiaque ita mente profatur:
« Me miseram ! tacitæ quid vult sibi noctis imago?
» Quam nolim rata sit ! cur hæc ego somnia vidi ?
» Ille quidem est oculis quamvis formosus iniquis;
» Et placet, et possum, si non sit frater, amare;
» Et me dignus erat : verum nocet esse sororem.
» Dummodo tale nihil vigilans committere tentem;
» Sæpe licet simili redeat sub imagine somnus.
» Testis abest somno, nec abest imitata voluptas.
» Pro Venus, et tenera volucer cum matre Cupido !

coitu.—*Sopita jacebat* plenius quam, sopita erat: XI, 238, *somno vincta jacebas*. Hæc et sequentia egregie pingunt voluptatis illecebras, et certamen cupiditatis cum ratione. Primum erubescit et aversatur somnium, sed mox diligentius de eo cogitare incipit. Comparat rei turpitudinem cum gaudiis in somnio perceptis, sed his diutius immoratur et fortius, quam illi. Contenta esse vult somnio, sed dulcedo ejus efficit, ut eventum quoque ejus optet. Mox succurrunt exempla Deorum hominumque, qui idem fecerant. Atque ita animus anceps tandem inclinat ad flagitium, voluptatisque illecebræ vincunt sanam rationem.

471. *Somnus* dicitur *venire*, *abire* et (vers. 479), *redire*. — *Ipsa*, sua sponte, et cum voluptate.—*Species quietis*, species per quietem oblata, somnium. Mox *noctis imago*. Variat oratio. Tibul. III, IV, 9, *omina noctis*.

473. *Tacita nox*, ut *silens* : Virg. Æneid. II, 255, *tacitæ silentia lunæ*. —*Rata*, quibus eventus constat. Talia somnia etiam *vera* dicuntur ab Horatio, I, Sat. x.

475. *Ille quidem est oculis* etc. Etiam inimici formam ejus laudare debent; ne livor quidem formam ejus carpere possit. *Quamvis* et *quamlibet* eleganter sic ponuntur : *quamvis iniqui* sint, tamen iis *formosus* videatur; Liv. I, 4, *posse quamvis languida mergi aqua infantes*. Amat Noster in primis hoc loquendi genus. Vide Heinsium ad Heroid. VI, 140. —*Possum*; vulgo *possim* : Heinsius, qui e MSS recepit *possum*, suadet *ut possim*. — Regius A, *possim*; B, *possem* : mallem vulgatum *possim*. Ed. — *Sororem* ; Heinsius conjicit *sorori*.— Regii nostri *sororem* et non video quomodo dativus possit convenire. *Ed.*

477. *Committere*; unus Basileensis *admittere*.—Regii nostri *committere*. —*Tali sub imagine*; cum tali somnio.—*Imitata voluptas*; I, ex P. II, 45, *Somnia me terrent veros imitantia casus*. — *Abest somno*, abest ab iis, quæ nobis eveniunt in somno.

481. *Tenera* et puellarum et Veneris epitheton.—Hoc in loco voluptatem solum spectat *Biblis*; Venerem *teneram* dicere debet; quare non

» Gaudia quanta tuli ! quam me manifesta libido
» Contigit ! ut jacui totis resoluta medullis !
» Ut meminisse juvat ! quamvis brevis illa voluptas,
» Noxque fuit præceps, et cœptis invida nostris.
» O ego, si liceat mutato nomine jungi,
» Quam bene, Caune, tuo poteram nurus esse parenti !
» Quam bene, Caune, meo poteras gener esse parenti !
» Omnia, Di facerent, essent communia nobis,
» Præter avos : tu me vellem generosior esses.
» Nescio quam facies igitur, pulcherrime, matrem :
» At mihi, quæ male sum, quos tu, sortita parentes,
» Nil nisi frater eris : quod obest, id habebimus unum.
» Quid mihi significant ergo mea visa ? quod autem
» Somnia pondus habent ? an habent et somnia pondus ?

convenit *nivea*, quod dat unus Moreti ; et pejus est *Gnidia* quod inde Heinsius exsculpsit. *Ed.* — *Gaudia* passim de re venerea ; *gaudia ferre*, ut *ferre præmium*, *munus*, id est, accipere. Vide Lambin. ad Horat. IV, Od. 8. — *Me contigit* melius, quam mihi contigit. Epic. ad Liv. 9, *luctus contigit omnes.* — *Resoluta*, libidinis sensu, ex præcepto, quod ipse poeta dedit Art. Amat. III, 793 : *Sentiat ex imis Venerem resoluta medullis Femina.* Confer, ibid. II, 683. Etiam *juvat* solemne de gaudiis venereis, vide Burm. ad Heroid. XV, 134. — *Noxque fuit*; duo *fugit.* — Hunc versum non receperunt Regii nostri.

488. *Quam bene, Caune, meo,* etc. Quidam hunc versum omittunt ; sed similis repetitio versus præcedentis et alibi occurrit, ut I, 325 ; VI, 16. — Regii nostri eumdem versum acceperunt, cum aliqua varietate ; pro *meo* dant *nostro* ; sed hoc loco præferendum *meo*. Ed.

490. *Avi*, nunc omnino majores, genus. Hinc addit, *Tu me vellem* etc. Hoc optat Byblis, quia tunc Caunus ad stuprum sine metu repulsæ ferretur. BURM. — Tanaq. Faber hæc concoquere non poterat : suadebat igitur *saltem facerent alienior esses.* — Regii nostri nihil mutant. — *At mihi* ; duo Vaticani *Hei mihi* ; libri Ciofani et unus Maffei *Ei* ; Heinsius ex libris *At* pro *Et* recepit. — Codex Regius A, *Et mihi* ; Codex B, *Ei mihi.* — *Unum*, quod frater es, *habemus* a Natura, sed id ipsum *obest.* Non igitur erat, cur Heins. hunc locum adulterinum judicaret, aut emendaret, *una*.

494. *Significant*, σημαίνουσι, portendunt, verb. pr. de somniis, ominibus, prodigiis, quæ inde *significationes Deorum* dicuntur ; Cic. Cat. II, 13. — Pro *ergo* Heinsius conjicit *ægræ*, id est, amanti, aut cum primo Gronoviano *miseræ.* — *Pondus*, vim ; Heroid. VII, 65, *nullum sit in omine pondus.* — *Di melius*, scil. dent, ferant : abominandi formula ; vide

» Dî melius! Dî nempe suas habuere sorores.
» Sic Saturnus Opim, junctam sibi sanguine, duxit,
» Oceanus Tethyn, Junonem rector Olympi.
» Sunt Superis sua jura: quid ad cælestia ritus
» Exigere humanos, diversaque fœdera tento?
» Aut nostro vetitus de corde fugabitur ardor:
» Aut, hoc si nequeo, peream, precor, ante; toroque
» Mortua componar, positæque det oscula frater.
» Et tamen arbitrium quærit res ista duorum.
» Finge placere mihi: scelus esse videbitur illi.
» At non Æolidæ thalamos timuere sororum.
» Unde sed hos novi? cur hæc exempla paravi?
» Quo feror? obscœnæ procul hinc discedite flammæ;
» Nec, nisi qua fas est germanæ, frater ametur.
» Si tamen ipse mei captus prior esset amore,

VII, 37; Tibul. III, IV, 1, *Di meliora ferant, nec sint insomnia vera.* Male ergo Rod.: *Wie besser sind doch die Goetter daran!*—*Nempe* objectioni nunc inservit.—*Habuere* in matrimonio.

499. *Sunt Superis sua* etc. Jam se corrigit. *Sunt*; Heinsius conjicit *sint.*—Nostri Regii *sunt.*—*Sua*, ipsis propria et ab humanis diversa, *ad cælestia exigere*, cum cælestibus comparare, et sic eorum pretium æstimare.—*Fœdera*, matrimonia, aut omnino jura. *Fœdus* omne id, de quo inter plures convenit.

505. *Componar, positæque.* Post *componar*, repetit simplex *positæque*, ut VIII, 653, *resecat sectamque.* *Componere* quum omnino sit, ornare: etiam mortui, cum ornatu funebri decorantur ad exsequias, dicuntur *componi.* Ardor Byblidos tantus est, ut posita etiam *oscula* optet a fratre.

504. *Et tamen*, Heinsius suadet *Sed tamen.*—Regius B, *At tamen.*—*Arbitrium*, lubitum, voluntatem.—*Quærit*, requirit, opus habet.

506. *At non Æolidæ.* Non attingitur hic, ut Safftius putabat, Macarei et Canaces fabula; nam ea potius valuisset ad extinguendas obscœnas Byblidis flammas; sed *Æolus* sex filios habuisse legitur, quibus sorores in matrimonium dederit; Homerus, Od. K, 6.—*Timuere*, aversati sunt. Hoc gravius est, quam, quod Heinsius suasit, et Rod. approbavit, *renuere.* Sex *tenuere*; et Burmannus mallet *At nonne Æolidæ thalamos tenuere sororum.*—Regii nostri lectionem datam tuentur.—*Hos*, tam antiquos et vulgo parum notos. Adfectus ea nobis suppeditat, quæ nos scire ipsi ignorabamus ante.—*Paravi*, nota mihi feci.—*Quo feror?* ad quorum exemplorum imitationem rapit me furor? *Nec*; Heinsio placet *ne.*—*Qua*, quantum, ut vers.

» Forsitan illius possem indulgere furori.
» Ergo ego, quæ fueram non rejectura petentem,
» Ipsa petam? poterisne loqui? poterisne fateri?
» Coget amor; potero : vel, si pudor ora tenebit,
» Litera celatos arcana fatebitur ignes. »
Hæc placet, hæc dubiam vincit sententia mentem.
In latus erigitur, cubitoque innixa sinistro,
« Viderit; insanos, inquit, fateamur amores:
» Hei mihi! quo labor? quem mens mea concipit ignem? »
Et meditata manu componit verba trementi.
Dextra tenet ferrum, vacuam tenet altera ceram.
Incipit, et dubitat; scribit, damnatque tabellas;

455. Sic ratio vicisse videbatur, ut VII, 72 seq.

512. *Rejectura*; multi *neglectura*: primam syllabam τοῦ *rejicere* fere semper produci docuit Burmannus. —Regius A, *neglectura*; Regius B, *rejectura*.—*Rejicere*, repudiare. Terent. Phorm. IV, IV, 5, *si altera illa magis instabit, forsitan nos rejiciet*. Vide Gebhard. Crepund. III, 10.

514. *Ora tenebit*, os continebit, præcludet: *vocem præcludere* et *continere* alii dixerunt.—*Litera* pro, literæ: *litera arcana*, quæ continet rem arcanam. Heroid. XVII, 265, eleganter, *conscia mentis litera*.

516. *Vincit sententia mentem*, id est, determinat. Apud Antoninum Liberal. cap. 30, Byblis constituit, ne amorem in fratrem prodat, saxo se dejicere; quo facto, mutatur a Nymphis. Sed Noster prætulit rationem eam, in qua ingenium ostentare posset. Et est sequens locus ingeniosissimus. Dum enim poeta singulas Byblidis actiones exponit, res non narrari, sed ante oculos agi videtur; et quo melius naturam fluctuantis animi expressit, eo majore laude dignus est. — *Viderit* vox eorum, qui curam et judicium alicujus rei alteri relinquunt. Male igitur Rode, *es sey gewagt*.

520. *Meditata*; Leidensis *mediata*, quod a librario sequioris ævi esse, qui *dimidiata verba* forte in Minucio Felici legerit, Burmannus indicat.—Regii nostri *meditata*.—*Meditata*, passive, literas antea animo conceptas. *Componit*, scribit, ceræ mandat.—*Ferrum*; Leidensis tertius *tenet calamum* pro varia lect. cum glossa adscripta *stilum ferreum*. Et *calamum* in simili loco Ep. XI, 2, legitur. In Regio uno et 3 aliis hic vers. præponitur præcedenti. Uterque ordo ferri potest. — Regii nostri lectionem datam simul ac ordinem versuum servant. — *Damnat tabellas*, improbat quæ scripserat in tabellis. Durum tamen hoc visum est interpretibus: Heinsius itaque conjicit *mandatque tabellis*, quod vix probabitur cuipiam; nam hoc idem foret, quod *scribit*; Burm. mutata interpunctione, *scribit damnatque*. *Tabellas Et notat* etc. Sed non opus est, ut quidquam mutemus. Certe

Et notat, et delet; mutat, culpatque, probatque;
Inque vicem sumtas ponit, positasque resumit.
Quid velit, ignorat: quidquid factura videtur,
Displicet: in vultu est audacia mixta pudori.
Scripta Soror fuerat; visum est delere Sororem,
Verbaque correctis incidere talia ceris:
« Quam, nisi tu dederis, non est habitura salutem,
» Hanc tibi mittit amans: pudet ah, pudet edere nomen!
» Et si quid cupiam quæris, sine nomine vellem
» Posset agi mea causa meo; nec cognita Byblis
» Ante forem, quam spes votorum certa fuisset.
» Esse quidem læsi poterant tibi pectoris index,
» Et color, et macies, et vultus, et humida sæpe
» Lumina, nec causa suspiria mota patenti,

tabellas pertinet etiam ad sqq *culpatque probatque*, quod versus proximus docet. Et quis etiam in nostra lingua dicere dubitet, *den Brief missbilligen?* — *Notare*; notas, literas exarare: III, Pont. II, 90, *scriptas exarat illa notas*; Heroid. I, 62, *digitis charta notata meis*; Euripides, Iphig. Aul. vers. 34, sq γράφεις ... καὶ ταὐτὰ γράμματα συγχεῖς: hunc poetam Noster expressit.

524. *Sumtas ponit* melius, quam, sumit et ponit: uno membro duo dixit. Confer, VIII, 474. In tali fluctuatione etiam *vultus*, animi index, notandus erat.

528. *Correctis* Heinsius, pro *correptis* quod habent Regii nostri, dedit ex primo Palatino, primo Gronoviano, Oxoniensi ex plurimis aliis. *Ed.* — Accommodate ad consilium suum circumloquitur formulam solemnem: Byblis salutem dicit Cauno suo. Similiter Heroid. IV, 1, Phædra Hippolyto, *Qua, nisi tu dederis, caritura est ipsa, salutem Mittit* etc. quæ verba in 3 MSS sic leguntur, ut in nostro loco. Principium literarum harum pudoris signa habet; non enim disertis verbis, sed ambagibus significat, quid velit; sed mox audacia crescit; bene igitur vers. 526, *in vultu audacia mixta pudori est.*

533. *Quam spes* etc. quam compos facta essem votorum et spei meæ. — *Certa*; Palatinus quintus *plena*: vide Burmannum. — Regii nostri *certa*.

534. *Esse quidem læsi* etc. Diligenter colligit *læsi*, vulnerati Cupidinis telis, pectoris indicia. Confer Heroid. XI, 27. — *Color*, nempe pallidus; Art. Amat. I, 129, *Palleat omnis amans; hic est color aptus amanti*; paulo post, *Arguat et macies animum*; Claudian. Nupt. Honorii, 80, *gratus amantum Pallor.* — *Suspiria*; hinc *suspirare* in aliqua, lib. I, Fast. 417; *absentes suspirat amores*; Tibul. I, VI, 35, ubi vid. Heynius. — *Mota*; unus Strozzæ *nata* (sic et Regius A) quod Hein-

» Et crebri amplexus, et quæ, si forte notasti,
» Oscula sentiri non esse sororia possent:
» Ipsa tamen, quamvis animo grave vulnus habebam,
» Quamvis intus erat furor igneus, omnia feci,
» Sunt mihi Dî testes, ut tandem sanior essem:
» Pugnavique diu violenta Cupidinis arma
» Effugere infelix; et plus, quam ferre puellam
» Posse putes, ego dura tuli: superata fateri
» Cogor, opemque tuam timidis exposcere votis.
» Tu servare potes, tu perdere solus amantem.
» Elige, utrum facias: non hoc inimica precatur:
» Sed quæ, quum tibi sit junctissima, junctior esse
» Expetit, et vinclo tecum propiore ligari.
» Jura senes norint; et quid liceatque, nefasque,
» Fasque sit, inquirant, legumque examina servent:

sio placebat: sed *mota* non movendum: ita *mota ira*, excitata, VIII, 355; et sæpius, *moti dolores*, II, 778; *mota insania*, III, 536.—*Nec causa patenti*, quum tacita sedens, aut inter sermones non tristes suspirarem.—*Sororia oscula* etiam supra, IV, 334. Confer, II, 431.

539. *Ipsa tamen*, *quamvis* etc. Argumentis, quibus poterat, gravissimis utitur ad commiserationem faciendam, fratrisque animum flectendum. «Vim mihi feci, ut insanum amorem restinguerem. A te uno sororis salus pendet, quæ te unice amat. Quod peto haud inconveniens est annis nostris, et clam peragi potest. Miserere ergo mei.» Sed vide, quam graviter singula et apte ad veniam impetrandam exornaverit. Veluti ab initio amorem suum vocat *grave vulnus* et *furorem igneum*, non a se ipsa excitatum, sed *Cupidinis* armis, id est, telis *violentis*, quibus nemo resistere potest.—*Habebam*; Burmannus conjicit *alebam*, quamquam nec alterum damnat: immo e phrasi *habere vulnus* explicandam monet formulam *habet!* — *Deos* ipsos testatur, se *omnia* fecisse, et *diu pugnasse*, ut tandem sanior esset, seque adeo *duram* (id est, confirmato animo et fortiter) *plus* tulisse, quam *puellæ* infirmiorem ætatem et sexum ferre putes, sed se post hanc tantam et diuturnam pugnam tandem *superatam* esse.

549. *Propiore ligari*; Vossianus *propiore teneri*: hoc verbum sane et de vinculo et de amantibus dicitur; sed quoniam *tecum* additur, *ligari* verum est. — Regii nostri bene habent *ligari*.

550. *Liceat* per leges, *nefas* per naturam: Cic. pro Mil. 16, *quod aut per naturam fas esset, aut per leges liceret.* — *Examina servent*, examinent, perstent examinare leges, ut

» Conveniens Venus est annis temeraria nostris.
» Quid liceat, nescimus adhuc, et cuncta licere
» Credimus, et sequimur magnorum exempla Deorum.
» Nec nos aut durus pater, aut reverentia famæ,
» Aut timor impedient; tantum absit causa timendi.
» Dulcia fraterno sub nomine furta tegemus.
» Est mihi libertas tecum secreta loquendi,
» Et damus amplexus, et jungimus oscula coram.
» Quantum est, quod desit! miserere fatentis amorem,
» Et non fassuræ, nisi cogeret ultimus ardor:
» Neve merere, meo subscribi causa sepulcro. »

servare judicium suum, in eo perseverare; Burmannus tamen mallet *versent*, quod melius responderet τῷ *inquirant*, et *versare examina* dictum esse, ut *versare exemplaria græca* apud Horatium, Art. Poet. 268. At aliud est *versare exemplaria*, aliud *examina*. Rod.: *lass sie der Gesetze Ausspruch befolgen*, quasi scriptum esset *dictamina*. — *Temeraria*, legibus et natura prohibita. — *Quid liceat* etc. Vulgaris juventutis peccantis excusatio.—*Sequimur exempla Deorum*, ut Chærea apud Terentium Eun. III, v, 36 sqq.—*Exempla* Saturni, Jovis, Oceani, qui suas habuere sorores. *Ed.*

555. *Durus*, severus, severe curans mores liberorum: Horatius, I, Ep. 1, 23, *quos dura premit custodia matrum*. Opponitur *facilis* pater. — *Reverentia*, cura.—*Impedient* Heinsius ex uno Gronoviano recepit; nam cæteri, *impediet*.—Regii nostri, *impedict*. — Mox variant Codd. Multi ex vetustioribus *tantum fit;* nonnulli, *adsit* vel *assit*. Primus Vatic. omisit *tantum*. Heins. suadebat: *nam quæ sit causa timendi?*—Regius A, *tantum sit;* Regius B, *tantum absit*. — *Causa timendi* fuisset, si aut palam aut immodeste se amassent.—*Dulcia furta* e Virgilio, Georg. IV, 346; suaves amores, quibus amantes clam fruuntur. Ii *fraterno sub nomine teguntur*, quum sub specie fraternæ et sororiæ pietatis celantur.—*Secreta*; Burman. probat unius Leidensis *secura*: sed *secreta* (quod habent nostri Regii) nolim mutari, quia bene respondet sequenti *coram*.

560. *Desit*; Heinsius conjicit *defit*. — Regii nostri *desit*. *Quantum est, quod desit*; ac si diceret, parum admodum deest ad explendum amorem nostrum. *Ed.*—*Neve merere* etc. Noli committere, ut tu causa mortis meæ subscribaris in monumento meo. Hic versus suspectus erat Heinsio. Retinendum eum recte censet Gronovius, quia in titulis sepulcralibus elogio causa mortis addi solebat. Vide Kirchmann. de Fun. Rom. III, 20. Exemplum talis inscriptionis est apud Tibullum, III, II, 29 sq. ubi confer Broukh. Etiam Heroid. II, 155, *Inscribere meo causa invidiosa sepulcro*. Et magnam vim habere hæc debebant apud fratris animum. Itaque et alibi sic alter

Talia nequicquam perarantem plena reliquit
Cera manum, summusque in margine versus adhæsit.
Protinus impressa signat sua crimina gemma,
Quam tinxit lacrymis: linguam defecerat humor:
Deque suis unum famulis pudibunda vocavit;
Et pavidum blandita; « Fer has, fidissime, nostro,
Dixit, et adjecit longo post tempore, fratri. »
Quum daret, elapsæ manibus cecidere tabellæ.

amantium movere conatur alterum, ut Heroid. XVIII, 200.

563. *Perarantem. Properantem*, quod habent MSS tres, posset quidem e versu 586, defendi, sed et alterum bene se habet; nam et *arare* de properante scriptore dicitur eoque, qui tabula cerata utitur. Etiam Amor. I, XI, 7, pro, *ad dominum perarata mane tabellas perfer*: edit. prima habet *properatas*.— Regius A habet *dicentem*; Regius B *perarantem*; alii duo *parantem*. — Tabula *plena* literarum *reliquit manum*; ingeniose, non suffecit scribenti, adeo, ut *summus*, ultimus, *versus* margini allinendus esset. Etiam Apostolo Paulo (ut hoc obiter addam) id accidisse arbitror, quum priorem ad Timoth. epistolam scriberet, ut, deficiente cera, verba μηκέτι ὑδροπότει etc. in margine appingenda essent, unde eo ipso loco, sed importune, textui illata sunt. — *Summus*; Regii nostri, *summo*: non male.

565. *Crimina*; nonnulli, approbante Heinsio, *carmina*.—*Sua carmina*, literas, quæ habebant sua crimina: sic VI, 131, *cœlestia crimina*.—*Gemmæ* signando usurpatæ, postquam scalpi cœperunt. Tibul. I, VI, 25, *gemmæ signumve*, id est, signum in gemma. Gemmæ autem *tingui linguæ humore* solebant, ne retinerentur a cera tenace. Amor. II, XV, 15 sqq.— Regii nostri, pro *linguam*, dant *linguæ*.

568. *Pavidum blandita*; vulgo *paulum blandita*: sed bene *pavidum* (quod habent Regii nostri) e MSS plurimis revocavit Heinsius. Exprimit enim ingenium heræ, quæ non blandita fuisset famulo, nisi pavida fuisset. *Pavidum*, pavidæ. Safftius vertit: *und redet ihn, da er erschrickt, freundlich an*. Ergone *blandiri aliquem* dicuntur? Blanditiæ autem sunt in *fidissime*. et in vultu, quo hæc pronuntiavit. Confer. Terent. Ad. V, v, 4, et Noster, XIV, 705. *Fidus* honestius voc. est, quam *fidelis*. *Fidus* enim amicus est, *fidelis* servus. Vide Donat. ad Terent. Andr. III, 1, 2; Phorm. I, II, 26. —*Et adjecit* etc. non tam propterea, quia *fratris* nomen ei odiosum (potuisset enim ambigue uti hoc nomine, quandoquidem et amatores et concubini *fratres* vocabantur. Martial. II, 4; X, 64; Tibul. III, 1, 23), quam propter perturbationem animi. — *Longo post tempore*, ut Virg. Ecl. I, 30, *post tanto*. Georg. III, 476, ubi vide Burmannum. Etiam h. l. vulgo *post longo*. — *Elapsæ cecidere* pro, elapsæ sunt. Facile eas pavor excutere potuit e manibus. Sed talia superstitio in *ominibus* ponebat. — *Elapsæ cecidere*. Pariter Virg. Æ. VI, 310, *Lapsa cadunt folia*.

Omine turbata est; misit tamen: apta minister
Tempora nactus adit, traditque latentia verba.
Attonitus subita juvenis Mæandrius ira,
Projicit acceptas, lecta sibi parte, tabellas;
Vixque manus retinens trepidantis ab ore ministri;
« Dum licet, o vetitæ scelerate libidinis auctor,
» Effuge, ait; qui, si nostrum tua fata pudorem
» Non traherent secum, pœnas mihi morte dedisses. »
Ille fugit pavidus, dominæque ferocia Cauni
Dicta refert: palles audita, Bybli, repulsa;
Ét pavet obsessum glaciali frigore pectus.
Mens tamen ut rediit, pariter rediere furores;
Linguaque vix tales icto dedit aere voces:
« Et merito: quid enim temeraria vulneris hujus

571. *Apta*, et vers. 610, *idonea tempora*, sunt opportuna rei agendæ; græce εὐκαιρία. Nugator Horat. simpliciter, *Tempora quæram*, lib. I, Sat. IX, 58. Ea minister noster *nactus*, forte fortuna tali tempore adiit. *Nancisci* enim ea dicimur, quæ nobis casu eveniunt.

573. *Attonitus*, furens. *Subita* enim ira in furorem rapit homines, ut parum curent, quid dicant agantve.— *Juvenis Mæandrius*; Caunus Mæandri nepos. *Ed.* — Non sine causa *juvenis* vocatur; *juvenes* enim sunt ὀξύθυμοι καὶ οἷοι ἀκολουθεῖν τῇ ὁρμῇ. Aristot. Rhet. II, 12. — *Lecta sibi parte*; Heinsius malebat *lecta vix parte*, quod improbat Burmannus quia *vix* sequitur.

576. *Dum licet, o vetitæ* etc. Verissime imitatur sermonem eorum, quorum ira erumpit in famulos: *auctor*, nuntius: *traherent secum*, sibi adjunctum haberent; Fast. IV, 662, *Nox venit, et secum somnia nigra trahit.*—*Pudorem nostrum*, rem, quæ nobis pudori est. Si morte affecisset famulum, causa etiam mortis, quam tegere debebat Caunus, divulgata esset. Plusquam perf. *dedisses* bene convenit irato animo.

581. *Et pavet obsessum* etc. Summam animi perturbationem exprimit. Ea enim facit, ut vitalis calor cum sanguine exteriores corporis partes relinquat. Vide Gellium, XIX, 6. Hinc pallor trepidantium; *Frigidius glacie pectus*, Heroid. I, 22; Statius Theb. X, 617, *corda metu glaciante*; Lucan. VII, 339, *stat corde gelato Attonitus.*

583. *Icto.* Neapolitanus et duo alii, *secto*: *icto*, moto; III, 706, *ictus ululatibus æther*; IV, 124, de aqua, *ictibus aera rumpit*; Claudianus in Rufin. I, 130, *ululatu æthera rupit.* Burmannus hoc ex arguta Stoicorum sententia dictum putabat, qui vocem *ictum aera* esse contenderint. Sed nil aliud est, nisi quod alibi occurrit, *voces effundere in aera.*

584. *Et merito.* Incipit abrupte,

» Indicium feci? quid, quæ celanda fuerunt,
» Tam cito commisi properatis verba tabellis?
» Ante erat ambiguis animi sententia dictis
» Prætentanda mihi : ne non sequeretur euntem,
» Parte aliqua veli, qualis foret aura, notare
» Debueram, tutoque mari decurrere; quæ nunc
» Non exploratis implevi lintea ventis.
» Auferor in scopulos igitur, submersaque toto
» Obruor Oceano; neque habent mea vela recursus.
» Quid? quod et ominibus certis prohibebar amori
» Indulgere meo, tum quum mihi ferre jubenti
» Excidit, et fecit spes nostras cera caducas?

ut VI, 687. Nempe postquam multa secum cogitaverat de repulsa, quam tulerat, dolor in hæc verba erumpit, *Et merito.* Quum res non successit ex animi sententia, singula, quæ fecimus, retractare solemus animo; et incerti, mox in hoc, mox in illo causas spei frustratæ quærimus. Idem nunc facit Byblis; sed justo longior est hæc retractatio, quæ pertinet usque ad vers. 614. — *Quid;* quum nonnulli *quod* habeant, Heinsius putabat *quo*, id est, cur. Sine causa; nam *quid* idem significat et de industria repetitum est a poeta. — Regii nostri, *quid.* — *Properatis.* Vide ad X, 31.

588. *Prætentanda*, ante manifestam declarationem experienda: *prætentare* etiam, VIII, 7. Jam conatus suos cum navigatione comparat, in eaque metaphora diu persistit. Sed vix dolenti animo convenit talis allegoria. Sensus autem ejus facile potest a quovis lectore reperiri. — *Lascivior aliquanto est Ovidius*, inquit Fabius, Instit. Orat. X, 2, *et nimius amator ingenii sui;* et mox : *Ovidii Medea videtur mihi ostendere quantum vir ille præstare potuerit, si ingenio suo temperare quam indulgere maluisset.* Et hic sane fatendum est lascivire ipsius ingenium, nactum scilicet materiam sequacem et genio suo affinem. *Ed.* — *Ne non sequeretur euntem*, ut secundaret cursum meum : *euntem*, navigantem. A *sequendo* ventus *secundus* dictus. — *Notare*, observare. — *Decurritur* proprie in stadio ad calcem, sed inde hoc vocabulum ad navigationem translatum.

592. *Auferor* etc. Amor. II, IV, 8: *Auferor, ut rapida concita puppis aqua.* Ed. — *Toto;* Heinsius malebat *moto.* — Regii nostri *toto.*

594. *Quid? quod et ominibus* etc. Ex more superstitiosorum hominum hæc dicta, qui, ubi adversi aliquid iis accidit, id inde repetunt, quod ominibus non paruerint; Virgilius Ecl. I, 16. *Certa omina* et *signa* (vide in finem notæ) sunt perspicua, et opp. *obscuris*, quæ dubites an ominis vim habeant. Virgilius, Georg. I, 229, *haud obscura signa.* — *Fecit* etc. Cera caduca portendit, spem quoque meam esse *caducam*,

» Nonne vel illa dies fuerat, vel tota voluntas,
» Sed potius mutanda dies? Deus ipse monebat,
» Signaque certa dabat, si non male sana fuissem.
» Et tamen ipsa loqui, nec me committere ceræ
» Debueram, præsensque meos aperire furores.
» Vidisset lacrymas; vultus vidisset amantis:
» Plura loqui poteram, quam quæ cepere tabellæ.
» Invito potui circumdare brachia collo;
» Amplectique pedes, affusaque poscere vitam:
» Et, si rejicerer, potui moritura videri.
» Omnia fecissem; quorum si singula duram
» Flectere non poterant, potuissent omnia, mentem.
» Forsitan et missi sit quædam culpa ministri.
» Non adiit apte; non legit idonea, credo,
» Tempora; nec petiit horamque animumque vacantem:
» Hæc nocuere mihi: neque enim de tigride natus;

id est, vanam; *Caducæ preces*, I, Fast. 181.—*Sed potius mutanda dies* bene ad amoris ardentissimi veritatem repetitum, quum non sustineret *totam voluntatem*, totum consilium, abjicere.—*Monere* proprie de ominibus, auguriis etc.—*Signaque certa*; tres *Signaque cara*: Heinsius volebat *Et rata signa*.—Regii nostri *Signaque certa*.—*Male sana*, insana; Virgilius *si mens non læva fuisset*.

600. *Et tamen ipsa loqui* etc. Coram melius, quam literis, fratrem vicissem.—*Ipsa* coram, opp. literis.—*Me* cum vi dictum, id, unde salus mea pendet. Etiam *committere* verb. delectum. — Jam singula enarrat, quibus præsens fratris animum vel mollem movere, vel durum vincere et cogere tentasset. Sunt autem illa amantium, dolentium, persuadentium, supplicum, desperantium.—*Vultus amantis*; Heins. malit *amantes*, vel *vultum amantem*, quia *vultum* plurimi veteres. — Regii nostri *vultum... amantis*. — *Adfusum* sive *advolutum amplecti pedes* aut *adhærere genibus* etiam Romæ frequens supplicantium mos; Plinius, IX, Ep. XXI, 1.

608. *Potuissent omnia*; Heinsii unus, unus Ambrosianus cum Codice Bersm. *poterant tamen omnia*, quod concinnum videbatur Heinsio. — Regii nostri nihil mutant.

610. *Non adiit* etc. Idem rursus ter dixit; nam *adire apte*, *legere idonea tempora* (vide ad vers. 571) et *petere horam vacantem* eodem redeunt. Sed confusæ menti conveuit talis tautologia. *Hora animusque vacans*. hora, ubi animus vacat laboribus. Heinsius malit *non petiit... vacantes*.

612. *Hæc* non modo ad proxime antecedentia, sed et ad superiora referendum. Nisi culpa aut mea aut

» Nec rigidas silices, solidumve in pectore ferrum,
» Aut adamanta gerit, nec lac bibit ille leænæ.
» Vincetur : repetendus erit; nec tædia cœpti
» Ulla mei capiam, dum spiritus iste manebit.
» Nam primum, si facta mihi revocare liceret,
» Non cœpisse fuit : cœpta expugnare, secundum est.
» Quippe nec ille potest, ut jam mea vota relinquam,
» Non tamen ausorum semper memor esse meorum.
» Et, quia desierim, leviter voluisse videbor;
» Aut etiam tentasse illum, insidiisque petisse.
» Vel certe non hoc, qui plurimus ussit et urit

missi ministri esset, si rem aliter tractassem, victus esset frater; *neque enim de tigride* etc. Hinc commode eo defertur, ut rem denuo tentare cupiat. Verbis autem illis *de tigride natus* etc. solemne poetis animum durissimum describere; vide ad VII, 32. — *Rigidas* e duodecim præstantioribus; cæteri *rigidos*. — Regii nostri *rigidas*.

615. *Vincetur* etc. Novum periculum facere vult. — *Repetendus*, denuo tentandus. Confer Horatium, Sat. I, IX, 55 sqq.— *Tædia capiam*; Neapolitanus et Mediceus *tædia faciam*; Regius, Urbinas et primus Palatinus mutata distinctione, *mei: cupiam*.–Codex noster A male habet *tædia cepit Ulla mei : cupiam*; sensus est nimium contortus; Codex B, *tædia cœpti ... cupiam*, sed melior est recepta. *Ed.* — *Tædia capiam*, pro vulgari, tædia capient me. Laudat Burm. Corn. Nep. apud Gellium, VII, 18, *Ut tædium vitæ ceperint*. Dictum ergo est ut *gaudia capere*, et apud Cic. Quint. 31, *capere misericordiam*, misereri. Librarii hoc loco hæsere in hac formula. Notatur autem h. l. tristis sors ejus, qui e turpissimorum criminum infamia se expedire nescit, nisi novis sceleribus perpetrandis.

617. *Facta revocare*, facta infecta reddere.—*Cœpta*; Regii nostri *cœptum*.—*Cœpta expugnare*, cœpta perficere. Fatetur Burmannus se ignorare hujus locutionis exemplum. Comparare possis ex XIV, 21, *expugnax herba*, efficax.—*Ut jam* etc. quod si etiam nunc a votis meis absistam.

621. *Leviter*, non summo furore correptam, quod excusatius. Majorem etiam veniam merentur, qui a *Deo* incitati, quam qui *libidine* victi amant. — *Ussit et urit*; olim edebatur *urget et urit*; sed *urit et ussit* jam Ciofano placebat e suo Codice et Cælest. Idem postea in pluribus (et in nostris Regiis; malim *urget et urit*. Ed.) repertum veteribus. Heinsius conjecturat *urit et urat*. Burmannus præferendum censebat *ussit et urit*, ut se nondum desistere posse indicet. Eum ordinem nos restituimus. Sic, VIII, 350, *si te coluique coloque*; XII, 114, *Valuit mea dextra valetque*.— *Plurimus*, summa vi.

» Pectora nostra, Deo, sed victa libidine credar.
» Denique jam nequeo nil commisisse nefandum.
» Et scripsi, et petii; temerata est nostra voluntas.
» Ut nihil adjiciam, non possum innoxia dici.
» Quod superest, multum est in vota; in crimina parvum. »
Dixit; et, incertæ tanta est discordia mentis!
Quum pigeat tentasse, libet tentare; modumque
Exit, et infelix committit sæpe repelli.
Mox ubi finis abest, patriam fugit ille, nefasque;
Inque peregrina ponit nova mœnia terra.
Tum vero mœstam tota Miletida mente
Defecisse ferunt: tum vero a pectore vestem
Deripuit, planxitque suos furibunda lacertos:
Jamque palam est demens, inconcessamque fatetur
Spem Veneris, sine qua patriam, invisosque penates
Deserit, et profugi sequitur vestigia fratris.
Utque tuo motæ, proles Semeleia, thyrso
Ismariæ celebrant repetita triennia Bacchæ;

626. *Nostra voluntas*; Regii nostri perperam *voluptas*.

629. *Incertæ*; quatuor *incestæ*. Non absurde, judice Burmanno; Heinsius rectius legendum putabat *menti*.— Regii nostri, *incertæ*.—*Incerta*. dubia, fluctuans.—*Exit*, excedit.—*Committit repelli*, commissis suis facit, ut repellatur sive rejiciatur.

632. *Mox ubi finis abest*. Deinde quum nullus finis datur Byblidos flagitio, Caunus patriam relinquit. *Ed.* — *In peregrina terra*, in Caria, condidit *Caunum* urbem in *valle*, cujus Noster vers. 663, meminit, unde eam Q. Calaber, VIII, 79, κοίλην vocat, atque etiam lacum aquæ limpidæ in illa valle memorat.—*Deficere mente*, amentem fieri.—*Inconcessam spem* exquisitius esse puto, quam, quod Heinsius volebat, *inconcessæ Veneris*. — *Sine qua*, quod veteres plerique agnoscunt, frigidum videbatur Scheppero, qui corrigebat, *linquit patriam*. Duo Medicei *pro qua*. Olim edebatur *siquidem*. — Regii nostri *sine qua*.

640. *Utque tuo motæ*, etc. Solemne poetis, furentes cum mulieribus bacchantibus comparare, IV, 520 sqq. — *Triennia*; (ita Regii nostri) multi MSS *triterica*, *triaterica*, *trietica*.— *Triennia*, sacra Thebanorum trieterica in honorem Bacchi, de quibus, III, fab. ult. Illud ipsum nomen *trieterica* librarii h. l. substituere voluerunt, sed veram ejus formam reperire non potuerunt. — *Repetita* dicuntur sacra, quæ statis tempo-

Byblida non aliter latos ululasse per agros
Bubasides videre nurus : quibus illa relictis
Caras, et armiferos Lelegas Lyciamque pererrat.
Jam Cragon, et Lymiren, Xanthique reliquerat undas,
Quoque Chimæra jugo mediis in partibus ignem,
Pectus et ora leæ, caudam serpentis habebat.
Deficiunt silvæ; quum tu lassata sequendo
Procidis, et, dura positis tellure capillis,
Bybli, jaces, frondesque tuo premis ore caducas.
Sæpe etiam Nymphæ teneris Lelegeides ulnis
Tollere conantur; sæpe, ut moderetur amori,
Præcipiunt, surdæque adhibent solatia menti.

ribus celebrantur.—*Bubasus*, Cariæ regio, Plin. V, 29, et urbs, Sthephan. Byz. Βύβασσος (etiam Plinius, *Bubassus*) πόλις Καρίας. — *Nurus*, mulieres. — *Leleges*, Asiæ minoris incolæ, Caribus vicini. Vid. Strabo, lib. XIII.

645. *Cragus* mons Lyciæ, Plin. V, 27, *promontorium* dicitur. — *Lymire*, fluvius et oppidum Lyciæ.—De *Chimæra* vide ad VI, 339 : quum autem et corpus habuisse dicatur capræ et ignem vomuisse, quæritur, utrum h. l. *ignem* an *hircum* præferendum sit : nam MSS trahunt utroque. Naugerius conjicit *partibus ingens*; Constant. Fan. Perottus, Glareanus, Micyllus, Farnab. Rod. *hircum* præferebant.—Regii nostri, *ignem*. —Heinsius recepit *ignem*, quia Chimæra vocatur πῦρ πνείουσα, *ignifera* et *ignea*. Verum hoc non satis est ad defendendam illam lectionem; nam etiam μέσση χίμαιρα vocatur ab Homero, Il. Z, 155; Hesiodo. Theog. 322. Ignem vero non e mediis partibus, sed e faucibus vomuit. Favet tamen τῷ *ignem* alius locus, IV, Trist. VII, 14, ubi *Chimæram*, *A trunce, quæ flammis separat angue leam.* Cæterum Chimæram montem Lyciæ fuisse perhibent, quem summum leones, medium capræ, imum dracones tenuerint. Vide Servium ad Virg. Æneid. VI, 288. — *Lea*, i. q. *leæna*. Vide Munkerum ad Hygini fabulam 185.

648. *Deficiunt silvæ*; Bersmannus conjicit *destituunt*; male : jam V, 463, de Cerere, *quærenti defuit orbis.* — *Procidis* comprobat Heinsius exemplis. Sed et vulgatum *concidis* bene se habet : dicitur enim de iis, qui vel morientes vel animo linquentes cadunt. Atque ita et Lactant. legit, ut ex Arg. apparet.—Regii nostri, *concidis.* — *Frondes caducas*, folia, quæ deciderunt : sed VI, 396, *lacrymæ caducæ*, quæ decidunt. Virgilius, Æn. X, 622, *juvenis caducus*, casurus. Sueton. Galb. 17, *caducum auspicium*, casum denuntians.

651. *Sæpe etiam*; vulgo *sæpe illam*. —Regii nostri, *sæpe illam.*—*Moderetur*; Regii Codices *medeatur.* — *Adhibent solatia*, ut, III, 376, *adhibere preces*; et apud Tibullum, III, IV, 75, *adhibere querelas.*

Muta jacet; viridesque suis terit unguibus herbas
Byblis; et humectat lacrymarum gramina rivo.
Naidas his venam, quæ nunquam arescere posset,
Supposuisse ferunt: quid enim dare majus habebant?
Protinus, ut secto piceæ de cortice guttæ,
Utve tenax gravida manat tellure bitumen;
Utve sub adventum spirantis lene Favoni
Sole remollescit, quæ frigore constitit unda,
Sic lacrymis consumta suis Phœbeia Byblis
Vertitur in fontem, qui nunc quoque vallibus illis
Nomen habet dominæ; nigraque sub ilice manat.
IX. Fama novi centum Cretæas forsitan urbes

654. *Muta jacet*; plurimi *muta tacet*, ut X, 389, *Muta silet*: sed *jacet* melius respondet τῷ *terit*, pro quo, vulgo *tenet*. — Regii nostri, *jacet... tenet*. — *Humectat* etc. Virg. Æn. I, 465, *humectat flumine vultum*, ubi Heynius monet, *humectare* esse exquisite pro irrigare, et habere vim mitigandi ideam *fluminis*.

656. *Naidas his venam*, etc. In scaturiginem perennem mutant istas lacrymas. — *Habebant*, poterant; Horat. I, Ep. XVI, 23, *An melius quis habet suadere?*

658. *Picea* plurimum fundit resinæ, eaque tota est perfusa; Plinius, XVI, 10. — *Bitumen* in Babyloniorum potissimum finibus e terra æstuabat; Justin. I, II, 7. — *Gravida*, quatenus e sinu aut utero suo fundit bitumen. — *Consistere* proprie de fluviis glacie adstrictis.

663. *Vertitur in fontem*. Noster A. A. tradit, eam laqueo vitam finiisse. Nec aliter Conon. narrat. 2, et Parthen. Erot. XI: Antoninus Liberalis autem, 30, auctor est, eam in Hamadryadem esse a Nymphis mutatam, quum se voluisset e scopulo præcipitem dare, et fontem e saxo manantem dictum δάκρυον Βιβλίδος. Burmannus suspicatur, eam suspendisse se ad *ilicem* et inde delicuisse in fontem. Fuerunt haud dubiæ variæ de ea re traditiones. — *Vallibus illis*; sex *vallibus imis*; sic sane VI, 343: sed nunc, ubi locus mutationis indicandus, præstat *illis*. — Hoc habent regii nostri Codices. — *Nomen dominæ*, Byblis fons passim commemoratur. — *Nigra* a nigricante virore. Sic et Virg. Ecl. VI, 55, Cul. 138, *ilicis et nigræ species*. De illo *fonte* et *valle* vide ad vers. 633.

665–796. *Iphis* quum *Ianthen* uxorem ducere vellet, Isidis auxilio e virgine mutatur in puerum. Hæc ex Nicandro refert Anton. Lib. cap. 17. *Iphis* ibi vocatur Leucippus. Reliquas varietates suis locis videbimus. Fabula superiore nefandum amorem retulit, nunc subjungit prodigiosum.

665. *Fama novi*. Viam sibi munit ad fabulam seq. — *Cretæas*, nempe quia Cauni pater inde oriundus, vers. 443. E Creta profectus nos eo reducit. De *centum* Cretæ urbibus

Implesset monstri; si non miracula nuper
Iphide mutata Crete propiora tulisset.
Proxima Gnosiaco nam quondam Phæstia regno
Progenuit tellus, ignoto nomine Ligdum,
Ingenua de plebe virum : nec census in illo
Nobilitate sua major; sed vita fidesque
Inculpata fuit : gravidæ qui conjugis aures
Vocibus his movit, quum jam prope partus adesset :
« Quæ voveam duo sunt, minimo ut relevere labore;
» Utque marem parias : onerosior altera sors est;
» Et vires fortuna negat : quod abominor, ergo

vide ad VII, 481. — *Monstrum* et *miraculum*, miræ corporum transformationes, ut II, 367. — *Tulisset.* Plin. VIII, Ep. xx, 2, de miraculis naturæ, *quæ si tulisset Achaia.*

668. *Phæstos*, (Plin. IV, s. 20. *Phæstum*) urbs et regio insulæ Cretæ. Sed *Gnosus* multo celebrior Phæsto. — *Ligdus* apud Antonin. Lamprus vocatur, et uxor, quæ Nostro *Telethusa* est, Galatea. Monet Heinsius posse et *Lygdum* scribi; nam et λύγδος et λίγδος græca esse. Idem malit cum paucis MSS *ignotum*. sine causa. In argum. Lactantii, Ed. Colon. *Lyctus*, ut et Ald. h. l. Hujus nominis urbs in Creta. — Regii nostri, *ignotum Ligdum.* — *Ignoto nomine*, nec clarum rebus gestis, nec nobili genere natum. Utroque modo dicitur *nomen*, et de fama et de generis nobilitate. Virgilius, Æneid. IX, 343, *Multam sine nomine plebem. Ignotus* autem passim pro ignobili et obscuro. — *Census*, divitiæ, ut III, 588. — *In illo*, illius. — *Nobilitate*, jocose dictum. Male igitur auctor Argumenti *generosam* ei *stirpem* tribuit. Hac ejus notatione autem et viri decretum illustratur et auxilium ei latum. In *vita* hominum *fides* in primis spectatur, fundamentum, aut, secundum Horat. I, Od. xxiv, 6, soror justitiæ.

673. *Vocibus his movit.* Probitatem viri probat etiam seq. oratio. De salute conjugis est sollicitus, invitus mandat, addit lacrymas. *Movet aures alterius* et is, qui eum alloquitur, et res, quæ narratur : IV, 271. Hoc magis poeticum, quam quod Heinsio arridebat *monuit*, pro quo bene e quinque MSS recepit tamen *movit*. — Regii nostri dant *monuit*. — *Vovere*, precari. — *Labore* prætulit idem Heinsius ex Urbinate, primo Erfurt. et quatuor aliis, pro *dolore* (quod est in nostris Regiis), quia labor est puerperarum. — *Altera sors.* Saxtius vertit, *ein andrer Fall.* Imo, sexus femininus intellig. Sic *sors* etiam, III, 329; VI, 580. Ea sors est *onerosior*, quia patrem non adjuvare potest in victu quærendo. — *Vires* dici pro patrimonio, opibus, docent Gronovius, Observatt. IV, 29, et Burmannus ad h. l. Sed duodecim MSS habent, *natura negat*, quod probat Heinsius. Conditio naturæ muliebris negat vires,

» Edita forte tuo fuerit si femina partu,
» Invitus mando ; pietas, ignosce ; necetur. »
Dixerat : et lacrymis vultum lavere profusis,
Tam qui mandabat, quam cui mandata dabantur.
Sed tamen usque suum vanis Telethusa maritum
Sollicitat precibus, ne spem sibi ponat in arto.
Certa sua est Ligdo sententia : jamque ferendo
Vix erat illa gravem maturo pondere ventrem ;
Quum medio noctis spatio, sub imagine somni,
Inachis ante torum, pompa comitata suorum,

quo minus operam fila navare possit patri. Etiam Gron. Obs. II, 12, præfert, *natura*.—Regii nostri, *fortuna*.

678. *Pietas*, officia paterna, quæ hoc mandato læduntur.

679. *Lavare* poet. pro, irrigare ; Virgilius, Æn. XII, 21 ; et Georg. III, 221.

681. *Sed tamen usque suum* etc. In animo muliebri affectus maternus prævalet, apud Ligdum dura necessitas.—*Spem ponere in arto*, spem angustis finibus circumscribere, masculam tantum prolem sperare.—*Sibi* et ad Ligdum et ad Telethusam referri potest.—*Certa*, immutabilis.

683. *Ferre ventrem* proprie de gravidis. — *Erat ferendo*. poterat ferre, ut *non solvendo esse*. etiam infra, XV, 403, *onerique ferendo est*.—*Vix erat* profectum est ex ingenio Heinsii qui ita scripsit pro vulg. *vexerat*, quod sane ferri nequit. Nam etsi *vehere* interdum pro portare dicitur, tamen *ferendo vehere* nemini, opinor, placebit. —*Vexerat* (quod habent Regii nostri Codices) facile oriri potuit ex *vix erat* : jam hoc πρῶτον ψεῦδος multas varietates peperit, *vinxerat*, *vixerat*, *auxerat*, *duxerat*, *gesserat*, quæ omnia non certe sufficiunt, ut rectis conjecturis sanandus sit locus. Grævius et Capoferreus malebunt, *Fessa erat*.

686. *Inachis ante torum*, etc. Sic Ægyptiaca quoque mythologia attingitur, forte eam maxime ob causam, quod Romæ etiam Isiaca sacra celebrantur, pluraque templa intra ipsam urbem Isis habebat. Vid. Dio, XL, 47, ibique Reimarus. Confer cum nostro loco Amor. II, XIII, 7 ; Tibul. I, III, 23 sqq. Apud Antoninum Liberalem Latonæ opem implorat mater. Sed Cretenses facile habere etiam Ægyptiacas religiones potuerunt.— *Inachis*, Isis Ægyptiorum, in quam Io, Inachi filia, mutata credebatur ; vide in libro I, fab. X. Hinc simulacrum ejus βούκερων Herodot. II, 40. Sed erant, qui Isidem cum Luna eamdem esse dicerent, quia statuæ ejus in fronte *lunaria cornua*, lunam corniculatam gerebant ; Plutarchus de Iside et Osir. p. 467, ed. Reisk. — *Comitata suorum* ; olim edebatur *sacrorum* ; sed Heinsius ex plurimis MSS ut e primo Mediceo, secundo Palatino, *suorum* dedit. Burmannus ex *sororum*. quod non pauci præferunt, *comitante sonora* exsculpi posse putabat, ut ad *sistra* referatur. — Regius A, *sacrorum* ; B a manu prima

Aut stetit, aut visa est : inerant lunaria fronti
Cornua, cum spicis nitido flaventibus auro,
Et regale decus : cum qua latrator Anubis,
Sanctaque Bubastis, variusque coloribus Apis;
Quique premit vocem, digitoque silentia suadet;
Sistraque erant, nunquamque satis quæsitus Osiris,
Plenaque somniferi serpens peregrina veneni.

suorum; et margini inscribitur *sacrorum*. — *Inerant fronti*, gerebat in fronte. Cornua, quæ pr. sic dicuntur, rectius dicas *inesse fronti*. Vix autem dubium est, Isidem fuisse reginam, quæ cum Osiride conjuge agrum colere suos docuerit; Diod. Sic. I, p. 17. Hinc *spicæ flaventes auro*, aureæ. Tertullian. de Coron. cap. 7, auctor est, Isidem primam repertas spicas capite circumtulisse.

689. *Regale decus*, diadema, quod etiam a Curt. V, VIII, 13, *decus capitis* vocatur; Claudian. Laud. Stilich. I, 7, *victoris decus*, laurea. — In *pompa* sc. comitatu erat *Anubis latrator*, id est, canis. Propert. III, XI, 41, *latrans Anubis*. Osiridis filium, metu Typhonis expositum, reperit canis, quem ille deinde, Anubim dictum, comitem sibi et custodem fecit perpetuum; Plutarchus, d. l. p. 407. Alii filium ipsum cum facie canina fuisse tradunt. Alii rursus Mercurium ab Ægyptiis sic formatum et dictum existimant: vid. *Jablonsky* Panth. V, 1. Cum capite canino Anubis cernitur ex marmore expressus apud Boissard. Antiqu. Rom. P. 6, p. 78. — *Bubastis* colebatur in urbe Bubasto, et eadem cum Diana fuisse a multis perhibetur. — *Apis*, bos candidus cum maculis nigris, Osiridem referens; Plutarchus, d. l. p. 452; Solin. cap. 134; Ammian. Marc. XXII, 14 : hinc *varius coloribus*, versicolor; *varius* etiam simpliciter ita ponitur; Claudianus, R. P. II, Præf. 27, *varia tigris*.

691. *Quique premit* etc. Harpocrates, Isidis filius, qui meliorem Deorum notitiam suis tradiderat, pingebatur cum digito ori imposito, quod erat taciturnitatis symbolum. In sacris ejus clamabatur, γλῶσσα τύχη, γλῶσσα δαίμων; Plutarchus, d. l. p. 488. — *Sistrum*, crepitaculum æneum et rotundum, ἀπὸ τοῦ σείεσθαι, a concutiendo sic dictum. In superiore parte sculpta erat felis cum facie humana, in inferiore Isis. Usus ejus erat in sacris Isidis, ejusque sonitu Typhon terreri credebatur. Plutarchus, p. 488. Formam ejus expressam vides in Lipperti Dactyl. I, 870. — *Osiridis* corpus a Typhone in quatuordecim partes discerptum fuerat, atque disjectum. Illas partes undique conquisitas composuit Isis eo ipse loco, quo quamque invenerat. Plutarchus, p. 411. In ejus rei memoriam sacra instituta, in quibus sacerdotes cum fletu quærebant Osiridem, mox cum cantu redeuntes se invenisse eum dicebant. Minucius Felix, XXI, 7 sqq hinc *nunquamque* etc.

693. *Somniferi plena veneni*; Regii nostri Codices *somniferis*... *venenis*. — Hujus veneno sopiti homines moriuntur. Testis est Cleopatra, quæ

Quum, velut excussam somno, et manifesta videntem
Sic adfata Dea est: « Pars, o Telethusa, mearum,
» Pone graves curas; mandataque falle mariti.
» Nec dubita, quum te partu Lucina levarit,
» Tollere quidquid erit: Dea sum auxiliaris, opemque
» Exorata fero; nec te coluisse quereris
» Ingratum numen. » Monuit, thalamoque recessit.
Læta toro surgit, purasque ad sidera supplex
Cressa manus tollens, rata sint sua visa precatur.
Ut dolor increvit, seque ipsum pondus in auras

aspidis morsu in somnum soluta exspiravit. Propert. III, IX, 53; Lucan. IX, 12. In Isiacis monumentis frequenter aspis occurrit. Valerius Flac. IV, 418.—Micyllus et Saftius per *serpentem* crocodilum intelligunt, cujus morsus (at ille non mordet, sed devorat) insanabilis sit. Imo recte loc. explicant Farnab. et Heins. de aspide, quæ Isiacis in sacris colebatur. Vocatur *peregrina*, quia *Creta*, ubi res nunc agitatur, nullas serpentes venenatas habebat. Solin. cap. XI. — *Excutitur somno*, cujus somnus repentino strepitu abrumpitur; *defluit somnus*, si sponte cedit; Tibul. III. 4.

695. *Sic adfata Dea.* Brevis est hæc Isidis oratio, et accommodata temporibus Telethusæ mœrentis et fluctuantis, utrum mariti mandatis parendum sit, an adfectui materno. Blande eam alloquitur, ostendit, quid faciendum sit, et opem promittit.— *Mandata falle mariti*, falle maritum qui hæc mandavit. Vide ad vers. 120.

697. *Nec dubita.* Cantaber et quatuor alii, *Ne dubita*; multi *Ne dubites*. — Regii nostri *Nec dubita*. — *Tollere* etc. Terentius, Andr. I, 3, *Quidquid peperisset, decreverunt tollere.* — *Tollere* hic est educare, non exponere, non interficere. *Ed.* — *Dea sum auxiliaris.* Ad id alludit, quod, ut scribit Diodorus, Ægyptii asserunt, Isidem plurimorum inventricem fuisse ad morbos medicamentorum, et medicinæ arti multa contulisse: quam immortalitate quoque potitam gaudere hominum cultu, inque eorum valetudine præcipue versari, quin etiam in somnis palam eis opitulari, quos censuerit dignos. *Ed.*

700. *Monuit.* Mox vers. 779, *Consilium monitumque tuum est. Monere* enim proprie de somniis et Diis somnia mittentibus: vide quæ ad XIII, 216, ex Heinsio dicemus. *Ed.*

701. *Purasque... manus.* Non hic intelligenda *puritas* manuum ea, quam Deo placere sacri et profani scriptores monent, sed *puras* dicit, ut Burmannus vidit, lotas, quum jam aqua expiasset somnium. Abluebant autem sic non solum mala, sed etiam bona somnia; vide Broukhusium ad Propert. IV, IV, 22. Sed et preces facturi manus lavabant; Virg. Æn. VIII, 69. Sic *pura vestis* passim.— *Tollens;* Burmannus, quia præcessit *tollere*, e solenni permutatione monet recipi posse *tendens*.

Expulit, et nata est ignaro femina patri;
Jussit ali mater, puerum mentita; fidemque
Res habuit; neque erat facti nisi conscia nutrix.
Vota pater solvit, nomenque imponit avitum:
Iphis avus fuerat: gavisa est nomine mater,
Quod commune foret, nec quemquam falleret illo.
Impercepta pia mendacia fraude latebant.
Cultus erat pueri: facies, quam sive puellæ,
Sive dares puero, fieret formosus uterque.
Tertius interea decimo successerat annus;
Quum pater, Iphi, tibi flavam despondet Ianthen;
Inter Phæstiadas quæ laudatissima formæ
Dote fuit virgo, Dictæo nata Teleste.

— Regii nostri, ambo *tollens*: sed Codex A hæc ita legit. *purasque ad sidera tollens Cressa manus supplex.*

705. *Jussit ali.* Ab initio res bene procedere videbatur, multaque favebant consilio matris, mariti ignorantia, commune nomen, facies ambigua. Sed mox nectitur nodus, quem non nisi Isis solvere poterat. — *Facti.* Multi ex antiquis, *ficti*; Heinsius hic et versu 768, suadebat *furti.*—Codex Regius A hanc vocem omisit; Codex B dat *facti.*

707. *Avitum* ex more Græcorum. — *Commune*; generis communis, sexui utrique conveniens. — *Impercepta*, non percepta, non cognita; verbum novum. Plurimi *indecepta*; Calandræ excerpta, secundus Palatinus, primus Basileensis, primus Regius, alter Hamburgensis et quinque alii, *indeprensa*; primus Gronovii *imperfecta*; unus Heinsii cum excerptis Jureti *intercepta.*—Regius Codex A, *indeprensa*; Regius B, *indecepta.*—*Pia mendacia* etc. Mendacia latebant, quia fraus illa pia, quum Telethusa et filiolam servare, et jussis Deæ parere cuperet. Sed Caposerr. hunc vers. 710 a monacho, non ab Ovidio profectum putabat.

711. *Facies, quam* etc. Confer VIII, 322. *Ambiguum* talem vultum dixit Horatius, II, Od. v, 24, ubi Jani laudat ingeniosissimum Ausonii epigr. 105: *Dum dubitat natura, marem faceretne puellam, Factus es, o pulcher, pæne puella, puer.* — *Fieret.* Bersmannus legit *fierent*, non improbante Heinsio. — Regii Codices, *fieret.*

714. *Quum pater, Iphi.* Apud Antoninum Liberalem nihil de nuptiis et amore, sed mater Latonæ opem implorat, quum filia esset ea ætate, ut sexus latere diutius non posset. Ovidii ratio multo jucundior est, qua primum matris filiæque angor augetur, deinde sub ipsas nuptias fit mutatio. — *Laudantur.* quæ pulchra judicantur. Sic, II, 480, *laudata Jovi ora*; V, 59, *laudati vultus.* — Bene etiam *dos* de pulchritudine, quam natura puellæ nascenti dotis

Par ætas, par forma fuit; primasque magistris
Accepere artes, elementa ætatis, ab îsdem.
Hinc amor ambarum tetigit rude pectus; et æquum
Vulnus utrique tulit: sed erat fiducia dispar.
Conjugii pactæque exspectat tempora tædæ,
Quamque virum putat esse, suum fore credit Ianthe.
Iphis amat, qua posse frui desperat, et auget
Hoc ipsum flammas, ardetque in virgine virgo.
Vixque tenens lacrymas: « Quis me manet exitus, inquit,
» Cognita quam nulli, quam prodigiosa, novæque
» Cura tenet Veneris? si Dî mihi parcere vellent,
» Perdere debuerant: si non et perdere vellent,
» Naturale malum saltem et de more dedissent.

loco addidit; XI, 302, *dotatissima forma*. — *Dictæo Teleste*. Cretensi, a monte *Dicte* in *Creta*.

718. *Artes, elementa*. Durum est, primas artes dicere *elementa ætatis*, quum *elementa literarum* dici debeant. Tan. Faber corrigebat, *elementaque prima sub iisdem*. *Elementa prima* sane sæpe occurrunt, ut apud Horat. I, Sat. 1, et Quintil. Sed *accipere* artes *sub* aliquo non est latinum. Cogitabam, *alimenta ætatis*, quia literæ alunt adolescentiam, sed vereor, ut multis hanc conjecturam probem. *Ætas* autem interdum de pueritia dicitur; vide Broukh. ad Propert. I, VI, 21.

719. *Rude*, expers adhuc amoris propter ætatem morumque simplicitatem. Contra Phædr. II, II, 3, *mulier non rudis*, quæ callet artem amatoriam. Cæterum mirum est, virginem virginis amore arsisse. — *Tangunt* pectus, quæ id invadunt, in eo oriuntur, amor, invidia, cura. — *Tulit*, inflixit. — *Æquum*; IV, 62, *ex æquo captis ardebant mentibus ambo*, simili amoris ardore correpti erant; *pars æqua amoris* apud Terent. Eun. I, II, 12; Noster, VII, 803, *æquales urebant pectora flammæ*. — *Sed erat fiducia dispar*. Nam Iphis diffidebat se viri officio fungi posse; Ianthe vero contra fidebat se munera mulieris satis obituram. *Ed*.

728. *Perdere* etc. Hic versus, quem Heinsius spurium judicat, me non offendit. Interitum Iphis lenius malum judicat eo, quo nunc laborabat. Itaque non opus est, ut cum multis MSS legatur, *Parcere debuerant*, et deinde e conjectura Capoferrei, *si non me perdere vellent*. Quanquam Ovidius interdum sententias subjicere solet, quas suggessit verbum præcedens, idque ipsum verbum repetere in sententia. — Codex Regius A, *Perdere debuerant*: male; sed Codex B hunc versum inutilem et inconcinnum respuit. *Ed*.

729. *Naturale*, quod in rerum natura obvenit. Opp. vers. 726, *prodigiosum*, quod contra leges naturæ est. — *De more*, usitatum.

» Nec vaccam vaccæ, nec equas amor urit equarum.
» Urit oves aries; sequitur sua femina cervum.
» Sic et aves coeunt; interque animalia cuncta
» Femina femineo correpta cupidine nulla est.
» Vellem nulla forem! ne non tamen omnia Crete
» Monstra ferat; taurum dilexit filia Solis,
» Femina nempe marem: meus est furiosior illo,
» Si verum profitemur, amor: tamen illa secuta est
» Spem Veneris; tamen illa dolis, et imagine vaccæ
» Passa bovem est; et erat, qui deciperetur, adulter.
» Huc licet e toto sollertia confluat orbe,
» Ipse licet revolet ceratis Dædalus alis,
» Quid faciet? num me puerum de virgine doctis
» Artibus efficiet? num te mutabit, Ianthe?

730. *Nec vaccam vaccæ.* Magnitudinem et acerbitatem mali sui declarat, primum per comparationem tam cum animalibus brutis, quam cum mulieribus nefariis. Melius tamen, puto, hæc comparatio resecta esset. *Nec vaccam* etc. Conf. Amor. I, x, 27; Art. Amat. II, 481. — *Cervum.* Thuan. Junianus et duodecim alii *taurum.* — Regii nostri *cervum.*

734. *Vellem nulla forem.* Mortem sibi imprecatur: sæpe apud Terentium *nullus sum*, id est, perii. — *Crete monstra ferat.* Multi Codices *ferant;* hinc Burmannus, si quid mutandum sit, suadet *Cretes monstra ferant.* Multa Creta *monstra tulit.* Pomp. Mela, II, 7, *Crete multis famigerata fabulis, adventu Europæ, Pasiphaes et Ariadnæ amoribus, Minotauri feritate fatoque. Dædali operibus et fuga* etc. — *Solis filia*, Pasiphae; de cujus horrendo flagitio vide ad VIII, 132.

737. *Sequi..... spem* exquisitius quam, habere spem. — *Dolis.* Pasiphaen inclusam vacca lignea occurrisse bovi volunt Mythologi. *Ed.* — *Et imagine.* Unus et nostri Regii, *in imagine*, sed male. — Intellige, inclusa in imagine.—*Passa est bovem*, concubuit cum bove.—*Adulter*, taurus; Heroid. IV, 57, *Pasiphae decepto subdita tauro.* Expressit nostrum locum Seneca, Hipp. 115 sqq.

740. *Huc licet e toto.* Nemo mederi meo malo potest. Sed singula hujus soliloquii argumenta ita cohærent, ut alterum ex altero fluat. Talis autem transitus ab uno ad alterum commendatur ab artis magistris.—*Sollertia* cernitur in reperiendis remediis. — Commode *Dædalus* hic commemoratur, non solum, quia *doctis*, scilicet ingeniosis *artibus* inclaruerat, verum etiam, quia inter Cretenses versatus erat. Earum artium partem memorat, quum dicit, *licet revolet ceratis alis.*

» Quin animum firmas, teque ipsa recolligis, Iphi,
» Consiliique inopes et stultos excutis ignes?
» Quid sis nata vide, nisi te quoque decipis ipsam:
» Et pete quod fas est; et ama, quod femina debes.
» Spes est, quæ capiat, spes est, quæ pascat amorem.
» Hanc tibi res adimit: non te custodia caro
» Arcet ab amplexu, nec cauti cura magistri,
» Non patris asperitas, non se negat ipsa roganti.
» Nec tamen est potiunda tibi: nec, ut omnia fiant,
» Esse potes felix; ut Dîque hominesque laborent.
» Nunc quoque votorum pars una est vana meorum:

744. *Quin animum firmas.* Jam incipit se colligere, et sana est, sed mox, ut fit, ad malum suum redit: *firmas* pro *obfirmas*, idque Heinsius h. l. reponendum censet; sine causa. Tibullus ait, III, II, 5, *firmus*, qui aliquid fortiter perfert; Noster, I, Fast. 497, *firmata mens*; et supra, III, 689, *mentem firmat Deus.* — *Consilii inopes*, quibus consulere ac mederi nemo potest; Terentius, Eun. I, I, 12, *quæ res* (nempe amor) *in se neque consilium, neque modum habet ullum.* — *Et pete.* Sex scripti *Id pete*: inde Heinsius conjicit *I, pete*; quo recepto vulgatum *vides* in versu præcedenti, pro *vide*, servari posset.—Reg. nostri, *Et pete*.

748. *Spes est quæ capiat.* Heinsius putat, carnificem aliquem hic esse sententias locutum. Sed quo minus hic versus deleatur, impedit in versu seq. *res*, quæ bene opponitur *spei*, monente etiam Burmanno. Tan. Faber *capiat* mutat in *faciat*. quod postea in uno MS repertum placet etiam Burmanno, quia et I, 468, *facere amorem*; quanquam non negat, *capiat amorem* posse sumi, ut versu 615, *capere tædia*. Mihi locus optime se habere videtur. Ut *capere flammas, spem, fastum*, et similia, sic et *capere amorem* de ejus initiis, quæ capta deinde *pascuntur*.—Regii nostri, pro *pascat* habent *pascit*: minus bene.

749. *Hanc tibi res adimit.* Omnia, quæ amantibus sæpe adversa sunt, mihi favent; sola natura mihi nocet.—*Magistri* e Cod. Francof. et 18 aliis recte Burman. recepit, quum antea *mariti* ederetur, quod nullo modo ferri poterat. Si *magistrum* intelligis literas docentem e vers. 717, *custodia* referenda est ad pædagogum, qui pueris puellisque addebatur, ut esset custos vitæ et morum; Terent. Adelph. I, I, 21. A Juvenali, VII, 218, vocatur *discipuli custos*; ab Horat. I, Od. XXXVI, 8, *rex puertiæ*. Burman. vero *magistri* nomine nunc illum rectorem et custodem indicari. Tunc *custodia* matris esset; Horat. I, Ep. I, 22, *quos dura premit custodia matrum.* Vide nos ad Plinium, V, Ep. XVI, 3. — Regii nostri Codices, *cura mariti*, quod Heinsius mutari vetat. *Ed.*

754. *Nunc quoque* etc. Ita hunc locum Burmannus constituit ducta

» Dîque mihi faciles, quidquid valuere, dederunt.
» Quodque ego, vult genitor, vult ipsa, socerque futurus;
» At non vult Natura, potentior omnibus istis,
» Quæ mihi sola nocet : venit ecce optabile tempus,
» Luxque jugalis adest, ut jam mea fiat Ianthe;
» Nec mihi continget : mediis sitiemus in undis.
» Pronuba quid Juno, quid ad hæc, Hymenææ, venitis
» Sacra, quibus qui ducat abest, ubi nubimus ambæ? »
Pressit ab his vocem : nec lenius altera virgo
Æstuat; utque celer venias, Hymenææ, precatur.
Quod petit hæc, Telethusa timens, modo tempora differt;
Nunc ficto languore moram trahit : omina sæpe,
Visaque causatur; sed jam consumserat omnem
Materiam ficti; dilataque tempora tædæ
Instituerant; unusque dies restabat : at illa
Crinalem capiti vittam natæque sibique

unius Regii : vellet etiam in principio *Nunc modo*. Olim edebatur *nulla est una*; alii *Nunc quoque.... pars nulla*; quidam *ulla*. Heinsius olim legebat *pars irrita nulla* : postea hunc versum et sequentem tollendum censebat.—Regii nostri Codices *Nunc quoque.... nulla est pars ulla*.—*Nunc quoque*, quum Dii omnia dederunt, quæ potuere, amorem mutuum, consensum parentum etc. una pars votorum meorum, coitus scil. abest, et irrita facit omnia.

756. *Vult ipsa, socerque futurus*. Sic meliores: Multi (et Regii nostri A et B) *socer, et vult ipse futurus*. Heinsius malit, *quod genitor, vult ipsa socerque socrusque* : male.

760. *Mediis sitiemus in undis*. Alludit ad fabulam Tantali. *Ed.*

763. *Ab his*. Post hæc, ut VIII, 611.—*Lenius*. Heinsius putat *secius*. —*Altera virgo* non placet Burmanno, quum et Iphis virgo esset; præfert e Codice Bononiensi *inscia virgo* : sed bene se habet *altera virgo*. —Regii nostri *altera virgo*.

765. *Quod petit*. Regius A bene, ut puto, habet *Quæ petit*. — *Omina sæpe* etc. Innumeræ res apud veteres erant ominosæ; quibus oblatis tum alia negotia, tum etiam nuptiæ differebantur. Hinc fingi interdum solebant omina. Vide Terentium, Phorm. IV, IV, 24 sqq. ibique Lindenbrog. — *Causari* ita etiam apud Propert. IV, IV, 21, *Sæpe illa immerito causata est omina Lunæ*. Alibi jungitur hoc verbum cum casu et cum infinitivo. Vide Bentlei. ad Horatium, I, Od. I, et Heyn. ad Tibullum, I, III, 17.

770. *Capiti.... natæque sibique*. Heinsius jubebat scribi *capitis*, vel contra libros veteres, nisi pro *sibi-*

Detrahit, et passis aram complexa capillis :
« Isi, Parætonium, Mareoticaque arva, Pharonque
» Quæ colis, et septem digestum in cornua Nilum;
» Fer, precor, inquit, opem; nostroque medere timori.
» Te Dea, te quondam, tuaque hæc insignia vidi,
» Cunctaque cognovi; comitesque, facesque, sonumque
» Sistrorum, memorique animo tua jussa notavi.
» Quod videt hæc lucem, quod non ego punior ipsa,
» Consilium monitumque tuum est : miserere duarum,
» Auxilioque juva. » Lacrymæ sunt verba secutæ.
Visa Dea est movisse suas, et moverat, aras :
Et templi tremuere fores, imitataque Lunam

que legeretur *suoque :* sed duplicem dativum bene defendit Burmannus ex usu græcorum atque latinorum scriptorum. — Sequuntur ardentissimæ preces, ad quas Telethusam impellebant summæ angustiæ. Apud Anton. Liberal. diserte transformationem filiæ precatur, addito similium mutationum catalogo.—*Paraetonium*, urbs Libyæ Mareotidis cum portu amplo. Strabo, lib. XVII, p. 830. Ptolem. IV, 5.—*Cornua*, canales, alvei, quia solemne fluviis cornua tribuere in monumentis; vide ad vers. 1.—*Digestum* pro, divisum; Heroid. X, 67, *Crete centum digesta per urbes.*

776. *Vidi. Cunctaque cognovi.* Hic Heinsius malit *Vidi, Visaque cognovi.*—*Facesque sonumque* ex Juniano et alio. Heinsius malebat, vel cum uno Moreti *resonantia æra*, vel cum uno suo *crepitantia æra.* — Codex Regius A, *comites, sonitumque, facesque*, B, *sonitum, comitesque; facesque;* utraque lectio mala. *Ed.*

778. *Quod non ... ipsa*, non crucior conscientiæ furiis. Suspectum erat hoc hemistichium Heinsio. Gronovius e Ciofani Codice legendum putabat, *quod nunc ego punior ipsa*, quod in gravi angore sum ob servatam filiam, id patior, quia tuo monito parui. Audax contra et inepta est Schepperi emendatio : *quod non exponitur infans.* MSS nonnulli habent, *quod non ego ponor in ignem*, vel *igne.* Primus Mediceus *thalamo quod non ego ponor*, cum glossa, *id est deponor.* — Regius B, *quod non ego ponor in ignem;* male : A vulgatam habet cum hac glossa interlineari : *a diis propter interfectionem suam;* quæ sensum vatis optime explicat. *Ed.* — *Consilium monitumque.* Nonnulli *monitusque;* inde Heinsius *Consilii monitusque tui;* et mox ex novem MSS malit *miserere tuarum :* etiam in versu sequenti, vel invitis MSS scribi censet *sua verba.* — In hoc toto loco Regii nostri Codices vulgatam servant.

782. *Et templi tremuere fores.* Duo Palatini *patuere.*—Regii nostri bene *tremuere :* non convenit huic loco *patuere*, quod vix sensum habet. *Ed.* —Tremor templi, forium, ararum, fulgor simulacrorum, sonitus vaso-

Cornua fulserunt, crepuitque sonabile sistrum.
Non secura quidem, fausto tamen omine læta
Mater abit templo : sequitur comes Iphis euntem,
Quam solita est, majore gradu : nec candor in ore
Permanet; et vires augentur; et acrior ipse est
Vultus; et incomtis brevior mensura capillis;
Plusque vigoris adest, habuit quam femina : jam, quæ
Femina nuper eras, puer es : date munera templis;
Nec timida gaudete fide : dant munera templis;
Addunt et titulum; titulus breve carmen habebat :
DONA PUER SOLVIT, QUÆ FEMINA VOVERAT, IPHIS.

rum etc. signa erant præsentiæ et benevolentiæ divinæ. Virgilius, Æn. III, 90. Claudianus, XXXIII, 7. Callimachus, hymno ad Apoll. init. ibique Spanh. — *Crepare* verbum proprium in hac re. — *Sonabile.* Etiam hic invitis Codicibus Heinsius reponit *sonatile;* et comparat *multi foratilis, auratilis, vertilis, volatilis, rotatilis;* sed Burmannus recte monet *sonatilis* incognitam Latio esse vocem, *sonabilis* autem receptæ auctoritatis. — Regii nostri *sonabile.* De *sistri* forma et ratione formæ, vide Plutarchum, lib. de Iside et Osiride. *Ed.*

785. *Sequitur comes.* Triginta Codices, *sequitur puer.* — Regius A, *puer;* B, *comes.* — Mutatio puellæ in puerum ingeniose descripta est, signis externis commemoratis. Schirach. « Eleganter discrimen inter utrumque sexum depingitur, quatenus licebat poetæ. De cæteris caste et pulchre : *Jam quæ femina* etc. » — *Majore gradu*, longioribus passibus. Virgines *lento passu* incedunt; II, 572. — *Acrem vultum* habent mares, *tenerum* virgines. Cæterum ejusmodi portenta sexus mutati Plinius VII, 4, enarrat. *Ex feminis mutari in mares non est fabulosum .... Ipse in Africa vidi mutatum in marem nuptiarum die L. Cossicium, civem Thysdritanum.*

791. *Nec timida gaudete fide*, egregie; ita gaudete, ut posito omni timore fidem habeatis. Quibus enim repente et inexspectato ingens bonum offertur, ii nesciunt, an *fides* rei habenda sit; itaque aliquamdiu animus fluctuat inter timorem et gaudium, ut etiam Pygmalion, X, 287. Menardi MS *nec dubia,* quod Burmannus elegantius judicabat. Male. — *Munera*, ἀναθήματα, quæ ob auxilium præstitum grati animi causa in templo suspendebantur, et Deæ potentiam declarabant. Tibullus, I, III, 27.

792. *Addunt et titulum.* Titulus conceptus erat brevi carmine. — *Carmen* de inscriptione unius vers. est etiam in Virg. Æn. III, 285. *Carmen* enim omnis formula verborum : interdum ipse titulus *carmen* dicitur; vide Drakenb. ad Silium, IX, 266. Apud Anton. Liberal. non munus cum titulo datur, sed ritus sacri in rei memoriam instituuntur.

Postera lux radiis latum patefecerat orbem;
Quum Venus et Juno, sociosque Hymenæus ad ignes
Conveniunt; potiturque sua puer Iphis Ianthe.

794. *Patefacere* et *aperire* locum, facere, ut in conspectum prodeat. *Clauditur* contra et *conditur*, quum non amplius cernitur. — Cæterum non incredibilis hæc fabula videtur Safftio. Monet enim, fieri posse, ut e puella fiat puer, quandoquidem natura partes viriles absconditas ab initio, sero interdum proferat, dubitans quasi aliquamdiu, utrum sexum tribuat. Ita naturam etiam ludere in cinædis et in viraginibus. Similia habet Harduin. ad Plinium, lib. VII, cap. 4.

P. OVIDII NASONIS
METAMORPHOSEON
LIBER DECIMUS.

N. B. Argumentum hujus Libri decimi Metamorphoseon, relatum invenies in serie CANTERI, Tom. III, pag. 39.

FAB. I. INDE per immensum croceo velatus amictu
Aera digreditur, Ciconumque Hymenæus ad oras
Tendit, et Orphea nequicquam voce vocatur.

1–85. *Orpheus Eurydicen*, serpentis veneno interfectam, ab inferis reducendam impetrat ea lege, si sequentem non respiciat. Quod quum amans faceret, illa ad inferos relabitur; Orpheus autem, spreta mulieris consuetudine, pueros amare Thracum populos docet; Virgilius, Georg. IV, 454 sqq.; Seneca, Herc. Fur. 569; Herc. Œt. 1031 sqq.; Athen. XIII, p. 597, ubi fragm. ex elegis Hermesianactis, Apollod. I, III, 2. Hyginus, fab. 164. Nempe mortua conjuge Aornum, Thesprotiæ urbem, ubi antiquissimum νεκυομαντεῖον, profectus esse traditur, ubi Eurydices animam se sequentem videre sibi visus est: vide Pausan. Bœot. p. 768. Hinc nata fortasse fabula. — Hymenæus e Creta ab Iphidis nuptiis vocatus proficiscitur ad Orpheas in Thraciam. *Croci* usus etiam in tincturis erat, hinc *infectores crocotarii* apud Plaut. Aul. III, 5. *Croceus amictus* tribuitur etiam Baccho, Athen. V, p. 198, et Veneri, Valer. Flacc. VIII, 234: vide Salmas. ad Tertul. de Pallio, p. 329. Et is color convenit lætitiæ, nuptiis in primis. Claudian. Nupt. Honor. 211. Hinc *flava conjugio vincula portat Amor:* Tibul. II, II, 18. —*Velatus*, vestitus; sed maluit illud, quia *amictus* laxius vestimentum. Nempe *palla* intel. quæ Hymenæo Heroid. XXI, 162, tribuitur. — Inter *Cicones*, Thraciæ gentem ad Hebrum flumen, vixit Orpheus, et a mulieribus eorum discerptus est.— *Nequicquam* quomodo nunc intelligendum sit, poeta ipse mox docet. Sine fructu vocavit Deum, ut nullum inde emolumentum redundaret ad conjugium suum: vide ad IX, 295. Pro *rogatur*, quod Burman. κακοφώνου vitandi causa e 12 MSS recepit, revocavimus *vocatur.* Etenim *vocare Deum ad sacra, ad nup-*

Adfuit ille quidem; sed nec solemnia verba,
Nec lætos vultus, nec felix attulit omen.
Fax quoque, quam tenuit, lacrymoso stridula fumo
Usque fuit, nullosque invenit motibus ignes.
Exitus auspicio gravior; nam nupta per herbas
Dum nova Naiadum turba comitata vagatur,
Decidit, in talum serpentis dente recepto.

tias etc. formula solemnis; et, ut Burm. ipse fatetur, *voce vocare* passim apud Ovidium occurrit, neque ingratum illud auribus esse puto: vide ad I, 299, mollius certe est, quam illud Cicer. Off. I, 61, *pleniore ore*; aut infra, XIII, 734, *aliquo quoque*.

4-7. *Adfuit ille quidem.* Non faustæ fuere illæ nuptiæ. Confer, VI, 428 sqq. Id nunc ad Hymenæum ejusque facem refertur. — *Solemnia verba.* Unus Basilensis *solemnia jura;* quod ex *tura* ortum Burmannus putat. *Solemnia verba*, cantus solemnes et lætos, a quibus Hymenæus εὐηχης dictus.— *Nec felix attulit omen*, non fecit, ut lætum omen sponsis offerretur, quod felix conjugium iis promitteret. Diligenter autem omina ante nuptias captabantur: vide IX, 766.— *Lacrymosum fumum*, qui lacrymas ciet, habet ab Horatio, Sat. I, V, 80.— *Stridula*, nempe humida cum stridore fumabat.— *Usque fuit, nullosque.* Unus Vossii et unus Leidensis *Utque fuit*, *nullos invenit*, quod placet Heinsio.— Regii nostri habent lectionem receptam. — *Usque* vim habet, neque adeo mutandum: *invenire* eleganter pro, consequi, accipere; confer, II, 729; Art. Amat. II, 441, *Ignis exstinctas admoto sulfure flammas Invenit.* Similiter *invenire veniam*, *gloriam*, *opes:* vid. Grævius ad Justin. XII, VIII, 16: *motibus*, rotatione, qua suscitabantur facis ignes: vide IV, 508. *Lumina mota face* Heroid. II, 120; *jactatas mota face crescere flammas* Amor. I, II, 11.

8. *Exitus auspicio gravior.* Finis conjugii tristior etiam initio. Initium dixit *auspicium* forte cum respectu ad mala omina: *gravis*, infelix. — *Nupta* Agriope vocatur ab Hermesianac. — *Vagatur.* Fugiebat Aristæum in ripa fluminis; Virgil. et Hyg. d. l. Sed Noster alios auctores secutus videtur. Ipsa erat una *Naiadum*, aut secundum Virgilium *Dryadum.*—Pro *Naiadum* secundus Palatinus, alter Twisdenius et alius habent *Mænalidum.*— Regii nostri, *Naiadum.* — *Decidit* e Francofurtensi et Strozæ codice recepit Burmannus pro vulgari *occidit.*— *Decidit*, scilicet ad inferos, mortua est. Horatius, IV, Od. VII, 14, *Nos, ubi decidimus*, *Quo pius Æneas* etc. Sic etiam in lapidibus hoc verbum occurrit: vide Burmann. Hyginus, fab. 14, *decidit percussus* ab apro. Sic *dejicere* pro interficere apud Claudianum, Rapt. Pros. II, 39: tamen Mitscherl. hoc loco revocavit *occidit.*— Regii nostri habent *decidit.*— *Serpentis dente recepto*, morsa, vulnerata dente serpentis in herba latentis. *Recipit ferrum*, qui eo vulneratur, aut transfoditur. *Talus*, pro calce positus.

Quam satis ad superas postquam Rhodopeius auras
Deflevit vates; ne non tentaret et umbras,
Ad Styga Tænaria est ausus descendere porta;
Perque leves populos, simulacraque functa sepulcris,
Persephonen adiit, inamœnaque regna tenentem
Umbrarum dominum; pulsisque ad carmina nervis
Sic ait: « O positi sub terra numina mundi,
In quem recidimus quidquid mortale creamur,

11. *Rhodopeius*. Orpheus poeta Thracius: Rhodope autem mons est Thraciæ altissimus. *Ed.*—*Ad superas auras*. Lenzius superos Deos intelligit; potius est, inter vivos, in terra; Æneid. VI, 481, *multum fleti ad superos*: vide Drakenb. ad Sil. XIII, 606. Ita et Virg. Georg. IV, 486, *Eurydice superas veniebat ad auras*.—*Tentaret umbras*, periculum faceret, an cantu capi et flecti possent. Ita et *experiri* dicitur, ut *experiri animum victoris*, Vellei. II, LXXXVII, 3; *Tentare precibus* infra, XI, 239. —*Tænarus*, umbrosus specus in Malea promontorio, per quem descensus ad inferos. Orpheus Argon. 41. Ταίναρον, ἡνίκ' ἔβην σκοτίην ὁδὸν ἄϊδος εἴσω, Ἡμετέρῃ πίσυνος κιθάρῃ etc. *Tænaria porta*, per Tænariam portam.

14. *Leves populos*, scil. umbrarum, quæ *levi*, id est, tenui et umbratico corpore indutæ incedunt; Horat. I, Od. x, 18, *levis turba*. — *Sepulcris*. Regii nostri *sepulcro*. — *Persephonen*. Proserpinam. *Ed.* — *Inamœnaque*. Boxhornii, *et inania;* et passim *inane regnum* Plutoni tribuitur. Unus Langermanni *regna tuentem*.—Regii nostri *inamœnaque regna tenentem*. — De *inamœnis regnis* redi ad IV, 476. — *Umbrarum dominum*. Plutonem. *Ed.*

17. *Pulsis;* pulsatis: confer, V, 340. — Ergo formula *Sic ait* etiam præmittitur orationi, quod negabat Burmannus ad VIII, 618. Omnis autem, quæ sequitur, oratio attemperata satis est consilio Orphei. — Mox ambigi potest, utrum vulgatum *decidimus* defendas, an cum Heinsio *recidimus* præferas, quod et ipsum antiquorum MSS auctoritate se tuetur. Et placitis Heracliti omnia, quæ interire vel mori videntur, in ᾅδην *recidunt*. Cic. Nat. D. II, 26. « Terrena vis omnis atque » natura Diti patri dedicata est: qui » Dives, ut apud Græcos Πλούτων, » quia et recidant omnia in terras, » et oriantur e terris. » Claudian. R. Pros. I, 57, de Plutone, « qui finem » cunctis et semina præbes, Nas» cendique vices alterna morte re» pendis: Qui vitam letumque re» gis; nam quidquid ubique Gignit » materies, hoc te donante creatur, » Debeturque tibi, certisque amba» gibus ævi Rursus corporeos animæ » mittuntur in ortus. » Quæ loca defendunt τὸ *recidimus*. Etiam XII, 523, pro *detrusum* unus *retrusum*. Unus Vaticanus habet *in quem corruimus*.—Regii nostri *in quem recidimus*.—*Quidquid mortale creamur;* quicumque mortales creamur. Lucanus, VII, 363, *quidquid hominum sumus*. Huic autem legi non

Si licet, et falsi positis ambagibus oris,
Vera loqui sinitis; non huc, ut opaca viderem
Tartara, descendi; nec uti villosa colubris
Terna Medusæi vincirem guttura monstri.
Causa viæ conjux; in quam calcata venenum
Vipera diffudit, crescentesque abstulit annos.
Posse pati volui; nec me tentasse negabo:
Vicit Amor: supera Deus hic bene notus in ora est;
An sit et hic, dubito; sed et hic tamen auguror esse.

subjecti erant præclari homines. Ii enim *cælo demitti* dicuntur a Virgilio, Ecl. IV, 7, et quum moriuntur, *cælo redduntur*, *cælestem animam cælo reddunt;* Vellei. II, 123.

19. *Si licet.* Quidam *sic licet;* alii *scilicet;* Heinsius olim conjecerat *si liquet*, id est, si constat: nihil mutandum censet Burmannus. — Regii nostri *si licet.* — Jam fidem facit dicendis. Mendacibus tribuitur *falsum*, fallens, *os*, iidemque *ambagibus* mendacia sua celant. *Falsa ora* sic etiam Heroid. VI, 63; *falsa lingua* ibid. VII, 67, et supra, II, 631.—*Positis ambagibus;* missis ambagibus, sine ambagibus.

20. *Non huc, ut opaca* etc. Non vano consilio huc descendi; sed conjux, qua marito nihil carius esse debet, causa viæ justa est. — *Nec uti villosa* etc. nec ut Cerberum extraherem, quod fecit Hercules, VII, 410 sqq. Antecedens *vincirem guttura*, colla, pro consequente, extraherem; vincto enim collo trahuntur canes. — *Villosa colubris*, quæ villorum loco colubros habent. Sic vers. 349, *crinitas angue.* Claudian. Nupt. Hon. 223, *crinita sagittis.* — *Terna.* Oxoniensis *tetra;* multi ut primus Basileensis *torva;* duo *trina.* — Regii nostri *terna.* — *Medusæum monstrum*, quia Echidna, quæ Cerberum peperit, ex Typhaone et Medusa prognata; Hesiodus, Theogon. 295 sqq. et 306.

23. *Causa viæ conjux.* Regii nostri *causa viæ est conjux.*—*Venenum* etc. Heinsius volebat legi: *veneno Vipera diffuso crescentes abstulit annos;* quia in uno *veneno*, et in quatuor *crescentes.* — Regii nostri nihil mutant. — En gravis illa jactura, quam feci. *Crescentes abstulit annos*, ipsam juvenculam peremit. Annis poetæ ea tribuunt, quæ hominibus conveniunt, qui illos annos agunt. Heroid. I, 111, *molles anni*, pueri; Seneca, Hipp. 267, *fessi anni;* Propert. I, Eleg. 7, *tremuli anni;* Minuc. Fel. II, 1, *innocentes anni.* — *Pati* eleganter sic absolute ponitur, perferre dolorem constanter, *sich drein ergeben:* vide Gronovium ad Senecam Thyest. 468. Substantivum *patientia* sic est Tibul. III, II, 5, ubi locutus erat de eo, cui erepta conjux: *Non ego firmus in hoc, non hæc patientia nostro Ingenio.* — *Pati volui.* Heinsius volebat *pati vovi.* — Regii nostri *volui.*—*Supera Deus* etc. Commiserationem hæc faciunt; et quum illi ipsi, ad quos verba faciebat, amoris vim experti essent, tanto facilius veniam ab iis sperare pote-

Famaque si veterem non est mentita rapinam,
Vos quoque junxit Amor: per ego hæc loca plena timoris,
Per Chaos hoc ingens, vastique silentia regni,
Eurydices, oro, properata retexite fata.
Omnia debemur vobis; paulumque morati,
Serius aut citius sedem properamus ad unam.
Tendimus huc omnes, hæc est domus ultima; vosque

rat dolens Orpheus.—*Dubito*, certo non scio, ut VII, 677.

28. *Veterem rapinam* ex uno Vaticano dedit Burmannus, pro *veteris rapinæ*, ut *mentita* dictum esset passive, quod non inusitatum: sed elegantius et magis poeticum, *fama mentita est*. finxit, *rapinam* —Ambo nostri Regii *veteris rapinæ*. — *Rapinam* illam Noster cecinit supra, libro V, 341 sqq.—*Vos quoque junxit Amor*. Bersmannus et unus Heinsii *vicit Amor*; duo *vinxit*. Codex noster Regius A, *vinxit*; Codex B, *junxit*. *Per ego hæc loca* etc. Cum gravi obtestatione consilium suum exponit: Eurydicen in vitam reddite.—*Chaos* sæpe inferorum domicilium, ut Hesiodi Theogon. versu 700, ubi vide Græv. et Gesner. ad Claudian. V, 525. — *Vastique silentia regni*. Duo Bonon. et unus Moreti *silentia mundi*. — Regii nostri, *regni*; alterius sensus est dubius. *Ed*. — *Properata fata* habent omnes fere MSS (et nostri Regii) unde Heinsius illud accepit pro *properata fila*: et intelligendum est præmaturam mortem. *Properata fila* ex usu linguæ forent, quæ properanter neverant Parcæ, ut *properatæ tabellæ*, properanter scriptæ, IX, 586, et *properata stamina*, II, Sab. 83. Nam *properare*, ut σπεύδειν, properanter conficere. Similiter *festinare*, ut XI, 576, *festinare vestes*. Verum h. l. *properata fila* sunt, quæ properanter absciderant Parcæ, quod durum videtur. Proprie *fila retexuntur*, sed poetice et satis eleganter, ubi ad fila Parcarum alluditur, etiam *fata*. Itaque hoc recepi. Apud Statium, lib. III, Silv. III, 20. Parcæ dicuntur *celeres genitoris annos properasse*.

32. *Omnia debemur*. Vulgo (et in nostris Regiis Codicibus) *omnia debentur*; et ita potuerat dicere, id est, omnia obnoxia sunt *vobis*. Sed quoniam nos ipsi in illis *omnibus* sumus, propterea melius est, *debemur*. Paulo ante, *quidquid mortale creamur*; V, 343, *Cereris sumus omnia munus*; Horatius Art. Poet. 62, *Debemur morti nos nostraque*. Rem ipsam copiose tractavit Claudianus, R. P. II, 234 sqq.— Heinsius volebat hoc loco etiam *morata*, quod non est necesse. Neglecto τῷ *omnia* sensum potius curavit poeta, quam genus grammaticum.—*Morati*, ut viatores, qui *morari* interdum solent in locis gratis, et deinde *properant* ad locum constitutum. — *Serius aut citius*. Horatius, II, Od. III, 26, *serius ocius*. Non perpetuam jacturam facietis, sed reddetur vobis suo tempore. Id exprimit sententiis e poetis, aut e vita communi sumtis; sed temere cumulavit sententias illas. Confer. Horatius, II, Od. III, 35; et Propert. III, XVI, 21 sqq.

34. *Domus*; sedes; Homerus,

Humani generis longissima regna tenetis.
Hæc quoque, quum justos matura peregerit annos,
Juris erit vestri : pro munere poscimus usum.
Quod si fata negant veniam pro conjuge, certum est
Nolle redire mihi : leto gaudete duorum. »
Talia dicentem, nervosque ad verba moventem,
Exsangues flebant animæ : nec Tantalus undam
Captavit refugam ; stupuitque Ixionis orbis :
Nec carpsere jecur volucres ; urnisque vacarunt

Il. O, 251, δῶμ' Ἀΐδαο; Horatius, I, Od. IV, 20, *domus exilis Plutonia.* —*Longissima.* Unus Basileensis *latissima.* — Regii nostri *longissima.*

36. *Justi anni*, satis longus vitæ terminus. Cic. ad Att. V, 2, *justa*, satis longa, *itinera;* Amor. II, XIV, 14, *justa pondera*, maturus partus.—Hominum opinione injusti sunt anni eorum qui citius de vita demigrant, dicunturque ante diem rapi, seu emori. *Ed.*—*Matura.* Rod. legi vult *natura*, vertitque, *nach erreichtem natürlichen Ziele.* Putat, hoc melius opponi neci violentæ. Vulgata bene se habet: *matura*, scil. annis, aut ævo, quod interdum additur. Contra Propertius, IV, XI, 17, *immatura*, quæ moritur in flore ætatis; Tibullus, II, VI, 29, *immatura* ossa. Passim *matura ætas*, *maturi anni* ; vide Bentleium ad Horatium, A. 157. *Matura loqui* de sene apud Claudianum, Laud. Stilic. II, 169.—*Juris vestri*, in vestra potestate, ut infra vers. 725 ; Cic. Phil. IV, 4, *sub jure et imperio consulis.*

38. *Quod si fata negant.* Desperantis animi declaratio, qua commode finem facit dicendi : *negant veniam*, non concedunt quod peto ; non concedunt mihi copiam conjugis. Cicero, Or. I, 21, *date nobis hanc veniam*, annuite precibus nostris, ut recte explicat Harles. Hyginus, fab. 45, *Pandion Tereo veniam dedit*, filiam, quam petebat, comitem dedit, ubi vid. Munkerus. Etiam *gaudete* desperantis est, et bene de immitibus Diis usurpatum, qui omnes homines ad se rapiunt.

40. *Talia dicentem.* Non sine fructu fuit hæc talis oratio. Id jucunde describitur ex imitatione Virgilii d. l. et Horat. II, Od. XIII, 21-40, ubi Alcæus et Sapho similiter movent inferos. Conf. et Seneca, d. l. et Claudianus, R. P. II, 330 sqq. — *Refugam.* Leidensis *profugam* ; secundus Palatinus *refluam* ; Thuan. *amnem refugum.* — Regii nostri *undam refugam.*—*Refugum flumen* Tantali Heroid. XVIII, 182 ; *refugi latices* Claudian. II, in Rufin. 509.—*Orbis*, rota, ut IX, 123 ; Virgilius *Ixionii rota constitit orbis.* Sed hoc loco *stupuit*, quod ab animantibus translatum est, ut apud Propert. IV, XI, 23, *taceant Ixionis orbes.*—*Carpsere jecur*, ut IV, 217, *carpere pabula.* Secundum Senecam d. l. adeo *increvit Tityi jecur.* — *Vacarunt*, more aquantium ancillarum, quæ, dum quiescunt aut garriunt, deponunt interea urnas, quemad-

Belides; inque tuo sedisti, Sisyphe, saxo.
Tum primum lacrymis victarum carmine fama est
Eumenidum maduisse genas: nec regia conjux
Sustinet oranti, nec qui regit ima, negare;
Eurydicenque vocant: umbras erat illa recentes
Inter, et incessit passu de vulnere tardo.
Hanc simul et legem Rhodopeius accipit heros,
Ne flectat retro sua lumina, donec Avernas
Exierit valles; aut irrita dona futura.

modum Sisyphus a labore quiescens *sedit* in saxo suo. Hæc placent, quia mores vitæ quotidianæ exprimunt, et ἦθος habent. Horat. III, Od. XI, 22, *stetit urna paulum sicca, dum grato Danai puellas carmine mulces.*

45. *Tum primum lacrymis* etc. Inferi Dii non commoventur miseriis hominum. *Illacrymabilis Pluto* Horat. II, Od. XIV, 6; *lacrymis difficiles Dii* Seneca, Herc. Fur. 579. — *Victarum*, commotarum; sed illud melius convenit duro et sævo Furiarum animo.

49. *De vulnere*, propter vulnus. Etiam *a* sic ponitur, ut III, 571; Fast. IV, 338. Schirachius valde improbat, quod tardam de vulnere finxit, putatque, sinistre Nostrum imitatum esse Virg. Æneid. VI, ubi Dido stat, ut Marpesia cautes; hoc fuisse vulnus animi, sed morsum viperæ non habere locum in umbra exsangui. Male profecto sic disputat vir doctus: etenim ex opinione, nisi vulgari, certe quorumdam poetarum, vulnera et vitia corporis manebant etiam in umbris. Etiam Deiphobus apud Virgilium, Æn. VI, 494, laniatus corpore toto apud inferos incedebat. Hinc manes viventibus apparebant tales, quales e vita excesserant, v. c. Hector apud Virg. Æneid. II, 270. Confer Tibul. II, VI, 39. Eidem Schirachio displicet præpositio *inter* postposita, neque τὸ *illa* concoquere potest: sine causa utrumque.

50. *Heros*, quia Calliopes divæ filius. Vulgo edebatur *accipit Orpheus*. — Codex Regius A, *heros;* Codex B, *Orpheus:* prioris lectionem multo elegantiorem recte recepit Heinsius. *Ed.* — *Lex* illa a poetis ficta videtur, quia in sacris magicis respicere non licebat: vid. Cerda ad Virg. Ecl. VIII, 102. Similis lex Ulyssi lata Homer. Od. E, 350. — Memoriæ proditum est, ut inquit Pausanias in Bœoticis, Orpheum, uxore mortua, venisse ad Aornum Thesprotiæ, ubi per necromantiam evocarentur umbræ: ibi quum Euridices animam pone sequi putasset, et sua se opinione falsum respiciens animadvertisset, ultro sibi ipsi, mœrore confectum, mortem conscivisse. *Ed.* — *Donec Avernas* etc. Ergo alia via rediit ad superos. *Averni* enim colles, qui variis perfossi specubus vias habebant subterraneas et caliginosas, eamque ob causam pro descensu ad inferos habebantur, erant in Italia juxta Puteolanum sinum: vide Heynii Excursum II, ad Virgilium Æneid. VI: sed talia

Carpitur acclivus per muta silentia trames,
Arduus, obscurus, caligine densus opaca:
Nec procul abfuerant telluris margine summæ;
Hic, ne deficeret, metuens, avidusque videndi,
Flexit amans oculos: et protinus illa relapsa est;
Brachiaque intendens, prendique et prendere captans,
Nil nisi cedentes infelix arripit auras.
Jamque iterum moriens non est de conjuge quidquam
Questa suo: quid enim nisi se quereretur amatam?
Supremumque vale, quod jam vix auribus ille

promiscue usurpant poetæ. Confer Virgil. Georg. IV, 494. Apud Apollodor. respicere vetatur πρὶν εἰς τὴν οἰκίαν αὐτοῦ παραγενέσθαι.

53. *Carpitur* exquisitius quam vulgare *est trames*: confer IV, 432. — *Acclivus*, pro *acclivis* ex Zulichemiano dedit Heinsius. — Regii nostri *acclivis*. — *Muta* et mox *opaca* otiose addita: vide ad II, 66, *caligine densus*, ut alibi sæpe *silvis*, *virgis densus locus*.

55. *Absuerunt* dedit Heinsius ex Florentino S. Marci, pro *absuerant*; hoc habent nostri Regii. — *Margine* abesse posset, quia jam *tellus summa* superficiem terræ significat. Juvat cum his Virgilium conferre: « Jamque pedem referens casus evaserat omnes, Redditaque Eurydice superas veniebat ad auras Pone sequens; namque hanc dederat Proserpina legem; Quum subita incautum dementia cepit amantem, Ignoscenda quidem, scirent si ignoscere Manes. Restitit, Eurydicenque suam jam luce sub ipsa Immemor, heu! victusque animi respexit: ibi omnis Effusus labor etc. » — *Deficeret*, se desereret, relinqueretur. Lenzius subintelligit viribus. Rod., *dass sie nicht gleite*. — *Relapsa est*. Quinque *repulsa est*; unde Heinsius conjicit *revulsa est*. — Regiùs noster A, *repulsa est*. Non video quare lectio recepta, quam habet Codex B, mutaretur. *Ed.*

58. *Prendere captans* recepit Burman. ex MSS pro *certans* quod præferebat Ciofanus. Heinsius, etiamsi obstarent exempla Phædri infra posita, nihil mutandum censebat. — Codex noster A, *captans*; Codex B, *certans*. — Aut *captans* est conans, tentans (Phædr. IV, VII, 6, *quid me captas lædere?* V, III, 2, *quam opprimere captans*), aut *prendi et prendere* pro, ut prenderetur et prenderet. Apud Virgilium *nequicquam prensat umbras*: pleniorem autem imaginem exhibet *prendi et prendere*. quam unum *prendere*. — *Auras*, Virgilius, *aufugit ceu fumus in auras commixtus*, præclare de corpore umbratico defunctorum.

61. *Non est questa*. Multa queritur apud Virgilium vers. 494 sqq. de fati crudelitate, et relabitur cum fragore indignabundi Orci. — *Nisi se quere-tur*. Multi veteres *nisi*, aut *si subsequeretur amatam* vel *amantem*: Hein-

Acciperet, dixit; revolutaque rursus eodem est.
Non aliter stupuit gemina nece conjugis Orpheus,
Quam tria qui timidus, medio portante catenas,
Colla canis vidit: quem non pavor ante reliquit,
Quam natura prior, saxo per corpus oborto:
Quique in se crimen traxit, voluitque videri
Olenos esse nocens: tuque o confisa figuræ,
Infelix Lethæa, tuæ; junctissima quondam
Pectora, nunc lapides, quos humida sustinet Ide.
Orantem, frustraque iterum transire volentem
Portitor arcuerat: septem tamen ille diebus,

sius scribebat, *quid enim sese quereretur.*—Regius A, *nisi subsequeretur;* Codex B nihil mutat.

63. *Revoluta.* Vulgo *revocata.*—Regii nostri, *revoluta;* quæ lectio certe viridior. *Ed.* — *Revoluta est,* relapsa est cum notione celeritatis. Cic. Att. XIII, 26, *revolvor identidem in Tusculanum,* ubi simpl. redeo.

64. *Non aliter stupuit.* Vulgarem comparationem attoniti cum saxo exornavit fabulis, quæ, quum et ipsæ transformationes habeant, commode incertæ sunt. Viso aliquis Cerbero in saxum conversus sit necesse est: quis autem ille fuerit, non constat. Sine dubio id factum est, quum Hercules eum ad superas auras extraxisset. Confer. Suidas in proverb. *δειλότερος τοῦ παρακύπτοντος*, cui hæc fab. originem dedisse videtur. Idem addit, suo adhuc tempore conspici hoc saxum.

65. *Timidus* mutat Heinsius in *Stygii;* duo *tumidus;* primus Regius *tumidi*, id est irati: non male. — Codex Regius A, *tumidi;* Codex B, *timidi.* — *Medio:* collo subauditur; nam e tribus Cerberi collis medium catenis fuerat ligatum. *Ed.*

69. *Olenos ... Lethæa.* Horum fabula non nota.—*Confisa figuræ.* Turnebus, Advers. I, 23, legit *confixu figuræ*, et interpretatur: tu cum figura tua in lapidem obriguisti. Quidam MSS *figura.* — Regius A, *confisa figuræ;* B, *confisa figura.*—*Confisa figuræ* forte ita, ut se præferret Deabus; quam superbiam quum Deæ ulcisci vellent, Olenos videtur crimen in se recepisse. — *Jungere pectora* proprie de actu venereo: vide ad IX, 469. Sed nunc *junctissima pectora* sunt conjuges amore mutuo se amplectentes. *Jungere* enim etiam de amore et amicitia dicitur: *pectus*, ut alibi *caput*, de toto homine. — *Humida Ide:* vide ad II, 218.

72. *Transire volentem.* Sprotii codex et unus Moreti *transire parantem*, quod Burmannus melius judicat, quasi liceret iterum transire. Recte. — Regii nostri *volentem.* — *Portitor* nomine quasi proprio dictus Charon, non a portando, sed quod a mortuis portorium exigeret: vide Broukhusium ad Propert. IV, XI, 7: Virgil. G IV, 502, *nec portitor Orci Amplius objectam passus transire paludem.*—*Septem diebus.* Septenarium

Squalidus in ripa, Cereris sine munere, sedit.
Cura, dolorque animi, lacrymæque, alimenta fuere.
Esse Deos Erebi crudeles questus, in altam
Se recipit Rhodopen, pulsumque Aquilonibus Hæmon.
Tertius æquoreis inclusum Piscibus annum
Finierat Titan; omnemque refugerat Orpheus
Femineam Venerem; seu quod male cesserat illi;
Sive fidem dederat: multas tamen ardor habebat
Jungere se vati; multæ doluere repulsæ.
Ille etiam Thracum populis fuit auctor, amorem
In teneros transferre mares; citraque juventam
Ætatis breve ver, et primos carpere flores.

numerum elegisse Burmanno videtur, quia ultra septem dies sine cibo durare non posse creditur. Equidem potius arbitror, quia septenarius numerus olim sacer habebatur. Etiam, IX, 292, Alcmene septem per noctes cruciatur. Apud Virgilium septem menses sedet ad Strymonis undas. Infra, XIV, 423, aliquis *sex* noctes luget.

75. *Alimenta fuere*. Palatinus et unus Moreti *alimenta dedere*. Male. — Regii nostri *fuere*. — Curis et lacrymis non *alitur* corpus, sed conficitur. Itaque hoc vult; pro usu alimentorum, curis, dolori et lacrymis indulsit. In vita communi sæpius ita jocamur; at in carmine friget talis verborum lusus.

77. *Se recipit* etc. In solitudinem se confert; mœsti enim amant loca deserta. In *Hæmo* spelunca Aquilonis: vide ad VI, 709.

78. *Tertius* etc. Tertia jam vice sol emensus fuerat zodiacum. *Ed.* — *Pisces*, sidus zodiaci, quod sol olim hieme exeunte ingrediebatur. Hinc *annus inclusus piscibus*. Etenim *includi* et *claudi* dicuntur quæ terminantur. Vocantur *æquorei*, et vers. 176, *aquosi*, quorum epithetorum causa in promtu est. Etiam *Cancer*, sidus, vers. 127, vocatur *litoreus*. Quod quanquam paulo audacius dictum est, tamen non erat, cur Heinsius *æquoreis* mutaret in *æthereis*.

81. *Fidem dederat* Eurydicæ, se non amaturum aliam. Mox Heins. sine causa suadebat, *ardor agebat*: VII, 800, *mutua cura duos et amor socialis habebat*. Sabin. II, 56, *non habet me amor alterius*; IV, Trist. x, 116, *non habent me tædia*; III, Pont. I, 82, *habet livor te*: vide et ad IX, 291.

84. *Teneri pueri* possent esse molles, impudici, pathici; sed propter seqq. rectius ad ætatem teneram referes. Pueritia ejusque gratia eleganter cum vere et verno proventu comparatur: ἄνθος ἥβης Homer. Il. N, 484; ἄνθος ὥρας Anacr. XXXIV, 4. Contra maturitatem puerorum et puellarum Græci dixerunt ὀπώραν, et Horatius, II, Od. v, 10, *autumnum*. — *Citra*, ante: Sligenhorstius volebat *circa*. — *Carpere*, frui, sed *flores* proprie *carpuntur*: Liv. XXI,

II. Collis erat, collemque super planissima campi
Area; quam viridem faciebant graminis herbæ.
Umbra loco deerat: qua postquam parte resedit
Dîs genitus vates, et fila sonantia movit;
Umbra loco venit: non Chaonis abfuit arbos,
Non nemus Heliadum, non frontibus esculus altis,
Nec tiliæ molles, nec fagus, et innuba laurus:
Et coryli fragiles, et fraxinus utilis hastis,

3, *Florem ætatis Hasdrubal patri Hannibalis fruendum præbuit.* Cæterum Phanocles scripserat Ἔρωτας, in quibus multa de Orphei pæderastia exstabant; sed illi interciderunt: vide Heinsium.

86–142. *Arbores Orphei cantu motæ*, in quibus nonnullæ transformatione nobiles. Cantus enim suavitate arbores loco movisse, fluminum lapsus ventorumque impetum moratus esse, et immanes bestias domuisse, hoc est, hominum efferatorum mores mollivisse, legitur. Horat. I, Od. xii, 7 sqq.; Art. Poet. 391; Senec. Herc. Œt. 1031 sqq.

86. *Planissima campi area*, planissimus campus. Cic. Verr. IV, 48, *in summo* monte *est æquata agri planities*. Vossianus habet *placidissima*.— *Graminis herba* etiam apud Virg. Ecl. V, 26; Liv. I, 24; Claudian. bel. Get. 147, vel quia gramen inter herbas refertur (Plin. XXIV, 19), vel *herba* est germen graminis. Georg. I, 134, *frumenti herba*. Fast. I, 154, *seminis herba*.

88. *Umbra*. Arbores umbrosæ.— *Dîs*. Deo et Dea, vide ad vers. 167. — *Fila sonantia*, fides, chordas, *movit*, pulsavit.

90. *Non Chaonis*. Sequitur catalogus arborum, quemadmodum catalogos fluviorum, montium, siderum etc. alibi inseruit Ovidius: confer. Virg. Cul. 116 sqq. Statius, VI, 88. Seneca, Œdip. 530 sqq. Sed exornavit singulas arbores epithetis bene dilectis. Copiosior tamen in illis ornamentis est Virgilius d. l.— *Chaonis arbos*. Regii nostri *arbor*. — *Chaonis arbos*, quercus. Dodona enim, olim habitata a Chaonibus, (Strabo, p. 498), nobilia habebat querceta. Etiam Virgilius, Georg. I, 8, *Chaonia glans*. — *Nemus Heliadum*, vel populi, vel alni, in quas Heliades, Phaethontis sorores, mutatæ erant: vide II, 325 sqq. *Nemus* igitur de tribus arboribus capiendum. — *Esculus*, arbor maxima e quercuum genere, *quæ quantum vertice ad auras Ætherias, tantum radice in tartara tendit*; Virgilius, Georg. II, 291. Hinc hoc loco *frontibus altis*. Monet Burmannus a poetis *frontes* dari arboribus, idque docuisse Heinsium ad Claudian. III, Rapt. 346. Heinsius tamen. h. l. ex MSS suis malit, *frondibus*.—Regius noster Codex A, *nec frondibus*; Codex B, *non frondibus*.—*Innuba*, quæ non nubit viro, ut IX, 147, *laurus innuba*. laurus, in quam Daphne innuba mutata. Tibullus, III, iv, 23, *casta laurus*; Claudianus, R. P. II, Præf. 23, *Cirrhæique Dei quamvis despexerit artes, Orpheis laurus vocibus acta venit*.

93. *Utilis hastis*: vide ad V, 9.

Enodisque abies, curvataque glandibus ilex,
Et platanus genialis, acerque coloribus impar,
Amnicolæque simul salices, et aquatica lotos,
Perpetuoque virens buxus, tenuesque myricæ,
Et bicolor myrtus, et baccis cærula tinus:
Vos quoque, flexipedes hederæ, venistis, et una
Pampineæ vites, et amictæ vitibus ulmi:

Claudianus d. l. 107, *bellis accommoda cornus*; Statius d. l. *infandos belli potura cruores Fraxinus*. — *Curvataque* vix genuinum est. *Ilex* enim, arbor tanti roboris, glandium levitate non curvatur. Tres MSS *onerataque*. Sic VII, 281, stipes *gravidis oneratur olivis*; VIII, 781, *oneratos messibus agros*.

95. *Platanus* propter umbrosos ramos grata potantibus et sibi indulgentibus. Virg. Georg. IV, 146. Hinc hoc loco suaviter *genialis*, de quo vide ad IV, 14. Hinc etiam in compotationum descriptionibus frequenter platani fit mentio. — *Coloribus impar*, variis coloribus. Aceris unum genus crispo macularum discursu est, in similitudinem caudæ pavonum; Plinius, H. N. XVI, 15. Nisi putes ad folia respici, quorum latus superius viriditate nigricante, inferius albicante insigne.

96. *Amnicolæ* nova compositione, quæ habitant ad amnes, amant amnes, tropo ab animantibus petito, quæ proprie loca colere dicuntur.— De *aquatica loto* vide ad IX, 341. — *Myrica*, virgulti genus, hodie Tamariscum: vide Martin. ad Virg. Ecl. IV, 2, ubi *humiles* vocantur: et sic etiam h. l. duo MSS. Sed Burmannus censet, hoc ex Virgilio librariis in mentem venisse. Art. Amat. III, 691, *fragiles myricæ*.

98. *Cærula tinus*. Vulgo *ficus*; quidam *pinus*. Langermanni Codex *cinus* et hoc præferebat Constantius Fanensis; sed Heinsius dedit *tinus*. —Regii nostri *ficus*.—Plinius, Hist. Nat. XV, cap. ult. « Tinum silvestrem laurum aliqui intelligunt, nonnulli sui generis arborem. Differt color; est enim cærulea bacca. » —*Flexipedes* rectissime restituerunt Turnebus, Advers. 23, et G. Fabricius ad Virgilium Ecl. IV, 19. Est enim elegantissimum et novum epitheton, quo ornantur hederæ, quæ flexis flagellis, veluti pedibus, aut brachiis ex se emissis, arbores vicinas amplectuntur. Plinius, Hist. Nat. XVI, 34.

100. *Et una Pampineæ vites*. Ea fuit constans veterum librorum (et nostrorum Regiorum) scriptura; nihilominus tamen Heinsius volebat legi *et uva amictæ vites*. — *Ulmis* in Italia vites adjungebantur, quod *maritare* arborem dicitur, quemadmodum contra Horat. II, Od. xv, 4, *platanus cælebs*, non juncta vitibus. Confer infra, XIV, 661 et 63. — *Amictæ*. MSS quatuor et Scholiastes Statii *amicæ*; idque placebat Constantio Fanensi, quia Plinius, XVI, ulmo tribuit *amicitiam vitium*. — Regii nostri *amictæ*. — Claudianus, Rapt. Pros. II, 111, *pampinus induit ulmos*. Noster Fast. I, 153, *modo formatis amicitur vitibus arbos*; Columella, V, 6, *vestita ulmus viti-*

Ornique, et piceæ, pomoque onerata rubenti
Arbutus, et lentæ, victoris præmia, palmæ;
Et succincta comas, hirsutaque vertice pinus;
Grata Deum matri; siquidem Cybeleius Attis
Exuit hac hominem, truncoque induruit illo.
Adfuit huic turbæ, metas imitata cupressus,
Nunc arbor, puer ante Deo dilectus ab illo,
Qui citharam nervis, et nervis temperat arcus.

bus; Statius, VI, 96, *nec inhospita vitibus ulmus*. Cæterum ea res suavem comparationem suggessit Nostro Heroid. V, 47: *Non sic adpositis vincitur vitibus ulmus, Ut tua sunt collo brachia nexa meo*.

103. *Et succincta.... pinus*. Plin. XVI, 10: « Pinus atque pinaster » folium habent capillamenti modo » prætenue. » Sed deinde *comæ* omnino frondes, folia arborum; Horatius, I, Od. XXI, 5. — *Succincta comas*, cujus comæ non nisi superiorem partem tenent, sic ut inferior trunci pars nuda sit, quemadmodum succincti maximam pedum partem nudam habent. Plinius d. l. easdem arbores vocat *succinctiores*. —*Hirsuta*, propter frondes in vertice emissas; Virgilius Cul. 135, *edita pinus Proceras decorat silvas hirsuta per artus*.

104. *Siquidem Cybeleius Attis*. Nobilis olim fabula, sed jam Pausaniæ (vide Achaic. p. 566) ætate subobscura. Conf. Fast. IV, 223-244; Diodorus Sic. IV, Arnob. c. gentes, V, p. 157 sqq. *Attis*, adolescens Phrygius eximia pulchritudine, quem amavit Cybele.-*Exuit hac hominem*, ex homine in hanc pinum mutatus est; vide IX, 268. Nimirum *exuit hominem*, qui desinit homo esse vel quoad naturam, ut h. l., vel quoad sensus et affectus humanos: vide Cuperi Observat. I, 8. *Exuere magistrum* dixit Tacitus, Ann. XIV, 52. Notum est et illud, *Exuit personam judicis, quisquis amicum induit.* — Hunc locum ita legit Tanaq. Faber: *Cybeleius olim Exuit ..... induruit Atys*; sed Burmannus monet, et alibi hæc duo pronomina cumulari. — Regii nostri codices lectioni receptæ adsentiuntur.

106. *Adfuit....cupressus*. Fabulam Cyparissi habet etiam Servius ad Æneid. III, 64. Lenzius conjicit eumdem forte fuisse eum cum Aristæo, Apollinis filio, quem Virgilius, Georg. I, 14, cultorem nemorum vocat, cui Ceæ nivei juvenci dumeta tondebant. — *Huic turbæ*. Unus Basileensis *huic numero*. — Regii nostri *huic turbæ*.—*Metas imitata*. Leidensis Codex *luctus imitata*. —Nostri Regii *metas*. — *Metas imitata*, κωνοειδής, metæ similitudinem habens: *meta* enim conus, aut quidquid cono simile. Plinius, XVI, 33, de hac arbore *metæ demum adspecta non repudiata*. — *Qui citharam* etc. pro, qui citharæ nervos (chordas) et nervum temperat arcus.—*Temperare*, proprie de chordis, quæ intenduntur, ut opus est. Horat. IV, Od. III, 17, *testudinis strepitum temperare*. — *Arcus*. Regii nostri *arcum*.

Namque sacer Nymphis Carthæa tenentibus arva,
Ingens cervus erat; lateque patentibus altas
Ipse suo capiti præbebat cornibus umbras :
Cornua fulgebant auro ; demissaque in armos
Pendebant tereti gemmata monilia collo.
Bulla super frontem parvis argentea loris
Vincta movebatur ; parilesque ex ære nitebant,
Auribus in geminis, circum cava tempora, baccæ.
Isque metu vacuus, naturalique pavore
Deposito, celebrare domos, mulcendaque colla

109. *Namque sacer Nymphis.* Cervus insignis et egregie ornatus. Confer Virgilium, Æn. VII, 483 sqq. ubi similis cervus in deliciis Tyrrhi. — *Carthæa.* Vehementer variant in hoc nomine MSS: habent enim *Cretea, Cirthea, Carchia, Orchea.* — Regii nostri *Carchea.* — *Carthæa*, urbs insulæ Ceæ : vide ad VII, 368. Cea autem Caryciis quondam celeberrima Nymphis; Heroid. XX, 221. —*Late patentibus*, patulis, latis ramis. — *Altas*, quia ipsa cornua alta. Conf. Æneid. I, 189.

112. *Cornua fulgebant.* Ita ornatus erat, ut equi interdum ornari solebant : vide Virg. Æn. VII, 275 sqq. Apuleius de Deo Socrat. « Neque » enim in emendis equis phaleras » consideramus et baltei polimina » inspicimus, et ornatissimæ cer- » vicis divitias contemplamur, si ex » argento et auro, et gemmis mo- » nilia variegata dependent, si plena » artis ornamenta collo et capiti cir- » cumjacent, si frena cælata, si » ephippia fucata, si cingula aurata » sint. » — *Fulgebant auro*, inaurata erant, ut victimarum cornua inaurari solebant.—*Demissa.* Codex noster A, *diffusa.*—*Demissa pendebant*, dependebant. — *Teretia membra*, quæ veluti tornata sunt, nihil asperi habent, passim laudantur; Claudianus, Epigr. XXII de equo Honorii : *Luxurient tumido gemmata monilia collo.*—*Bullæ* proprie ornamenta puerorum nobilium, quæ e collo in pectus dependebant : vide Macrobium, Saturn. I, 6. —*Pariles*, pares, quia et *baccæ* ornamenta erant forma rotunda, margaritæ, quum proprie ita dicerentur rotunda arborum silvestrium poma. Salmas. ad Solin. p. 375. Posset et cum plerisque melioribus MSS legi, *parilique ex ære*, etiam baccæ erant argenteæ. Sic etiam Heinsius, qui tamen nescio an recte *in geminis* dederit pro vulg. *e geminis.* Nam si baccæ *in* auribus nituissent, non potuissent circumdare tempora.—*Ex auribus* breviter dictum, suspensæ ex auribus.

117. *Naturalique pavore.* Quidam *timore* aut *pudore.*—Regii nostri *pavore.*—Cervus timiditatis symbolum, hinc ἐλάφειος ἀνὴρ et κραδίη ἐλάφου in proverbiis sunt. — *Celebrare locum*, sæpe in eo versari; quemadmodum celebrare hominem, cum eo versari; *celebrare rem*, frequenter eam facere, exercere.—*Manibus.* Virg. Æn. VII,

Quamlibet ignotis manibus præbere solebat.
Sed tamen ante alios, Ceæ pulcherrime gentis,
Gratus erat, Cyparisse, tibi : tu pabula cervum
Ad nova, tu liquidi ducebas fontis ad undam :
Tu modo texebas varios per cornua flores :
Nunc, eques in tergo residens, huc lætus et illuc
Mollia purpureis frenabas ora capistris.
Æstus erat, mediusque dies; solisque vapore
Concava litorei fervebant brachia Cancri.
Fessus in herbosa posuit sua corpora terra
Cervus; et arborea ducebat frigus ab umbra.
Hunc puer imprudens jaculo Cyparissus acuto
Fixit; et, ut sævo morientem vulnere vidit,

490, *manus patientem* vocat, id est, mansuetum; Lucan. IV, 237, sic dixit, *hominem pati.* — *Quamlibet.* Vide ad IX, 475.

120. *Ceæ pulcherrime gentis.* Telephi filium eum facit Servius; Amyclei Lactant. in Argum. Is et curabat hunc cervum et ministerio ejus utebatur.— *Fontis ad undam.* Vulgo *ad undas;* MS Bersmanni *liquidas.... ad undas;* Leidensis *liquidam.... ad undam.* — Nostri Regii *liquidi.... ad undam.*— *Texebas.* Primus et secundus Mediceus, Neapolitanus, Spirensis, primus Hamburg. et quatuor alii *tendebas;* pauci *sternebas;* unus Leidensis *spargebas.* — Regii nostri *texebas,* quod solum convenit et est verbum proprium. — *Texebas*, corollas nectebas e floribus, quibus ornares cornua. Virgilius, dicto loco : « Adsuetum imperiis soror omni » Silvia cura Mollibus intexens or- » nabat cornua sertis, Pectebatque » ferum, puroque in fonte lavabat. » Ille, manum patiens, mensæque » adsuetus herili Errabat silvis; rur- » susque ad limina nota Ipse domum » sera quamvis se nocte ferebat. »

124. *Lætus* habent nostri Codices Regii, pro *latus*, quod dederat cl. *Gierig* ex Heinsio; et illud, quod olim edebatur, prætulimus. *Ed.* Versum 125 laudat Douza e Martiali, I, Epigr. 106, *Paret purpureis aper capistris.*

126. *Vapore*, æstu. — *Concava*, curvata; conf. II, 83, et 195.—*Cancri* sidus Sol ingrediebatur olim summa æstate. — *Litorei.* Vide ad vers. 78.

129. *Posuit sua corpora;* vide ad I, 300. — *Arborea.... ab umbra;* duo *arboream ad umbram.* — Regii nostri *purpurea ab umbra.*—*Ducebat frigus.* Captabat ore frigidam auram, quam ei præbebat umbra arborum; *ducere frigus,* ut *ducere animam.* Virgilius, Ecl. I, 53, *frigus captabis opacum.* Supra, VII, 809, *repetebam frigus et umbras* etc.

130. *Hunc puer imprudens* etc. Servius, dicto loco : « qui quum elassatus æstu sub quadam arbore » somnum caperet, subito strepitu

Velle mori statuit : quæ non solatia Phœbus
Dixit? et ut leviter pro materiaque doleret,
Admonuit : gemit ille tamen; munusque supremum
Hoc petit a Superis, ut tempore lugeat omni.
Jamque, per immensos egesto sanguine fletus,
In viridem verti cœperunt membra colorem;
Et modo, qui nivea pendebant fronte capilli,
Horrida cæsaries fieri, sumtoque rigore
Sidereum gracili spectare cacumine cælum.
Ingemuit, tristisque Deus : « Lugebere nobis,
» Lugebisque alios, aderisque dolentibus, » inquit.
III. Tale nemus vates contraxerat; inque ferarum

» excitatus, cervum, quem in deliciis habebat, feram credens, per » ignorantiam misso telo occidisset etc. » — *Velle* redundat, ut apud Tibullum, I, II, 92; III, IV, 4, *desinite quærere velle*.

133. *Pro materia*. Vide ad III, 333, ubi, *gravius nec pro materia dolere*.

136. *Egesto sanguine fletus*. Cantabr. et multi *ejecto*; Regius *exhausto*; Leidensis *expulso* : duo etiam *fluctus*. — Codex noster Regius A, *ejecto ... fletus*; sed Codex B, *egesto fluctus*, quod tamen manus eadem correxit : *egesto* vividius quam *ejecto* : sed *fluctus* ferri non potest. *Ed.* — Per fletus non egeritur sanguis. Melius apud Servium fletu nimio et abstinentia cibi ac potionis tabescit.

139. *Cæsaries, capillamentum, comæ* passim de frondibus arborum. Sic Euripides, Ion. 920, palmam vocat ἁβροκόμαν. Callim. hymn. ad Dian. 41, ἄρος κεκομημένον ὕλῃ. Statius, IV, Silv. 5, *frondibus annuis crinitur arbor*. Vide Bueneman. ad Lactantium, Carm. de Pascha vers. 21. — *Horridus* proprie de capillis incultis. — *Sumere*, accipere; III, ex Ponto, IV, 31, *sumere vigorem*. — *Gracili*, tenui. — *Cælum*. Basileensis *solem*. — Regii nostri *cælum*.

142. *Lugebisque alios*. Cupressus, forte quia cæsa non regerminat, aut ob formam tristem, Diti consecrata, ante funestam domum ponebatur, ne quis rem divinam facturus, imprudens intraret, atque ita pollueretur. — *Aderis dolentibus*, ut I, 560, de lauro, *tu ducibus aderis*.

143 - 161. *Ganymedes*, primum canentis Orphei argumentum. Fuit autem Ganymedes Trois filius, (etsi alii aliter; vide Munker. ad Hygini fabulam 271, et Barnes. ad Eurip. Troad. vers. 822) eximia pulchritudine juvenis, quem Jupiter vel ipse mutatus in aquilam, vel missa aquila rapuit, ac mensæ sibi ministrum fecit. Fons fabulæ est Homer. Il. Υ, 232, et hymn. Ven. 203 sqq. ubi tamen non aquilæ ministerio, sed procella raptus traditur. Displicuit hoc figmentum Cic. Tusc. I, 26 : « Nec » Homerum audio, qui Ganymedem a Diis raptum ait propter » formam, ut Jovi bibere ministra-

Concilio medius turba volucrumque sedebat.
Ut satis impulsas tentavit pollice chordas;
Et sensit varios, quamvis diversa sonarent,
Concordare modos; hoc vocem carmine rupit:
« Ab Jove, Musa parens, cedunt Jovis omnia regno,

» ret. Fingebat hæc Homerus et hu- » mana ad Deos transferebat. » In Xenoph. Sympos. VIII, 30, existimatur non propter pulchritudinem, sed propter animi dotes raptus esse; confer. Horatius, IV, Od. 4, init. et Virg. Æn. V, 254 sqq. ubi hoc argumentum chlamydi intextum fuisse traditur. Sed et in multis aliis artis operibus expressum erat. Vide Plinium, XXXIV, 8. In bello cum Titanibus raptum esse Ganymedem a Jove, præeunte signo aquilæ, suspicatur Fulgentius Mythol. I, 25; confer Apollod. II, v, 9; III, xii, 2, ubi Heynius monet, fundum fabulæ veterem esse loquendi usum, cujus sensus sit, fuisse Ganymedem pulcherrimum puerum, dignum, qui cum Diis esset. — *Contraxerat* ex Mediceo dedit Burmannus; vulgo *attraxerat*, quod revocavit Mitscherl.—Codex noster A, *attraxerat*; Codex B, *contraxerat*; quod melius judicamus. *Ed.* — *Contraxerat*, cantus sui suavitate congregaverat, coegerat in locum, cui umbra deerat. *Contrahere auxilia, milites, senatum, amicos* passim: vide Burm.— *Concilium*, quia audiendi, non deliberandi causa, convenerant: vide ad I, 167. — *Turba*. Quidam *turbæ*. — In Regio nostro A, hujus vocabuli ultimam literam vetustas delevit; at Codex B habet *turba*. — Non erat, cur Heinsius suaderet, *turbæ volucrisque*; namque *in* facile potest repeti ἀπὸ κοινοῦ, et *que* sæpe tertio verbo subjungitur. Sic et Burmannus qui addit, posse etiam conjungi *medius turbæ*, ut II, Am. xvi, 13, *Medius Polluce et Castore ponar*. Sed illud, opinor, melius.

145. *Ut satis impulsas* etc. Ingeniose musicus describitur prætentans et experiens tensionem chordarum, antequam canat. Confer, V, 339. — *Impellere pollice chordas* est etiam apud Tibullum, II, v, 3; *Pollicis ictum*, pulsationem citharæ dixit Horatius, IV, Od. vi, 36. — *Sonarent*. Gronovianus *sonabant*, ut sæpe. — Nostri Regii *sonarent*. — *Modi*, soni quos edunt percussæ chordæ. — *Carmine rupit*. Vulgo *carmine movit*; sed quia mox sequitur *carmina move*, Burmannus ex Vossii MS recepit *rupit*: passim apud poetas *rumpere vocem, questus*. — Regii nostri *movit*. Rupit videtur esse emendatio recentioris Vossiani codicis; tamen vividius est. *Ed.* — *Rumpere*, ut græcis ῥήσσειν.

148. *Ab Jove, Musa parens*. Langermanni Codex *Ab Jove principium*; quidam *Musa potens*. — Regii nostri habent vulgatam *Ab Jove, Musa parens*, nec felix est Langermannianus qui Maronis hemistichium Ovidio adstruit. *Ed.* — Jam incipit carmen Orphei, quod usque ad finem libri pertinet. In principio expressit Arat. *Ab Jove musarum primordia*. V, Fast. iii: *Ab Jove surgat opus*. Calliope *Musa* mater Orphei. — *Move*, incipe. — *Cedunt*. Duo Medicei *cedent*; Heinsius malebat *cedant*. — Difficile agnoveris an *cedent*,

Velle mori statuit : quæ non solatia Phœbus
Dixit ? et ut leviter pro materiaque doleret,
Admonuit : gemit ille tamen ; munusque supremum
Hoc petit a Superis, ut tempore lugeat omni.
Jamque, per immensos egesto sanguine fletus,
In viridem verti cœperunt membra colorem ;
Et modo, qui nivea pendebant fronte capilli,
Horrida cæsaries fieri, sumtoque rigore
Sidereum gracili spectare cacumine cælum.
Ingemuit, tristisque Deus : « Lugebere nobis,
» Lugebisque alios, aderisque dolentibus, » in·
III. Tale nemus vates contraxerat ; inque fer

» excitatus, cervum, quem in deliciis habebat, feram credens, per » ignorantiam misso telo occidisset etc. » — *Velle* redundat, ut apud Tibullum, I, II, 92 ; III, IV, 4, *desinite quærere velle.*

133. *Pro materia.* Vide ad III, 333, ubi, *gravius nec pro materia dolere.*

136. *Egesto sanguine fletus.* Cantabr. et multi *ejecto* ; Regius *exhausto* ; Leidensis *expulso* : duo etiam *fluctus.* — Codex noster Regius A, *ejecto . . . fletus* ; sed Codex B, *egesto fluctus.* quod tamen manus eadem correxit : *egesto* vividius quam *ejecto* : sed *fluctus* ferri non potest. *Ed.* — Per fletus non egeritur sanguis. Melius apud Servium fletu nimio et abstinentia cibi ac potionis tabescit.

139. *Cæsaries, capillamentum, comæ* passim de frondibus arborum. Sic Euripides, Ion. 920, palmam vocat [illegible]. Callim. hymn. [illegible] Dian. 41, [illegible] IV, Silv. 5, *frond*[illegible] *bor.* Vide [illegible] tium, [illegible] 21.— *Ho*[illegible] incolis.

— *Sumere*, accipere : II IV, 31, *sumere vigor*[illegible] tenui.— *Cælum.* Basil[illegible] Regii nostri *cælum.*

142. *Lugebisque a*[illegible] forte quia cæsa non [illegible] ob formam tristem [illegible] ante funestam do[illegible] ne quis rem divin[illegible] prudens intraret [illegible] retur.— *Aderis d*[illegible] de lauro, *tu duc*[illegible]

143 – 161. *Ga*[illegible] canentis Orphe[illegible] autem Ganyme[illegible] alii aliter ; vide [illegible] fabulam 271 [illegible] Troad. vers. [illegible] dine juvenis [illegible] mutatus in [illegible] rapuit, [illegible] est. Fin[illegible] 232, et [illegible] men [illegible] colla[illegible] [illegible]

Carmina nostra move: Jovis est mihi sæpe potestas
Dicta prius: cecini plectro graviore Gigantas,
Sparsaque Phlegræis victricia fulmina campis.
Nunc opus est leviore lyra: puerosque canamus
Dilectos Superis, inconcessisque puellas
Ignibus attonitas meruisse libidine pœnam.
Rex Superum Phrygii quondam Ganymedis amore
Arsit; et inventum est aliquid, quod Juppiter esse,
Quam quod erat, mallet: nulla tamen alite verti

vel *cedant*, vel *cedunt* scribatur in nostris Regiis Codicibus, quum ambo nostri et alii forsan multi hoc verbum habeant per compendium. *Ed.* —*Carmina nostra*. Leidensis *carmina digna*.— Regii nostri *nostra*.

150. *Dicta prius: cecini* etc. Editiones quædam distinguunt post *Dicta*. Excusat carminis levitatem.—*Grave plectrum* poetis tribuitur, quum argumentum grave, bella et res gestas Deorum, heroum et regum dicunt; *levis* contra *lyra*, aut *leve plectrum* (Horat. II, Od. 1, 40), quum res leves, amatorias etc. tractant. Ad eumdem modum Claudianus, Nupt. Honor. præf. 9 et 17, dixit, *lascivo pollice* et *pectine nobiliore tentare lyram*.— *Fulmina*. Octo ex melioribus habent *carmina*; quæ lectio intellectum meum fugit. *Ed.* —*Phlegræis....campis*. Heinsius malebat *castris*, quia passim *Phlegræa castra*; sed et *Phlegræi campi*, *Phlegræa* arva occurrunt.— Regii nostri *campis*.—*Phlegræi campi*, terra sulfurea prope Cumas, ubi Jupiter, adjutus et a reliquis Diis et ab Hercule, Gigantas sparsis fulminibus debellavit; vide Apollodorum, I, VI, 1. Nempe quum coloni græci terras istas incolere cœpissent, fabulas græcas illis locis alligarunt. Vide quæ Gesnerus ad Claudianum, XXVII, 20, disputat. — Hos campos alii in ea parte Macedoniæ, quæ postea Pallena dicta est; alii in Thessalia; in Campania alii statuunt, ubi Forum Vulcani. *Ed.*—De argumentis, quæ graviore plectro Orpheus cecinerat, conf. ipse in Argon. 10 sqq.

153. *Inconcessis ignibus*. De his vide ad IX, 453. Intelligit autem in primis Myrrhæ amorem, quem infra canet. — *Attonitas*, fascinatas aut insanientes, ut XV, 326.—*Pœnam*. Codex Regius B *pœnas*: sine dubio propter præcedentem vocem *attonitas*. et male. *Ed.*

156. *Inventum est aliquid*. Excogitavit Jupiter formam, in quam transiret ex sua: nullam autem avem *dignabatur*, dignam indicabat, in quam verteretur, nisi aquilam; quæ, quum Jovis fulmina ferat, *Jovis armiger*, *minister fulminis ales*, *flammiger ales* etc. a poetis vocatur. —*Alite* pro, in alitem, ut IX, 81, *tauro mutatus*.—*Nisi quæ possit*. Plerique veteres *nisi quæ portat*, vel *portet sua fulmina terræ*; Heinsius malit *Dignatus*, *nisi cui possent sua fulmina ferri*. — Codex Regius A, *nisi quæ portet sua fulmina terræ*; Codex B, *nisi quæ posset sua fulmina ferre*. Emendatio Heinsiana

Dignatur, nisi quæ possit sua fulmina ferre.
Nec mora : percusso mendacibus aere pennis
Abripit Iliaden, qui nunc quoque pocula miscet,
Invitaque Jovi nectar Junone ministrat.

IV. Te quoque, Amyclide, posuisset in æthere Phœbus,
Tristia si spatium ponendi fata dedissent.
Qua licet, æternus tamen es; quotiesque repellit
Ver hiemem, Piscique Aries succedit aquoso,

audacior est, et lectio Codicum veterum et nostri Codicis A, *portet*, aut *portat*, *sua fulmina terræ*, sicuti genuina probari posset. *Ed.*

159. *Mendacibus pennis*, alis; vide ad VI, 26.—Proprie *miscentur* vina, temperantur aqua, poetice etiam *pocula*; Virg. Georg. I, 9. — *Iliaden*, Ili nepotem.

162–219. *Hyacinthus*, Lacedæmonius, ab Apolline dilectus, disco percussus, in florem sui nominis vertitur. Versu 162, *Amyclides* vocatur, sed vs. 196 et 590, *Œbalides.* Auctores veteres utroque trahunt. *Amyclæ* Lacedemonii, qui Amyclam urbem condidit, filium eum faciunt Pausan. Lac. p. 204; Apollodorus, III, x, 3 (quanquam idem I, III, 3, Pierum patrem nominat); Schol. Nicandri, p. 60; Tzetzes Chil. I, 11. *Œbalo* natum eum perhibent Hyginus, fab. 271; Lucianus, Tom. I, p. 149; Servius ad Æneid. XI, 69. Sed Coluth. Rapt. Hel. p. m. 43, nihil decernit. Jam quum parum credibile sit, Nostrum in eadem fabula nunc hos, nunc illos secutum esse, quæritur, quomodo hæc nomina capienda sint. Alii *Amyclidem* explicant Amyclæum, Amyclis oriundum. Certe a Palæph. cap. 47, vocatur Ἀμυκλαῖον μειράκιον, et a Claudiano, R. P. II, 133, *natus Amyclis*. Alii contra *Œbalidem* interpretantur Œbalia oriundum; quod ferri nullo modo potest. Si enim Amyclæ filius fuit, non potuit Œbaliæ nasci, quæ condita est ab Œbalo, Amyclæ nepote; vid. Pausanias d. l. idemque, p. 258, suspicatur, fabulam longe aliter se habere, ac vulgo exponatur. Sine dubio *Amyclides* h. l. est Amyclæ pronepos, et *Œbalides*, Œbali filius. Nam etiam, IV, 672, *Abantiades* vocatur Perseus, Abantis pronepos. Infra vers. 217, Sparta genuisse hunc juvenem dicitur, quanquam V Fast. 223, *Therapnæus* rursus vocatur a Therapnis, alia Laconiæ urbe. Ex Perizonii, in Animadv. hist. p. 407, sententia, Noster duas sententias confudit, ut XII, 189 et 209, in Cænei majoribus. Cæterum præter auctores jam laudatos etiam Euripides, Helen. vers. 1482 sqq. hanc fabulam tractavit. — *In æthere*, in cælo, inter Deos retulisset, ut Jupiter Ganymedem. — *Tristia... dedissent*, nisi celere et præmatura morte absumtus esses: *tristia*, quia et violenta et immatura mors.

164. *Æternus*, quia hyacinthus flos quotannis renascitur: *æternus* pro, immortalis, ut II, 653. — *Repellit hiemem*. Virg. Georg. IV, 51, *pulsam hiemem sol egit sub terras.*—De *piscibus* (nam sing. *pisci* pro plural.) vide ad vers. 78.—*Arietis* signum sol

Tu toties oreris, viridique in cespite vernas.
Te meus ante alios genitor dilexit; et orbe
In medio positi caruerunt præside Delphi;
Dum Deus Eurotan, immunitamque frequentat
Sparten; nec citharæ, nec sunt in honore sagittæ.
Immemor ipse sui non retia ferre recusat;
Non tenuisse canes; non per juga montis iniqui
Isse comes; longaque alit adsuetudine flammas.
Jamque fere medius Titan venientis et actæ

olim ingrediebatur initio veris. — *Vernas.* Olim *flores;* alterum Burmannus recepit ex uno Leidensi.— *Viridique in cespite.* Boschii liber *vivoque in cespite*, quod alibi occurrit; vide Heinsium: sed Burmannus putat *viridi* magis convenire τῷ *vernas.* — Regii nostri *viridique in cespite flores.* Ea lectio videtur vulgatissima; *vernas* argutum: nihil tamen mutavimus. *Ed.* — *Vernare* exquisite de floribus vernis: vide ad VII, 284; Claudianus, d. l. Hyacinthus et Narcissus *inclita germina veris.*

167. *Te meus ante alios.* Pater Orphei Œagrus, rex Thraciæ, fuisse creditur. Sed et hic et apud alios poetas Apollo hunc vatem genuisse traditur, forte quia Apollo sub Œagri figura cum Calliopa concubuit; vide Parrhas. ad Claudian. Præf. II, R. P. *ante alios*, præ cæteris.—*Delphi*, oraculum Delphicum. Delphos *in medio orbe* sitos fuisse, ita cognitum est. Jupiter *Armigeros utrimque duos æqualibus alis Misit ab Eois, occiduisque plagis. Parnassus geminos fertur junxisse volatus:* hæc Claudianus Præf. in Theod. Cons.

169. *Eurotan.* Laconiæ fluvium.— *Immunitam.* Quidam, notante Viviano, *immutatam;* hoc est, qua Apollo nunquam discedebat.—Regii nostri *immunitam*, quod verum est, propter sensum quem explicat doctiss. *Gierig.* Ed. — Sparta nullis muris cincta, quia, judice Lycurgo, cives armati et fortes firmissima urbis munimenta. — *Non sunt in honore*, non curat citharam etc. Claudianus, Nupt. Hon. V, de Honorio amante: *Non illi venator equus, non spicula curæ; non jaculum torquere libet.* — *Sagittæ.* Gronovianus *pharetræ.* — Regii nostri *sagittæ.*

171. *Immemor sui*, suæ majestatis, socius est Hyacinthi in venatu. Idem obsequii exemplum est infra vers. 533 sqq. Heroid. V, 19 sqq. *Retia sæpe comes maculis distincta tetendi, Sæpe citos egi per juga longa canes;* Art. Amat. II, 189, *Sæpe tulit jusso fallacia retia collo;* Tibul. I, IV, 50: *Nec, Dum placeas, humeri retia ferre negent.*—*Mons iniquus*, asper, saxosus, difficilis transitu; *asperitas loci iniqua*. IV, Pont. IV, 22.—*Isse comes.* Vulgo (et in nostris Regiis) *Ire comes.*—*Longaque alit.* Erfurt. longaque *trahit.*

174. *Medius Titan venientis et actæ Noctis.* Meridies erat: sic libro VI, 409, *juguli medius et lacerti*, et mox vers. 233, *medium mortis fugæque*, de qua syntaxi vide Gronovium ad Livium XXVIII, 6. — *Venientis*, fu-

Noctis erat, spatioque pari distabat utrimque;
Corpora veste levant, et succo pinguis olivi
Splendescunt, latique ineunt certamina disci.
Quem prius aerias libratum Phœbus in auras
Misit, et oppositas disjecit pondere nubes.
Recidit in solidam longo post tempore terram
Pondus, et exhibuit junctam cum viribus artem.
Protinus imprudens, actusque cupidine ludi,

turæ : vide ad IX, 417. — *Noctis.* Cantabr. Basileensis et alius *Lucis*, non improbante Burmanno.—*Spatioque... utrimque* otiose additum.— *Levant veste*, tanquam onere, elegantius, quam vulgaria, deponunt, exuunt vestes. Virgilius, Georg. II, 400, *nemus levare fronde.* — *Olivi.* Vulgo *olivæ.* — Regii nostri habent etiam *olivæ:* sed recte ex melioribus Heinsius recepit *olivi:* hunc vide.— *Olivum*, unguentum ex oleo et cera; κήρωμα dictum. Constantius Fan. e Thucydide memorat, Lacedæmonios primos instituisse, ut certaturi et vestes deponerent et oleo unguerentur. Id quod mature imitati sunt reliqui Græci. Hinc Homer. Od. Θ, 186, diserte addit, Ulyssem iratum discum misisse αὐτῷ φάρει, non deposita prius veste. Unxerunt autem corpus, partim ut artus mollirentur, partim ut sudor comprimeretur.

177. *Certamina disci.* Discobolia fuit inter antiquissima exercitationis genera, cujus et Homerus, Il. Ψ, 826 sqq. et Od. Θ, 186, meminit. *Disci* massa *lata* plerumque et lentis formam referens. Lipperti Dact. I, 623. Ea vel sursum (ut h. l.) vel prorsum projicienda brachiorum vires augebantur. Sed multum *artis* et *virium* ille ludus requirebat.—*Libratum*, agitatum, rotatum, ut majore vi et celeritate volaret. Sic II, 308, Jupiter *vibrata fulmina jactat*, ubi vide notam; Homerus, d. l. ἧκε δινήσας et περιστρέψας; Propertius, III, XII, 10, *Missile nunc disci pondus in orbe rotat.*— *Aerias auras* : vide ad IX, 219. Neque *aerias* plane otiosum esse putem, sed *aeriæ auræ* forte i. q. *tenues, liquidæ auræ* ; opp. enim mox *solida terra.* — *Disjecit* gravius, quam *divisit*, quod habet unus Heinsii MS.—*Pondere* suspectum est Burmanno, quia in versu 181 repetitur : conjicit *verbere.*— Nostri Regii *pondere.*

180. *Recidit.* Quidam *Decidit* quod placebat Constantio Fan. — *Decidit* quod habet Codex noster B, de pondere quolibet in terram cadenti dicitur, et metro melius convenit. *Ed.* —*Exhibuit.* Specimen exhibuit artis et virium Apollinis, confer VII, 29: ita et VI, 213, *exhibere.*

182. *Actusque cupidine ludi.* Vulgo *cupidine lusus* ; Burmannus conjicit *cupidine laudis* : pro *actus*, alii *tactus, raptus, captus, lætus*, etc. quæ omnia defendi possunt.—Codex Regius A, *actusque cupidine lusus*; Codex B autem *artisque cupidine lusus*, id est, deceptus cupidine artis; sed modo *artem* præcessisse vidimus. *Ed.* — Nihil mutandum in h. vers. Describitur fervidus juvenis et ardens cupidine, non laudis, sed hujus ludi, qui vix exspectare potest, donec dis-

Tollere Tænarides orbem properabat : at illum
Dura repercusso subjecit ab aere tellus
In vultus, Hyacinthe, tuos : expalluit æque,
Ac puer, ipse Deus ; collapsosque excipit artus ;
Et modo te refovet, modo tristia vulnera siccat ;
Nunc animam admotis fugientem sustinet herbis.
Nil prosunt artes : erat immedicabile vulnus.
Ut si quis violas, riguove papaver in horto,
Liliaque infringat, fulvis hærentia virgis ;

cus reciderit, et ubi recidit, cæcus quasi accurrit, ut eum tollat.—*Tænarides*, Lacedæmonius. — *Repercussus aer* alibi quidem occurrit, sed nunc vix locum habet. *Repercussus* enim vel passive dicitur qui illabens duro corpori repellitur, vel active, qui repellit alterum ; neutra tamen significatio hoc loco sensum fundit commodum. Aer enim nec repellebatur, sed discus ; nec discum repellebat, sed terra. Septem MSS *repercussum in aera*. Tum Heinsius legebat, vers seq. *Et vultus :* immo *repercussum* ego refero ad discum, tum omnia plana sunt. Discum repercussum in aera tellus subjecit in vultus Hyacinthi. *Ab aere* non nisi unus Argent. MS suggessit Heinsio. Cæteri, *in aere*. — Nostri Regii *in aere ;* forsan melius. — Cæterum secundum alios Zephyrus, qui et ipse amabat Hyacinthum, invidia impulsus discum in eum detulit.

186. *Collapsos excipit artus*. Præclare hæc de Apolline medicorum Deo. Confer II, 617 sqq. — *Collabuntur*, qui morientes aut animo linquentes cadunt, VII, 826. Procris *collapsa dolore cecidit*. *Excipere* dicuntur qui sublatum in sinum recipiunt, XII, 423. Hinc interdum est fovere, molliter tractare, ut apud Virgilium, Georg. II, 345. Frustra igitur Heinsius malebat, *erigit*. Quidam *accipit*, vel *exigit*.— Regii nostri *excipit*. Confer, XII, 423, ubi eadem cura.—*Sustinet*, retinet, differt. Seneca, I, Cont. 12, *deficientis adolescentis spiritus in adventum meum sustinebatur*.

190. *Ut si quis .... papaver*. Vulgo *papavera*.—Item nostri Regii *papavera*. — Suavissima et bene delecta similitudo, quam tamen Noster vel Homero, Il. Θ, 306, vel potius Virgilio, Æneid. IX, 434, debet : « Inque humeros cervix collapsa recumbit, Purpureus veluti quum » flos, succisus aratro, Languescit » moriens, lassove papavera collo » Demisere caput, pluvia quum forte gravantur. » —*Virgis*. Quidam, ut Florentinus S. Marci *lignis* ; Gronovianus et unus Mediceus *truncis*, quod Gronovio arridebat ; pauci *signis*. Heinsius conjicit *Virgis hærentia longis*, et monet lilia virides quidem habere *virgas*. id est, calamos, sed infractas languescere, atque etiam Statium, III, Silv. 128, iis *pallentes culmos* tribuisse ; tum apponit locum Plinii, XXI, 5, de liliis : « Nec ulli florum excelsitas major, » interdum cubitorum trium, languido semper collo, et non suffi-

Marcida demittant subito caput illa gravatum,
Nec se sustineant, spectentque cacumine terram:
Sic vultus moriens jacet, et defecta vigore
Ipsa sibi est oneri cervix, humeroque recumbit.
« Laberis, Œbalide, prima fraudate juventa,
Phœbus ait; videoque tuum, mea crimina, vulnus.
Tu dolor es, facinusque meum: mea dextera leto
Inscribenda tuo est: ego sum tibi funeris auctor.
Quæ mea culpa tamen? nisi se lusisse, vocari
Culpa potest; nisi culpa potest, et amasse, vocari;
Atque utinam pro te vitam, tecumve liceret
Reddere! sed quoniam fatali lege tenemur;
Semper eris mecum, memorique hærebis in ore.
Te lyra pulsa manu, te carmina nostra sonabunt;

» ciente capitis oneri. » — Regii nostri Codices habent *linguis*, et Codex B, in margine, *lignis*. Quæ lectio nulli notata videtur mihi maxima attentione digna, et fortasse sola genuina est: nam stamina, *les étamines*, quæ ex imo medioque florum calice surgunt et quæ in liliis sunt fulva, formam *linguarum* quamdam exhibent: tamen in nulla plantarum descriptione huic vocabulo *linguis* hanc vim et intellectum inveni: cujus exempla si quæ suppeterent, non dubitarem hoc præferre τοῖς *lignis*, quæ duriora sunt: et ipsis *virgis*, quæ *fulvæ* dici possunt quamvis *virides*, quia fulvescunt, si infringantur. *Ed.*

194. *Sic vultus moriens*. Unus *vultum*; alius *vultu*; Heinsius conjicit *vultu moriente*, aut *vultus moriens flaccet*, quod verbum huic rei conveniens, aut *marcet*. et tum supra pro *marcida* esse reponendum *flaccida*. — Regii nostri Codices *vultus moriens jacet*.

196. *Labi* de moribundis; III, Art. Amat. 742; Statius, Theb. XII, 778. Iisdem *labens caput* Lucan. III, 742, et *labentes oculi* III, Trist. III, 44, tribuuntur.—*Fraudatur juventa*, qui præmatura morte abripitur, ut juventute frui haud possit: *fraudare* omnino privare; Tibullus, III, V, 19, et Noster Amorum II, XIV, 23, dixerunt, *fraudare vitem crescentibus* (nondum maturis) *uvis*: vide Munkerum ad Hygini fabulam 89.

198. *Mea dextera* etc. Mors tua dextræ meæ adscribenda, ego mortis tuæ auctor. Similiter XV, 178, *ipsos Inscripsere Deos sceleri*.

203. *Fatalis lex*, lex fati. fatum. Formulam *lege teneri* non intellexit Regius, qui e MSS præfert *lege vetamur*. Eleganter enim *lege teneri* dicuntur quos cogit lex aliquid vel facere, vel omittere. Cæterum simile Inachi votum est supra I, 661. — *Hærere*. semper versari, *in ore*. semper commemorari. Cic. Phil. XIII, 3, *hærere in oculis*; Attic. XIII, 4,

An genuisse velit Propœtidas; abnuat æque,
Atque illos, gemino quondam quibus aspera cornu
Frons erat; unde etiam nomen traxere Cerastæ.
Ante fores horum stabat Jovis Hospitis ara,
Lugubris sceleris : quam si quis sanguine tinctam
Advena vidisset, mactatos crederet illic
Lactentes vitulos, Amathusiacasve bidentes :
Hospes erat cæsus : sacris offensa nefandis,
Ipsa suas urbes, Ophiusiaque arva parabat
Deserere alma Venus : « Sed quid loca grata, quid urbes
Peccavere meæ? quod crimen, dixit, in illis?
Exsilio pœnam potius gens impia pendat,

delectus ex sequentibus; *abnuere* est verbum ad rem. *Ed.*

222. *Quibus aspera cornu frons*, qui cornua in fronte gerebant.—*Asperum*, quidquid eminentias habet. —A κέρας dicti sunt κεράσται, cornuti. Ipsa insula dicta Cerastis, quia, auctore Xenagora, πολλὰ κέρατα, τοῦτ' ἔστι πολλὰς ἐξοχὰς, ἔχει, quia multas eminentias, id est, promontoria, habebat. Adde Stephan. in hoc verbum. Hinc nata fabula.

224. *Hospes*, hospitalis, ξένιος, cujus in tutela hospites erant; Virgilius Æn. I, 731. — *Lugubris sceleris* plerosque offendit interpretes. Multi habent *inlugubris*, aut *illugubris*, et pro *sceleris*, *celeris*, *celeri*, *sceleri*.—Codex Regius A, *Lugubris sceleris* et ad marginem a secunda manu *Il*, ut fiat *Illugubris*. Codex B, *Illugubris sceleris*; sed male. Hic locus mendosus, et variis vexatus conjecturis. *Ed.* — Heinsius emendat, *ilicibus celebris*; Schepperus, *cædibus illustris*; Burmannus, *lugubris Veneri*, quia illa abhorret a sanguine et sacris nefandis. Schirachius autem vulgatam tuetur, eamque ita capit : at illa erat ara lugubris, ara sceleris. Neque aliter hæc accipi possunt, si lectio sana. — *Amathusiacasve*. Unus Leidensis *Amathusiadesque*; Heinsius legit *Amathusiadasve*. — Regii nostri *Amathusiacasque* : nec dubium quin copulativa *que* in hoc versu, sicut et supra in versu 202, recepi queat. *Amathusiacas bidentes* : Cyprias oves; nam Cyprus Amathusia etiam fuit appellata. *Ed.*

229. *Ipsa suas urbes*. Venus per omnes Cypri *urbes* templa habebat, ibique inprimis colebatur. Hinc *Diva potens Cypri* Horat. I, Od. III, 1. — *Ophiusia* olim dicta Cyprus ob serpentium multitudinem. Vid. Spanhem. ad Aristoph. Plut. p. 717. Burmanno autem parum placet vulgata lectio : is igitur vel cum uno MS legit, *Ipsa suas sedes* (nam *sedes* Deorum sunt loca, ubi coluntur) vel, *Ipsa suas ædes*. Causa emendandi fuit hæc, quia mox seq. *quid urbes*, quæ repetitio ei non placet quia tunc et *arva* repetenda essent quum nunc *loca grata* dicat, quæ tam templa, quam urbes et arva, notare possunt. Ego vero iniquum es-

Vel nece; vel si quid medium mortisque fugæque;
Idque quid esse potest, nisi versæ pœna figuræ? »
Dum dubitat, quo mutet eos, ad cornua vultum
Flexit: et admonita est hæc illis posse relinqui;
Grandiaque in torvos transformat membra juvencos.
Sunt tamen obscenæ Venerem Propœtides ausæ
Esse negare Deam: pro quo sua numinis ira
Corpora cum forma primæ vulgasse feruntur;
Utque pudor cessit, sanguisque induruit oris,
In rigidum parvo silicem discrimine versæ.
VI. Quas quia Pygmalion ævum per crimen agentes

arbitror, poetarum loca ad tales leges exigere.

233. *Fuga*, exsilium: *medium mortis fugæque*, vide ad vers. 174.

238. *Obscenæ*, quia postea corpora vulgarunt. Barth. Advers. VIII, 17, explicat, impias.—*Numinis ira*, irata Venus incitavit in tantam libidinem, ut etc. — *Corpora vulgant*, quæ omnium libidini patent; *formam vulgant*, quæ formæ, scil. pulchritudinis suæ fructum omnibus promiscue concedunt. Sed Burmannus malit, *corpora cum fama*, ut non clam eas coiisse, neque famam pudicarum adfectasse significetur. Omnino Cypriæ mulieres proclives in Venerem fuisse videntur, et quæstum corporis fecisse: vid. Justinus, lib. XVIII, cap. 5.

241. *Utque pudor cessit.* Impudentibus, quia nunquam erubescunt, dura, exsanguis, ferrea frons, exsangue os etc. tribuitur; Plinius, paneg. 35. Hinc facile fuit figmentum, mulieres impudicas transiisse in silices. — *Parvo discrimine versæ.* Supra VI, 62, *parvi discriminis umbræ.*—*Induruit* sic etiam est IV, 749, et multoties alibi.

243–297. *Pygmalionis statua* vitam accipit. E Philostephani Cypriacis fabulam referunt Clemens Alex. Protrept. p. 50, et Arnobius adv. Gentes lib. VI, pag. 206, sed haud paulo aliter ac Noster, fuisse Pygmalionem regem Cypri, qui simulacrum Veneris, quod religionis apud Cyprios habitum sit antiquæ, ita adamaverit, ut cum eo concumberet. Neque aliter Gnidium quemdam adolescentulum in alio Veneris simulacro arsisse, Posidippus tradiderat. Sed Noster Pygmalionem facit statuarium Cyprium (et sic etiam Philostr. Vit. Apollon. Tyan. V, 5), cujus eburnea statua Veneris munere vitam acceperit. Confer. Meursius in Cypro II.—*Per crimen*, vulgo *per crimina.* — Regii nostri, quantum judicare licet, scriptura pœne erasa, habent *ævum per crimina gentis;* Codex B insuper habet hanc glossam *per crimen agentes.* Vulgata lectio parum poetica videtur, et locus mutilus sine dubio est; sed quis huic medelam afferre tentaverit? *Ed.*—*Per crimen*, in libidinis turpitudine atque infamia. Seneca, Epist. 93, *per tenebras ævum igno-*

Viderat, offensus vitiis, quæ plurima menti
Femineæ Natura dedit, sine conjuge cælebs
Vivebat, thalamique diu consorte carebat.
Interea niveum mira feliciter arte
Sculpit ebur, formamque dedit, qua femina nasci
Nulla potest; operisque sui concepit amorem.
Virginis est veræ facies, quam vivere credas,
Et, si non obstet reverentia, velle moveri:

bile emetiri; Sallust. Jug. II, 4, *per luxum atque ignaviam ætatem agunt*; Livius, I, 5, *ut nudi juvenes per luxum atque lasciviam currerent.* — *Plurima menti.* Unus Mediceus *sorti*; vide ad IX, 675.—Nostri Regii *menti.*

245. *Sine conjuge cælebs...consorte carebat.* Idem ter dixit: tolleretur hoc tautologiæ vitium, si cum uno MS Heinsii *cælebs* mutares in *felix* (vide ad lib. IX, v. 333), et deinde legeres cum uno Basil. *thalamoque*, quod Heinsio venustum videbatur, qui illustrandi causa *consortia corpora* laudat e XIII, 343. Sed et alibi Noster similiter peccavit, ut VIII, 557; IX, 93.—Regii nostri servant *cælebs* et *consorte.*

248. *Sculpit ebur,* etc. Ergo, ut Zeuxis apud Crotoniatas, omnes pulchritudinis partes, quas natura non uni cunctas concedit (*nihil* enim *in simplici genere omnibus ex partibus perfectum natura expolivit.* Cic. Invent. II, 1), in unum simulacrum transtulerat. Vulg. *sculpsit*: Florent. *scalpsit.*—*Concepit* unus Heinsii *præcepit.* — Regii nostri *concepit.* — II, 64, *concipere furores*, et II Fast. 761, *furiatos ignes concipere. Concipi* enim dicuntur quæ oriuntur in animo.

250. *Virginis est veræ facies.* Vivere videbatur ebur, *virginis veræ.* Burmannus comparare hic jubet notam ad Art. Amat. I, 62, ubi veram puellam interpretatur vel juvenculam, in primo flore, vel non fucatam, quæ non mentitur annos et celat. Verum h. l. *vera* est viva, ut ipse Ovidius explicat, et opp. vers. 253, *simulatæ,* id est, ad exemplum naturæ expressæ (vide ad III, 158), arte factæ. Et vers. 292, *ora non falsa.* Sic, VIII, 195, Dædalus imitatur *veras aves*; III Trist. XI, 48, *verus bos*, cui opp. vers. 40, *falsus.* arte factus; Art. Amat. III, 200, *Sanguine quæ vero non rubet, arte rubet*; Ex Pont. IV, 1, *similis vere vacca Myronis opus*; Propert. III, VII, 9, *animosa*, et II, XXIII, 8, *vivida signa*; Juvenal. Sat. VIII, 12, *Phidiacum vivebat ebur.* Artifices, qui talia opera ponunt, dicuntur *ad veritatem accedere*, Quintil. XII, 10; et *veritatem imitari*, Cic. Brut. 18.—*Velle moveri.* Tres *posse moveri.* — Regii nostri *velle.* — *Moveri*, saltare, ut apud Horatium, Art. Poet. 232, *Ut festis matrona moveri jussa diebus*; Lucret. IV, 772, *non est mirum, simulacra moveri, Brachiaque in numerum jactare et cætera membra*; Horat. Sat. I, IX, 24, *movere membra.* Hinc Tibul. I, VII, 38, suaviter de vino, *Movit et ad certos nescia membra modos*, saltare docuit homines rudes. Addit Noster, *si non obstet reverentia*, scil. hominum, cura famæ, VII, 146. Etenim apud

Ars adeo latet arte sua! miratur, et haurit
Pectore Pygmalion simulati corporis ignes.
Sæpe manus operi tentantes admovet, an sit
Corpus, an illud ebur; nec ebur tamen esse fatetur.
Oscula dat, reddique putat; loquiturque tenetque;
Et credit, tactis digitos insidere membris;
Et metuit, pressos veniat ne livor in artus:
Et modo blanditias adhibet; modo grata puellis
Munera fert illi conchas, teretesque lapillos,
Et parvas volucres, et flores mille colorum,
Liliaque, pictasque pilas, et ab arbore lapsas

Romanos vix sobrii homines saltabant, aut mulieres probæ, nisi festis diebus; vide Broukh. ad Propertium IV, v, 45. Male igitur, opinor, Schirach. « Virgines bene educatæ » præ pudore in virorum conspectu » vix audent se movere. »

252. *Ars latet arte.* In his verbis acumen inest. Adeo artificiose elaboratum erat signum, ut ars non animadverteretur, sed vera virgo esse crederetur. Summa laus. Quintilian. Inst. Or. I, xi, 3, *prima ars est, ne ars esse videatur.*—*Simulati corporis.* Junianus *simulatæ conjugis.* — Nostri Regii *simulati corporis.*

254. *Sæpe manus operi* etc. Ingeniose et præstantiam operis, et imaginationem artificis amantis opus notat.—*Tentare*, tactu explorare, ut mox vers. 282, *manibus pectora tentat.* Quintil. I, Declam. 9, *Tentavit ergo vultus et pectus objectum*; VIII, 610, sic est *contrectare.* — *Nec ebur tamen esse fatetur*: Regii nostri Codices habent *nec adhuc ebur esse fatetur*; cui lectioni datam Heinsius ex Gronoviano prætulit. *Ed.*—*Insidere* exquisite: insidunt digiti, quum pars carnis, quam tangunt et premunt, iis cedit. Mox vers. 284, *ebur subsidit digitis ceditque.* — *Ne veniat livor in artus* elegantius, quam, ne livescant.

259. *Adhibere blanditias* e formula solemni. Tibul. III, iv, 75, *blandas adhibere querelas.* Noster supra III, 376, *molles adhibere preces.* — *Conchæ* et *teretes*, id est, læves et rotunduli, *lapilli* in deliciis puellarum. Amor. II, xi, 13, *Nec medius tenues conchas, pictosque lapillos Pontus habet: bibuli litoris illa mora est.* Conf. Lucretium, II, 374 sqq, et Propertium, I, xi, 13. Istiusmodi lapillis ludere solebant; vid. Casaubonus ad Suetonium, Aug. 83. Burm. Lapilli isti, quum umbilici fere figuram haberent, umbilici dicti sunt. Cic. Orat. II, 6, de Lælio et Scipione: « Conchas eos et umbilicos » ad Caietam et ad Laurentum legere consuesse, et ad omnem animi remissionem descendere. »

261. *Parvas volucres.* Etiam Propert. III, xi, 27 sqq. inter munera, quæ olim puellis ferebantur, refert *variam plumæ versicoloris avem, violas, lilia, et suis vestitas frondibus uvas.*—*Liliaque, pictasque pilas.* Co-

Heliadum lacrymas : ornat quoque vestibus artus :
Dat digitis gemmas, longoque monilia collo ;
Aure leves baccæ, redimicula pectore pendent :
Cuncta decent ; nec nuda minus formosa videtur.
Collocat hanc stratis, concha Sidonide tinctis ;
Adpellatque tori sociam ; adclinataque colla
Mollibus in plumis, tanquam sensura, reponit.
Festa dies Veneri, tota celeberrima Cypro,
Venerat ; et pandis inductæ cornibus aurum
Conciderant ictæ nivea cervice juvencæ ;
Turaque fumabant ; quum munere functus ad aras

dex Regius A habet *Liliaque et pictasque pilas ;* τὸ *et* male insertum fuit a sciolo librario qui timidius metro invigilans, quid valeret cæsura ignoravit : codex B, *Lilia, perpictasque pilas ;* hanc lectionem merito jam noluerat recipere Heinsius ; data melior est, quum non obstet cæsura. *Ed.*—*Pila picta*, id est, versicolore, ludebant virgines Græcorum, ut Nausicaa apud Homerum, Odys. Ζ, 100. De *Heliadum lacrymis* vide ad II, 364 sqq.

264. *Longoque monilia collo.* Vulgo *dat longa monilia collo :* duo *grata monilia ;* Oxon. *larga ;* Arondel. *lata :* sed *longoque* e secundo Mediceo et duobus aliis recepit Burmannus. — Regii nostri habent *dat longa.* — *Longum collum* in partibus pulchritudinis ; vid. Junius de Pictura, lib. III, cap. 9.—De *baccis* vide ad vers. 116. — *Redimicula*, fimbriæ pendulæ erant in ornamentis mulierum, et passim occurrunt in Monumentis ; vide Winkelmann. *Gesch. der Kunst*, p. 308. Subligabantur mento, aut ornabant frontem (Juvenalis, Sat. II, 83), aut de pectore pendebant.

267. *Collocat hanc stratis.* Arnob. d. l. solebat demens : « Tanquam si » uxoria res esset, sublevato in lectulum numine, copularier amplexibus atque ore, resque alias » agere libidinis vacua imaginatio» ne frustrabiles. » — *Adclinataque.* Quidam *inclinataque.*— Regii nostri *acclinataque.*

270. *Veneri* habet Heinsius ex uno Strozzæ ; cæteri (et nostri Regii) *Veneris.* — *Pandis inductæ cornibus aurum.* Vulgo *indutæ ;* tres *auratis ornatæ cornua vittis*, vel *sertis.* — Regii nostri *blandis inductæ*, id est, politis, vittatis, inauratis : *pandis* ingeniosa emendatio, sed desideratur auctoritas. *Ed.* — Hanc vocem de suo dedit Heinsius, quum MSS omnes habeant *blandis*. Hostiæ quidem interdum *blandæ* dicuntur, quæ offeruntur Diis blando animo (vid. Heynius ad Tibul. III, III, 2), sed *blanda* victimæ *cornua* vix ferri possunt, *indutæ*, ornatæ.— *Munere functus*, sacris factis. Ture tantum, non sanguine, Veneri sacra facta Burmannus monet e Meursii Cypro, lib. I, cap. 16. Sed Ovid. tempora rursus confundit. Seqq enim temporibus Ve-

Constitit, et timide : « Si Dî dare cuncta potestis,
» Sit conjux opto, (non ausus, eburnea virgo,
Dicere Pygmalion,) similis mea, dixit, eburnæ. »
Sensit, ut ipsa suis aderat Venus aurea festis,
Vota quid illa velint : et, amici numinis omen,
Flamma ter accensa est, apicemque per aera duxit.
Ut rediit, simulacra suæ petit ille puellæ ;
Incumbensque toro dedit oscula : visa tepere est.
Admovet hos iterum, manibus quoque pectora tentat :
Tentatum mollescit ebur ; positoque rigore
Subsidit digitis, ceditque ; ut Hymettia sole
Cera remollescit, tractataque pollice multas
Flectitur in facies, ipsoque fit utilis usu.
Dum stupet, et timide gaudet, fallique veretur,

neri utique hostiæ mactatæ sunt, licet sanguinem infundere aræ nefas haberetur. Tacit. Hist. III, 3. Horat. I, Od. XIX, 16, ibique Jani.

277. *Aurea*, pulchra. Sed hoc epitheto a græcis et latinis poetis ornatur in primis Venus, quæ juxta Sapph. *χρυσοῦ χρυσότερος*. — Homerus etiam passim, *χρυσῆ 'Αφροδίτη*. *Ed.* —*Festis*. Primus Gronovianus, *templis* ; Genevensis, *sacris*.—Regii nostri, *festis*.

279. *Flamma*, inprimis *ter accensa*, lætum est omen.—*Apex*, flamma in apicem acuminata. Non nove et mire sic locutus est Ovidius, ut Schirachio videbatur ; nam etiam Virg. Æneid. II, 683, *apex visus fundere lumen*, ubi vid. Heynius. Noster Fast. VI, 636, *inque coma flammeus arsit apex* ; ex Pont. IV, IX, 54, *Detque bonum voto lucidus omen apex* ; sic et Claudianus, IV, Cons. Honor. 200. Seneca, Œdip. 310, *verticem flammæ* tribuit.

280. *Simulacra suæ puellæ*, simulatam suam puellam. Mox unum post alterum vitæ signum tactu percipit mirans Pygmalion. — *Tepere* de calore corporis humani. Vid. IX, 365 ; 393 : ibi *tepido* et *caluere*.

283. *Tentatum*. Non una et sola fuit hæc virgo eburnea aut marmorea : plurimas credo duras primum et difficiles amatoribus, obsequio tamen et assiduis precibus emollitas. *Ed.*—*Subsidit*. Vide ad versum 257. —Regii nostri, *subsedit* ; sed male, quia jam *mollescit* præcedit et sequitur *remollescit* ; errore cæteroquin facili. *Ed.* — *Flectitur in facies*. Vulgo *vertitur in facies*. Volebat dicere *digitisque cedit*, sed hoc ita exornavit, *tractataque pollice multas flectitur in facies*. Confer XV, 169. *Tractari* et *flecti* verba esse in hac re propria, docet Heinsius. — *Ipsoque fit utilis usu*. Sic statua, posito rigore, utilis fiebat Pygmalioni. Paulo altius repetita posterior similitudinis pars.

287. *Dum stupet*. Adfectus Pyg-

Rursus amans, rursusque manu sua vota retractat.
Corpus erat : saliunt tentatæ pollice venæ.
Tum vero Paphius plenissima concipit heros
Verba, quibus Veneri grates agat : oraque tandem
Ore suo non falsa premit; dataque oscula virgo
Sensit, et erubuit, timidumque ad lumina lumen

malionis, repentino lætitiæ sensu perfusi, egregie notatus. — *Timide gaudet.* Vulgo *dubio gaudet* : quidam *modico*, aut *modice*.—Regius noster codex A, *dubie gaudet*; codex B, *medio gaudet* : sed *timide* præstantius et recte ab Heinsio prælatum; indicat nempe statum ambiguum Pygmalionis hærentis dubii inter gaudium et timorem. Hanc sententiam nuper confirmavit Rex optimus, idem artium liberalium oculatus judex, et beneficus nostri laboris patronus, quum dignum rivalem Ovidio declararet clariss. Girodet gallicæ scholæ magistrum, eique gratularetur, quod hæc verba *Dum stupet et timide gaudet* tam docto penicillo expressisset in ea nobili tabula, quæ hanc fabulam explicat, et de qua non minor gallicarum literarum magister, J. J. Dussault elegantem hunc versum cecinit :

J'ai vu ta Galatée, et je crois à la fable.

Visa mibi Galatea probat quod fabula finxit. *Ed.*

— *Timide gaudet* præclare de eo, cujus gaudium nondum certum satis est. Supra, IX, 791, *Nec timida gaudete fide*; Sil. XI, 572, *sollicite læti.* — *Fallique veretur*, non credit tactui suo, itaque *rursus rursusque retractat*, non statuam, sed multo exquisitius, *sua vota.* Pro *retractat* Palatinus et quatuor alii *retentat*, quod non displicet Burmanno. — Codices nostri Regii, *retractat.* — *Tractare*, i. q. *palpare*, ψηλαφᾶν. — *Saliunt.* Vide ad VI, 390.

289. *Corpus erat.* Proprie : tangere enim et tangi, nisi corpus, nulla potest res. *Ed.*

290. *Paphius heros*, ut jam Bersmannus observavit, per prolepsin dictum; nam Paphus demum ex Pygmalione natus.—*Plenissima verba* quæ sint, non intelligit Burmannus qui præfert unius Heinsiani MS scripturam, *plenissima vota*, scilicet ut fruatur et coeat cum imagine illa eburnea, jam femina facta : in quo ego ei non adsentior. Nam quid hoc est, *vota, quibus Veneri grates agat?* Votis enim susceptis non gratiæ aguntur Diis. Et si licet *plena vota* dicere, etiam *plena verba* ferenda sunt. Schirachius, qui eam ob causam justo acerbius vituperat Burmannum, putat, sensum esse elegantissimum, si intelligas verba perfecta et integra; verba, quæ proferuntur integra voce et clara. Equidem intelligo plurima verba, quæ ex plenissimo pectore promanant, et plenissimo ore proferuntur. Ea sunt lætitiæ summæ signum. Sic in Nuce, vers. 92, et Pont. IV, VII, 17 : *Pleni fructus* sunt plurimi : atque etiam Art. Amat. II, 322, *plena falce metere* ita accipio, ut apud Claudianum, Ep. ad Seren. 41, *numerosa falce*. plurimis falcibus metere; male ibi Burmannus mallet, *plena lance*, lance enim non metitur. Cic. Rosc. Am. 2, *plena pecunia*, plurima, copiosa. — *Non falsa*, vide ad vs. 250.

293. *Sensit et erubuit.* Melius ob-

Attollens, pariter cum cælo vidit amantem.
Conjugio, quod fecit, adest Dea : jamque coactis
Cornibus in plenum novies lunaribus orbem,
Illa Paphon genuit, de quo tenet insula nomen.
VII. Editus hac ille est, qui, si sine prole fuisset,
Inter felices Cinyras potuisset haberi.
Dira canam : natæ procul hinc, procul este parentes!

stupefactam virginem induxisset. — Nemo hoc credet. *Ed.*—*Ad lumina*; unus Moreti et unus Bononiensis, *ad limina*. *Ad lumina*, scilicet solis: nam sequitur *cum cælo vidit amantem*. Sic recte Burmannus contra Heinsium, qui per *lumina* intelligebat fenestras. — Regii nostri Codices, *ad lumina*, quod ego ultro interpreter, ad oculos Pygmalionis. *Ed.*

295. *Adest*, quia illa mox uterum fert.—Cornua lunæ *coguntur*, crescunt in plenum orbem. — *Paphos* non nisi urbs Cypri, quam condidit vel hic Paphus, vel secundum Pausaniam Arcad. p. 607, Agapenor, quum, Ilio everso, classis Arcadum ibi appulisset; vel juxta Apollod. III, XIV, 3, Cinyras, Syriorum rex. Ibi templum Veneris celebratissimum; Tacit. Hist. II, 3.

298–302. *Myrrha*, Cinyræ filia, corpus jungit cum patre inscio. Stupro nefando cognito quum pater filiam persequeretur, illa in silvam fugit, ubi mutatur in arborem sui nominis. Cf. Hygin. fab. 58; Anton. Lib. cap. 34; Apollod. III, XIV, 4; Tzetzes in Lycophr. p. 60; Schol. Theocrit. ad Id. I, 107; Serv. ad Virgil. Ecl. X, 18, et Æn. V, 72; Fulgent. Mythol. III, 8.

Dubia omnia sunt et incerta, quæ Veteres et de parentibus et de patria Cinyræ tradunt : vid. Munkerus ad Anton. Liberal. d. l. et Meursius de Cypro, II, 9. Thiante natum eum perhibent multi ; Sandoci filium facit Apollod. Neque ex hoc loco aliquid definiri potest. — MSS omnes, *Editus et ille est*, quod Constant. Fan. mutavit in *Editus hac ille est*, ut statuæ animatæ et Pygmalionis filius fuisse dicatur. Sed Heinsius malebat, *Editus hoc* (scilicet Papho) *ille est*. Et *Paphi filius* vocatur ab Hygino, fab. 242 et 270; Assyriorum regem eum faciunt Hyginus, fab. 58 et 242 ; Apollodorus, d. l. Cyprium eum regem fuisse (sic etiam Homerus, Iliad. Λ, 21, ubi Agamemnonem thorace donat), qui ditatam meretriculam, Venerem nomine, inter Deos retulerit, Venerique Cypriæ arcana sacra instituerit, quibus multos initiaverit, tradunt Clemens Alexandr. Protrept. p. 5 ; Arnob. advers. Gentes, lib. IV, p. 143, et lib. V, p. 169 ; Firmicus, de Errore profan. relig. p. 34. Sed si Cinyras tempore belli Trojani vixit, ut Homeri auctoritate constat, non bene Orpheo dicendam hanc fabulam Noster dedit.

300. *Dira canam*. Exardescit animus Orphei atrocitate rei; hinc præmittit præfationem de nefando flagitio, quod narraturus est. *Dira*, amorem a Diis iratis immissum, a furiis injectum ; confer versum 313. — *Procul hinc*, etc. ex noto illo, ἑκὰς, ἑκὰς ἐστὶ βέβηλοι, quo profani

Aut, mea si vestras mulcebunt carmina mentes,
Desit in hac mihi parte fides; nec credite factum;
Vel, si credetis, facti quoque credite pœnam.
Si tamen admissum sinit hoc Natura videri,
Gentibus Ismariis, et nostro gratulor orbi;
Gratulor huic terræ, quod abest regionibus illis,
Quæ tantum genuere nefas: sit dives amomo;
Cinnamaque, costumque suam, sudataque ligno
Tura ferat, floresque alios Panchaia tellus,

arceantur sacris, sed hoc loco castæ animæ filiarum atque patrum a sceleris horrendi auditione. — *Procul este parentes.* Duo, *procul este sorores.* — Regii nostri, *parentes.* — Versus 301 deest in Codice A et margini ab alia manu fuit inscriptus: quem Nasone dignum arbitror. *Ed.* — *Mulcebunt.* Verborum elegantia et affectuum notatione, qua mirum in modum se commendat hæc fabula, tenebunt et delectabunt. — *Nec credite.* Octo (et noster Regius B) *ne credite.*—*Facti.* Cantabr. *factis*; Heinsius malebat *facto.*—Ambo nostri Regii, *facti.*

305. *Gentibus.* Hic versus deest in Florentino S. Marci, probante Burmanno. — Sed legitur in nostris Regiis. — *Ismariis*, Thracibus, ab *Ismaro.* monte Thraciæ. Burmanno, qui putat, hæc ex sua persona dixisse Ovidium, mirum videtur, ita gratulari poetam Thraciæ, ubi modo vers. 83, Orpheus docuerat, amorem in teneros transferre mares, quasi pæderastia minus scelus incesto esset. Fuit sane minus scelus ex opinione pæderastarum, et omnino Græcorum; sua enim cuique flagitia parvi momenti esse videntur. — *Nostro orbi*, parti orbis terrarum, quam nos incolimus. Male Rod., *unsrer Flur.*—*Gratulari* nunc felicem prædicare, ut III, Art. Am. 121. — *Tantum nefas*, tam nefariam mulierem. Ab impiis hominibus quam remotissimi esse cupimus.

308. *Cinnamaque costumque suam*; Codex Regius A, *Cinnamaque et costumque suam.* eodem errore quem notavimus ad versum 262. Regius B nihil mutat. *Ed.* — Alii, *costumque suum.* Vide Heinsium. De *costo* vide infra. — *Floresque alios.* Quidam *floresque varios.* Petitus, Comment. in leges Att. p. 248, corrigit *Tura ferat* (*floresque alios*) *Panchaica tellus. Dum* etc. Causa emendationis intelligitur e nota nostra ad versum 478: sed incommode, monente etiam Burmanno, inter *tura* et *Panchaica* interjiceretur, *floresque alios.* Regii nostri Codices Petiti distinctionem non admittunt: recte judicavit Burmannus. *Ed.* — *Sit dives amomo* etc. Valeant opes Arabiæ, eas non curamus nec invidemus, quum illa regio arborem ferat e tam scelesta muliere ortam. *Ed.*—*Panchæa.* Arabiæ regio. Vossius ad Virgil. Georg. II, 139, insulam putat esse sacram Euhemeri poetæ, eamque fabulosam, in parte Arabiæ orientali, quæ omnis generis aromata mittere credita sit. Cf. infra ad versum 476. *Dives*

Dum ferat et Myrrham! tanti nova non fuit arbos!
Ipse negat nocuisse tibi sua tela Cupido,
Myrrha; facesque suas a crimine vindicat isto.
Stipite te Stygio, tumidisque adflavit Echidnis,
E tribus una soror: scelus est odisse parentem:
Hic amor est odio majus scelus: undique lecti
Te cupiunt proceres; totoque Oriente juventus

Panchaia etiam Tibullus, III, II, 23; *Dives Arabs*, IV, II, 18; *Turiferis Panchaia pinguis arenis*, apud Virgilium, Georg. II, 139. Et illæ Arabum divitiæ (de quibus conf. Claudianus, Nupt. Hon. 92 sqq) in proverbium abierunt. Tam in Arabia, quam in Armenia et Media nascebatur *amomum*, fruticis odorati et uvas ferentis genus; Plinius, XII, 13: sed deinde de omni aromate sincero dictum docet Salmasius ad Solin. p. 284.—*Cinnamum* non tulit Arabia, sed secundum Plinium, XII, 19, ab Æthiopibus (forte a Sinensibus) importatum est.—*Costi* radix et folia eximio odore, hinc Indis in maximo pretio. Plinius, XII, 12.— *Tura* solis Sabæis, Arabiæ populo, concessa, sudantia ex arboribus incisis. Plinius, XII, 14; Virgil. Georg. II, 117. — *Flores*, plantas, frutices. Sed omnia illa bona superat illud nefas. Non poterat acrius aversari Myrrhæ furorem. — In Arabia igitur mutata est Myrrha, et hinc etiam fugit vers. 478. Itaque nec Assyriorum, nec Cypriorum rex esse potuit Cinyras. Glareanus suspicatur, Cinyram Papho fratri Cypri imperio cessisse in Arabiam, ubi Myrrham genuerit. Sed quum nesciamus, quos auctores Ovidius secutus sit, nihil hic certo dici potest. In Libano monte eam natam esse, auctor est Antoninus Liberalis.

311. *Ipse negat nocuisse.* Turpitudinem istius amoris ostendit primum ex ejus origine, tum per comparationem cum odio parentis, denique ex insania virginis in spernendis procis. Non ille amor injectus a Cupidine, sed ad Furias referendus talis furor: bene Cupidinem inducit se purgantem. Apud Hyginum et Lactant. in Argum. Venus immittit Myrrhæ (forte Furiarum ministerio) istum furorem, quod mater ejus ausa esset se præferre Deæ; eamdemque opinionem etiam Noster, vers. 524, secutus videtur.—*Myrrha* ab aliis vocatur *Smyrna*, causa est hæc, quia arbor illa Græcis et μύῤῥα et σμύρνα dicta. Sed Latini maluerunt *Myrrha* scribere: vid. Munkerus ad Hygini fabulam 58.—Gravis oppositio in *telis Cupidinis* et *stipite Stygio*. Junianus et Bersmanni MS habet *Stipite de Stygio*.—*Tumidisque adflavit*. Regius et Junianus (et noster A Regius) *tumidis* sine *que*, ut sit, tumidis de stipite Echidnis: male. *Tumidis*, scilicet veneno. — *Adflavit* non nisi de Echidnis dici potest, sed more poetarum unum verbum duobus nominibus Noster accommodavit. Stipite et adflatu Echidnæ te vulneravit, amorem tuum excitavit. —*E tribus una soror.* Una ex Furiis, Tisiphone, Alecto, aut Megæra. *Ed.*

316. *Te cupiunt proceres.* Tanto minus veniam merebatur Myrrha,

Ad thalami certamen adest : ex omnibus unum
Elige, Myrrha, tibi, dum ne sit in omnibus unus.
Illa quidem sentit, fœdoque repugnat amori :
Et secum, « Quo mente feror? quid molior? inquit.
» Dî, precor, et Pietas, sacrataque jura parentum,
» Hoc prohibete nefas, scelerique resistite tanto ;
» Si tamen hoc scelus est : sed enim damnare negatur
» Hanc Venerem pietas ; coeuntque animalia nullo
» Cetera delectu ; nec habetur turpe juvencæ
» Ferre patrem tergo : fit equo sua filia conjux ;

quum facilis ei esset nubendi copia, atque maritum sibi deligendi e maximo numero *lectorum*, præstantissimorum, *procerum*, juvenum regiorum, qui eam *cupiebant*, ambiebant nuptiis, et *aderant ad thalami certamen*, præsentes certabant, ut eam sibi quisque conjugem vindicaret. — *Totoque Oriente.* Id quia nimis poeticum judicabat Casp. Hofmannus, corrigebat *totoque Oronte*, ut intelligeretur ea pars Syriæ, quam Orontes irrigat; sed bene *Orientem* Burmannus defendit ab his libri IV, 56, de Thisbe : *quas Oriens habuit prælata puellis.* Nempe si ditissimi et potentissimi regis filia a procis totius Orientis exspectatur, historicus non vereretur hoc fide certa narrare ; cur non poeta, cui certe licet famam pulcherrimæ puellæ fingere etiam ad longe remotas gentes diffusam esse ? *Ed.* — *Elige, Myrrha, tibi.* Regii nostri, *Elige, Myrrha, virum*, quod placebat Heinsio, si mox legeretur *dum non ex omnibus unum.* Constantius Fan. delebat verbum substantivum ; sed Micyllus dedit cum nostris Regiis, *dum non sit in omnibus*, ut versus staret. Bene. *Ed.* — *Dum ne sit* etc. uno patre ex omnibus excepto. Lusit in vocem *unus.*

319. *Sentit.* Sensum enim honesti et turpis omnibus hominibus impressit Deus. Et is sensus etiam in seqq mediis in furoribus Myrrha subinde expergiscitur.

320. *Et secum.* Sequitur soliloquium, in quo mox affectus vincit, mox sana ratio, ut supra IX, 473 sqq, in fluctuatione Byblidis. Primum sana satis est, et Deorum auxilium implorat : *Quo mente feror* bene de iis, qui sentiunt se furiosa consilia capere. — *Moliri* de omni conatu. — *Pietas*, reverentia parentibus debita, spectatur ut numen. — *Sacrata*, sacra, ut Virgilius, Æn. II, 157. — *Sceleri ... tanto.* Regii nostri, *sceleri ... nostro*, quod potest defendi. *Ed.*

324. *Coeuntque.* Regius noster B τὸ *que* omittit, quo quidem potest vacare. *Ed.* — *Coeunt nullo delectu.* Olim edebatur *nullo delicto*; Heinsius malit *dilectu*, sine causa : *deligere* enim et *diligere* verba ejusdem notionis esse docet Burmannus plurimis exemplis, quem vide. — Regii nostri *delicto.* — Ab animalibus brutis discere vult, quid homini liceat. *Denn unter deiner Läste Bürde Sinkst du von eines Menschen Würde zur Niedrigkeit des*

» Quasque creavit, init pecudes, caper : ipsaque, cujus
» Semine concepta est, ex illo concipit ales.
» Felices, quibus ista licent ! humana malignas
» Cura dedit leges, et quod Natura remittit,
» Invida jura negant : gentes tamen esse feruntur,
» In quibus et nato genetrix, et nata parenti
» Jungitur, et pietas geminato crescit amore.
» Me miseram, quod non nasci mihi contigit illic,
» Fortunaque loci lædor ! quid in ista revolvor ?
» Spes interdictæ, discedite : dignus amari
» Ille, sed ut pater, est : ergo si filia magni
» Non essem Cinyræ, Cinyræ concumbere possem.

Thiers herab! Hanc germanici carminis vim sic interpretor : « Ergo sub ingravescentis libidinis pondere dejecta ex humanæ conditionis fastigio in bestiarum infimam sortem cadis ! » *Ed.*—Sed nota in sqq varietatem orationis, qua concubitus exprimitur : *nullo delectu*, sine discrimine.

328. *Semine.* Sixii Codex, *germine*, ut lib. IX, 280.—Regii nostri, *semine*.

329. *Humana cura*, pro homines, qui curam gerunt rerum, ut I, 48, *cura Dei.* — *Malignas*, invidas, quæ invident hominibus Venerem concessam.—*Remittere*, concedere, veniam dare. — *Gentes* tam efferatas et immanes unquam fuisse credibile non est. Ingeniose tamen illum morem commendat, *pietas geminato crescit amore.* — Potuisset etiam, ut supra Byblis, Deorum auctoritates commemorare. Jupiter enim et matri stuprum inferre voluit, et cum filia concubuit ; sed recte illas omisit Noster in flagitio, cujus fœditatem omni modo aversatur. — Equidem *gentes* tam efferatas, ut ait c. v. *Gierig*, unquam exstitisse non crederem, nisi Troglodytæ, Æthiopes, brutorum more viventes, promiscua conjugia inter se habuissent ; nisi ipse Attila, ille Hunnorum tyrannus, suam filiam sibi matrimonio junxisset inter plaudentium populorum gaudia et acclamationes. *Ed.*

335. *Fortuna loci lædor*, fortunam habeo adversam, quod nata sum in iis locis, ubi tam malignæ leges. *Fortuna loci* etiam inter Deas relata ; I Fast. 209. Ea casus locorum regebat, eique fata sua, quorum causas non intelligebant, homines adscribebant ; supra IV, 565 ; Lucanus, IV, 661. Ad eam igitur etiam nativitatem suam refert Myrrha. *Læditur Fortuna* is, qui fortunam habet novercam. IV ex Pont. VI, 39.

336. *Dignus amari.* Art. Amat. I, 285, *Myrrha patrem, sed non ut filia debet, amavit.* Ed.— *Magni Cinyræ.* Ditissimus et potentissimus fuit Cinyras. A Suida in Κίνυρα, vocatur ζάπλουτος. Fuit etiam proverb. Κινύρου πλουσιώτερος apud Apostolium, Cent. XIX, 40 ; Pindar. Nem. VIII, 20, Ὅσπερ καὶ Κινύραν ἔβρισε πλούτῳ ποντίᾳ ἔν ποτε Κύπρῳ. Tyrtæus, carm.

» Nunc quia tam meus est, non est meus ; ipsaque damno
» Est mihi proximitas : aliena potentior essem.
» Ire libet procul hinc, patriosque relinquere fines,
» Dum scelus effugiam : retinet malus error amantem,
» Ut præsens spectem Cinyram, tangamque, loquarque,
» Osculaque admoveam, si nil conceditur ultra.
» Ultra autem sperare aliquid potes, impia virgo?
» Nec, quot confundas et jura et nomina, sentis?
» Tune eris et matris pellex, et adultera patris?
» Tune soror gnati, genetrixque vocabere fratris?
» Nec metues atro crinitas angue Sorores,
» Quas, facibus sævis oculos atque ora petentes,

III, 6 : Εἰ πλουτοίη δὲ Μίδεω καὶ Κινυρίοιο πλέον.

339. *Tam meus* dedit Heinsius ex Langermanni codice ; vulgo (et in nostris Regiis) *jam meus*. *Quia tam meus est* etc. Oxymori speciem habet, quia tam propinquus mihi est, propterea non possum ei nubere. Sed talia vix esse videntur desperantis animi. — *Proximitas* et alibi apud Nostrum occurrit. — *Aliena*, si aliena, non filia essem ; IX, 326, *aliena sanguine vestro*. — *Potentior*, beatior, ut IV, 325. Schirachius explicat, potentior voti.

341. *Ire libet procul hinc*. Propertius, III, xx, 9, *Unum erit auxilium : mutatis, Cynthia, terris, Quantum oculis, animo tam procul ibit Amor*. — *Patrios.... fines* ex Naugerii et uno Bononiensi dedit Heinsius pro *patriæ ... fines* (quod habent nostri Regii).

342. *Malus error*. Vulgo *malus ardor* : quidam, pro *amantem*, *euntem*. — Regii nostri, *ardor amantem*. — *Errorem* apud poetas de insano amore dici, docet Heinsius ; Trist. I, II, 99, *si me malus abstulit error*.

346. *Nec quot* emendavit Constant. Fan. Vulgo *Et quod*. — Nostri Regii, *nec, quot*. — *Confundas nomina*. Illa nominum confusio vel maxime docet Naturam aversari talem concubitum.

347. *Matris .... patris*. Unus Mediceus, *matri* ; tunc Burmannus malit et *patri*, et mox *gnato* et *fratri* ; quam formam loquendi exemplis probat. — Regii nostri vulgatam tuentur. Ænigma simile posuit de se Œdippus in Thebaide Senecæ, versu 134 : *Avi gener, patrisque rivalis sui, Frater suorum liberûm, et fratrum parens ; Uno avia partu liberos peperit viro, Ac sibi nepotes*. Ed.

349. *Metues*. Burmannus legeret potius cum Junii et Sprotii codicibus *metuas*. — *Atro crinitas angue*. Quidam *sacro crinitas angue*, probante Viviano. — Regii nostri *sacro* quod ferri potest ; quidquid enim ad Deos superiores, vel inferiores, pertinebat, *sacrum* dicebatur. Ed. — *Crinitas angue*, anguibus, dictum ut versu 21, *villosa colubris*. — *Quas*. Junianus *Quam*, ut esset exclamatio. — Nostri Regii, *Quas*.

» Noxia corda vident? at tu, dum corpore non es
» Passa, nefas animo ne concipe : neve potentis
» Concubitu vetito naturæ pollue fœdus.
» Velle puta; res ipsa vetat : pius ille, memorque
» Juris; et, o! vellem similis furor esset in illo! »
Dixerat : at Cinyras, quem copia digna procorum,
Quid faciat, dubitare facit, scitatur ab ipsa,
Nominibus dictis, cujus velit esse mariti.
Illa silet primo, patriisque in vultibus hærens,
Æstuat, et tepido suffundit lumina rore.
Virginei Cinyras hæc credens esse timoris,
Flere vetat, siccatque genas, atque oscula jungit.
Myrrha datis nimium gaudet; consultaque, qualem
Optet habere virum, similem tibi, dixit : at ille

352. *Nefas concipe*; vide ad versum 404.—*Potens natura*, quæ multum valet, quæ potest leges præscribere, quas nemini violare licet. Etiam Horat. II, Sat. 1, 51, *Imperet hoc natura potens*, et Noster, IX, 757, in simillima re, *At non vult Natura, potentior omnibus istis*. Vulg. *parentis Nat.*, nunc vix loc. habet. Nec placet conjectio Burmanni *patentis*, quam ipse sic explicat : « Natura patet satis late, et ut ex omnibus eligas, permittit, dummodo a patris vetito concubitu te contineas. » —Regius noster B hunc locum ita legit : *neve petendo Concubitus vetitos*; quam lectionem genuinam quis forsan judicaverit. *Ed.* — *Fœdus*, leges, quas liberis et parentibus præscribit *Natura*.

354. *Memorque Juris*. Vulgo *memorque Moris*. — Codex Regius A, a secunda manu, et Codex B a prima, *Juris*.

356. *Cinyras, quem copia* etc. Sequitur locus suavissime scriptus et plenus tenerrimo adfectu : *copia digna*; Oxoniensis et unus Heinsii, *copia magna*; quod ex interpretatione fluxit; Virgilius, Georg. I, 507, *dignus honor*, magnus. — *Nominibus dictis*, expositis procorum nominibus; ταύτην διὰ κάλλος πλεῖστοι καὶ ἐκ πόλεων πλείστων ἐμνήστευον, ait Antoninus Liberalis. *Ed.* — *Cujus mariti*, deest *conjux*, more Græcorum. Sic III, 283, *esse Jovis*.

359. *Primo, patriisque*. Multi, *primoque patris in vultibus*.—Ita Codex Regius B; at Codex A, *primo, patriisque in vultibus* : quæ lectio omnem difficultatem tollit et metro convenit. *Ed.*

361. *Virginei ... timoris*. Parum refert, utrum *timoris* an cum multis MSS *pudoris* legas : ambæ enim illæ affectiones animi conjunctæ fere esse solent; vid. Plato Euthyphr. p. 26, edit. Fisch.

364. *Similem tibi*. Callide se expedit Myrrha, fere ut vers. 276 Pygmalion.

Non intellectam vocem collaudat ; et, « esto
» Tam pia semper, » ait : pietatis nomine dicto,
Demisit vultus sceleris sibi conscia virgo.
Noctis erat medium ; curasque et corpora somnus
Solverat ; at virgo Cinyreia pervigil igni
Carpitur indomito, furiosaque vota retractat.
Et modo desperat ; modo vult tentare : pudetque,
Et cupit ; et, quod agat, non invenit : utque securi
Saucia trabs ingens, ubi plaga novissima restat,
Quo cadat, in dubio est, omnique a parte timetur ;
Sic animus vario labefactus vulnere nutat
Huc levis, atque illuc ; momentaque sumit utroque.

368. *Somnus solvit*. relaxat, *corpora*, membra corporis antea intenta, (vide ad VII, 185), idemque *solvit curas*, facit. ut homines liberentur curis. Passim occurrit, *curis solutus* et *exsolutus*. Vid. Schwarzius ad Plinium, Paneg. 79 : *solvere* igitur nunc in dilogia positum. Similiter Tibullus, III, III, 21, *mentes hominum curæque levantur*. — *Igni*. Vulgo (et in nostris Regiis) *igne*.— *Indomito*, ἀδαμάστῳ, ardentissimo. *Indomitus amor*, II Trist. 585 ; *indomitæ iræ*, supra V, 41.—*Retractat*, repetit secum, ut IV, 568.

371. *Vult tentare*. Mediceus et alius *vult captare* ; nostri Regii *temptare*, quod certe corrupte pro *tentare* fluxit : sic in Quintiliano, Inst. Orat. IV, I, 58, nostræ editionis tom. II, pag. 41, Codex Turicensis habet *tempturi*. pro *tentari* quod dat editio Campani ; vulgo *temperari* legitur. *Ed*.— *Et quod agat*. *non invenit*, pro *quid agat*, ex Juniano dedit Heinsius. — Codex Regius B habet *quid agat* ; Codex A vero habet compendium quo in MSS *quod* et *quid* significantur, unde hoc loco incerta sit lectio ; attamen *quod* recipi debet, quum jam Art. Amat. II, 707, scriptum fuerit *Invenient digiti, quod agant*. Ed.

373. *Saucia trabs ingens*. Similitudinem expressam esse e Virgilio, Æneid. II, 626, putat Burmannus. Cf. supra VIII, 472, ubi fluctuatio animi alia, eademque suavissima imagine illustratur : *trabs*, arbor ; Statius, VI, 91, *iliceæ trabes*, ilices. — *Timetur*. Unus Moreti *minatur*, quod valde placet Burmanno.—Regii nostri *timetur*. — *Vario vulnere*, vario affectu et motu. Bene autem motus illos vocat vulnera, quia in similitudine trabs *sauciatur plagis*. Etiam *labefactus* sic bene translatum ad animum. — *Levis*, parum sibi constans, *nutat huc atque illuc*. mox furori suo indulget, mox sanæ rationi obtemperare vult : *Quum in dubio est animus*, *parvo momento huc illuc impellitur*. — *Momenta* ... *utroque*. Quatuor *utrimque*.—Regii nostri *utroque*.—*Momentaque sumit utroque*. Nunc in hanc partem inclinat, nunc in illam, libræ instar ancipitis, unde ducta metaphora Tibulli, IV,

Nec modus aut requies, nisi mors, reperitur amoris :
Mors placet : erigitur, laqueoque innectere fauces
Destinat ; et, zona summo de poste revincta ;
« Care vale Cinyra, causam te intellige mortis. »
Dixit : et aptabat pallenti vincula collo.
Murmura verborum fidas nutricis ad aures
Pervenisse ferunt, limen servantis alumnæ.
Surgit anus, reseratque fores ; mortisque paratæ
Instrumenta videns, spatio conclamat eodem,
Seque ferit, scinditque sinus, ereptaque collo

I, 41 : *Justa pari premitur veluti cum pondere libra* etc. *Sumere momenta* fere ut Florus, IV, XII, 54, *sumere impetus*. Supra VII, 79, *adsumere alimenta a ventis*.

377. *Modus* vel finis, ut Horat. I, Od. VI, 7, *sit modus lasso maris*, vel moderatio ; Seneca, Controv. 20, *Facilius in amore finem impetres, quam modum*. Apud Terent. Eun. I, I, 12, Parmeno negat, amorem admittere *modum*. — *Amoris*. Heinsius malebat *amori*. — Heinsio cum Burmanno plane adsentirer, si codicum auctoritas adesset aliqua. *Ed.*

378. *Mors placet*. Mors remedium amoris ultimum, ut habet epigramma incerti auctoris, lib. I Anthologiæ, cap. 27 : Ἔρωτα παύει λιμός· εἰ δὲ μὴ χρόνος. Ἐὰν δὲ μηδὲ ταῦτα τὴν φλόγα σβέσῃ, Θεραπεία σοι τὸ λοιπὸν ἠρτήσθω βρόχος. Quod Suidas, ut et Laertius, Crateti tribuit. *Ed.* — *Destinat*. constituit, ut sæpissime apud Plinium, in Epistolis.

380. *Causam te intellige*. Quum Myrrha causam mortis nemini fassa esset, pater, filia exstincta, illam causam intelligere non poterat. Præstat igitur haud dubie unius Medicei et Arundeliani lectio, *causam te intellige mortis* : scito te esse causam mortis ; et anteponenda est vulgatæ (quam male habent Regii nostri) *causamque intellige* ; illam igitur recepi. — *Dixit : et aptabat*. Heinsius conjicit *Dixit : et aptabat*. — Nostri Regii *et aptabat*. — *Pallenti*, mortis cogitatione.

382. *Murmura verborum* etc. Hæc et sequentia confer cum Virgilio, Cir. 233 sqq. — *Fides*, virtus prima nutricum. — *Nutricem* hanc Antonin. Liberalis, 24, Hippolyten vocat. *Ed.* — *Alumnæ*. Heinsius conjicit *alumnum*, atque etiam mox, versu 415, *pedes alumnos*. — Regii nostri in utroque loco servant *alumnæ*. — *Limen servantis alumnæ*, custodiæ causa cubantis juxta cubiculum alumnæ : *servare* passim pro observare, custodire.

384. *Mortisque paratæ*. Mediceus et quatuor alii *parantem*. — Regii nostri *paratæ* — *Mortis paratæ*, quam ipsa sibi parabat, aut ad quam instrumenta paraverat : *parare mortem*, ut *parare vim*, *fugam* etc. — *Instrumenta*. Zonam laquei vice *de poste revinctam*. Ed. — Quum cunctationi locus non esset, omnia facit *spatio eodem*. Et ut multitudo rerum simul peractarum facilius sentiatur, ter repetitur *que*. — *Dilaniat*, rumpit.

Vincula dilaniat : tum denique flere vacavit ;
Tum dare complexus, laqueique requirere causam.
Muta silet virgo, terramque immota tuetur ;
Et deprensa dolet tardæ conamina mortis.
Instat anus ; canosque suos, et inania nudans
Ubera, per cunas alimentaque prima precatur,
Ut sibi committat, quidquid dolet : illa rogantem
Aversata gemit : certa est exquirere nutrix :
Nec solam spondere fidem : « Dic, inquit, opemque

— *Tum denique*, quum opem tulisset, seque a summa animi perturbatione collegisset. — *Flere vacavit.* Codex noster Regius B sic habet in textu ; at in margine scriptum est *paravit*, quod sane e glossa. Ciofanus laudat *vetavit*, quod referatur ad nutricem ; Heinsius hoc sicut et *paravit* rejicit et *vacavit* defendit exemplis, inter quæ affert locum Nostri, lib. VI, 585, *nec flere vacat, sed fasque nefasque Confusura ruit.* Ed. — *Non vacat flere*, adhibetur tum, quum res non lacrymas poscit, sed actionem, fortitudinem, auxilium etc. IV, 694. — *Laquei*, scilicet collo injecti.

389. *Muta silet* dictum ut *muta silentia*, versu 53, et IV, 433, ubi vide notam. — *Tuetur*, intuetur. — *Tardæ* referri proprie debuisset ad *conamina*.

391. *Canosque suos*, etc. Olim alumnæ nudaverat plena lactis ubera, nunc *inania*. Solemnis autem hæc nutricum et matrum obtestatio ; vide Homerum, Il. X, 80 sqq ; Senecam, Hipp. 246, et Herc. Œt. 925. — Scheppero non placet τὸ *cunas*, corrigit ergo, et repetit *canos*. — Regii nostri habent *cunas ;* nec erat cur hæc lectio sollicitaretur. *Ed.*

393. *Rogantem aversata*. Multi *roganti adversata.* — Nostri Regii *rogantem aversata*, quod *Gierig* interpretatur : « Nil respondens roganti, quod signum est contemtus et aversationis. » Hæc interpretatio mihi nimis severa videtur ; nulla est causa cur Myrrha nutricem suam contemnat atque detestetur; non alius nempe sensus verbis *Gierig* dandus est ; et aliter intelligendum est *aversata*, quod hoc loco est simpliciter avertens vultum a nutrice, præ metu aut verecundia. Sic apud Livium, lib. III, *sed alii aversantur preces, aut verecundia, aut metu :* hic locus nostro plane est similis ; ex quo forsan aliqui, Mediceus scilicet, et Argent. et Thysii, pro *rogantem* invexerunt *precantem*. Etiam Quintilianus, VIII, 3, *ego certe mihi cernere videor eorum qui aderant tacitam aversationem ac timidam verecundiam.* Ex quibus nullum de sensu illius verbi superesse dubium puto. *Ed.* — *Certa est*, ut IX, 43, *certi non cedere.*

395. *Nec solam* etc. Nota in sequentibus operam et sedulitatem nutricis, qua rem exquirit. Post *spondere fidem* debebat sequi, sed opem etiam ferre. Verum mutavit orationem et nutricem ipsam loquentem induxit. Sqq de furore, quem philtra exci-

» Me sine ferre tibi ; non est mea pigra senectus.
» Seu furor est ; habeo quæ carmine sanet, et herbis :
» Sive aliquis nocuit ; magico lustrabere ritu :
» Sive est ira Deum ; sacris placabilis ira.
» Quid rear utilius ? certe fortuna domusque
» Sospes, et in cursu est : vivunt genetrixque, paterque. »
Myrrha, patre audito, suspiria duxit ab imo
Pectore : nec nutrix etiamnum concipit ullum
Mente nefas ; aliquemque tamen præsentit amorem ;
Propositique tenax, quodcumque sit, orat, ut ipsi
Indicet, et gremio lacrymantem tollit anili.
Atque ita complectens infirmis membra lacertis ;
» Sensimus, inquit ; amas : et in hoc mea, pone timorem,

tant, accipienda. Noster, Art. Am. II, 106, *Philtra nocent animis, vimque furoris habent.* Confer. Juvenalis, Sat. v, 609 sqq. Talis furor sanari etiam solebat *magico ritu* seu magicis artibus, quas commemorat Plinius, XXXII, 10. In iis *herbæ* potissimum et *carmina*, quibus etiam nocebatur. Propertius, III, IV, 25, *Non me moribus, sed herbis improba vicit*; et VIII, 23, *Quid queror, heu, misero carmen nocuisse? quid herbas?* — *Habeo* magam, *quæ* etc. — *Lustrabere ritu.* Arundelianus et Langermannianus *lustrabere cantu*, quod non displicet Burmanno, qui laudat e Valerio Flacco, III, 448, *lustrificus cantus*, et VII, 351, *magicum carmen*, et ibidem 385, *magicus sonus.*—Regii nostri habent *ritu.* — *Lustratio* fiebat etiam ad depellenda mala, ut morbos etc. Tibullus, I, v, 11. — *Placabilis ira.* Sic Florentinus S. Marci, unde hanc lectionem Heinsius recepit. Vulgo (et in nostris Reg.) *placabimus iram.*

400. *Rear*, conjiciam.—*Certe fortuna domusque* etc. Calamitates tibi tuæque domo nullæ sunt. — *Sospes et in cursu.* Olim edebatur *sospes ab incursu est*; sed Heinsius e Berneggeriano, Spirensi et Florentino S. Marci, a manu secunda, recepit *et in cursu est.* — Codex Regius A, *sospes ab incursu est*; Codex B, *et in cursu est.*—*In cursu est*, prospere tibi tuisque omnia cedunt. Passim apud Nostrum *dolor, furor, spes* etc. dicuntur *in cursu esse* : vide Heinsium.—Alibi *concipere nefas* est vel excogitare nefas, vel excogitatum committere. Sic Cicer. Cat. II, 4, *concipere scelus*; Tusc. I, 30, *concipere fraudes*; Horat. II, Od. XIII, *quidquid concipitur nefas.* Sed hoc loco *concipere mente* nil aliud nisi, suspicari.

407. *Complectens ... membra.* Pro *membra* unus Mediceus *nata*, quod venustum videbatur Heinsio, quia *natæ* alumnæ vocabantur a nutricibus, et hæ vicissim matres ab alumnis : recepit vero *colla* secundo Palatino.—Regii nostri habent *membra*;

» Sedulitas erit apta tibi : nec sentiet unquam
» Hoc pater. » Exsiluit gremio furibunda, torumque
Ore premens ; « Discede, precor, miseroque pudori
» Parce, ait : instanti, discede, aut desine, dixit,
» Quærere, quid doleam : scelus est, quod scire laboras. »
Horret anus ; tremulasque manus annisque metuque
Tendit, et ante pedes supplex procumbit alumnæ :
Et modo blanditur ; modo, si non conscia fiat,
Terret, et indicium laquei, cœptæque minatur
Mortis : et officium commisso spondet amori.
Extulit illa caput, lacrymisque implevit obortis
Pectora nutricis ; conataque sæpe fateri,
Sæpe tenet vocem ; pudibundaque vestibus ora
Texit : et, « O, dixit, felicem conjuge matrem ! »
Hactenus ; et gemuit : gelidos nutricis in artus,
Ossaque, sensit enim, penetrat tremor ; albaque toto
Vertice canities rigidis stetit hirta capillis :
Multaque, ut excuteret diros, si posset, amores,
Addidit : at virgo scit se non falsa moneri :
Certa mori tamen est, si non potiatur amato.
« Vive, ait hæc ; potiere tuo ; » non ausa, parente,

colla quod servaverat Burmannus ferri posset certe, sed *nata* etsi venustum, non facile intelligeretur. *Ed.*

410. *Exsiluit* vetustiores MSS exhibent, *exsiliit* recentiores.—Attamen Codex noster A, qui videtur prior ætate, habet *exiliit*, et Codex B posterior, *exiluit*. — Et gestibus et verbis præclare expressit furorem.

417. *Indicium laquei*. Hoc est, minatur se indicaturam patri, quod se suspendere laqueo Myrrha voluerit. *Ed.* — *Et officium*. Nonnulli *at officium*. — Regii nostri *et*.

422. *O, dixit* etc. Laudat hæc verba, et inter emphases, quum ex aliquo dicto latens aliquid eruitur, refert Quintilianus, Inst. Or. IX, II, 64. Nempe rerum turpium confessionem ambiguis verbis et obscuris edere solent homines.

424. *Sensit*, intellexit vim illorum verborum. Nimis cumulatis verbis exornavit illud, steterunt comæ. — *Canities ... capillis*, id est, cani capilli steterunt rigidi et hirti.—*Dios*. Vide ad versum 300.

428. *Si non potiatur amato*. Vulgo *potiatur amore*. *Amato* fragmentum

Dicere, conticuit; promissaque numine firmat.
Festa piæ Cereris celebrabant annua matres
Illa, quibus nivea velatæ corpora veste
Primitias frugum dant, spicea serta, suarum;
Perque novem noctes Venerem, tactusque viriles
In vetitis numerant: turba Cenchreis in illa
Regis abest conjux, arcanaque sacra frequentat.
Ergo legitima vacuus dum conjuge lectus,

Cæsenas, primus Gronovii, et duodecim alii. — Regii nostri, *amore*.

430. *Promissa numine firmat* breviter et satis eleganter mihi dictum videtur pro, per numen jurans. Burmannus vero prioris Gronovii MS lectionem præfert; *Dicere, jurato promissaque numine firmat*. Causa hoc præferendi fuit hæc, quia *jurare numen* pro, *jurare per numen* recte dicitur; vid. Drakenb. ad Silium, VIII, 105.

431. *Festa piæ Cereris*. In honorem Cereris θεσμοφόρου, s. legiferæ, *annua* sacra a multis Græciæ civitatibus, maxima autem religione ab Atheniensibus, celebrabantur, Thesmophoria inde dicta. Eaque sacra sine dubio et hoc loco intelligenda sunt. Agebantur enim non nisi a feminis ingenuis inde a die 14 mensis Pyanepsionis (qui erat mensium autumnalium primus) per quinque dies. Mulieres illæ velatæ erant *vestibus niveis*, in signum intemeratæ sanctitatis, et quum per quinque illas noctes, tum per quatuor proxime præcedentes, et a *Venere* abstinere, et summæ modestiæ operam dare debebant. Hinc *piæ matres*; *piæ* enim, quæ Deorum sacra rite colunt: vide Meursii Græc. feriatam in θεσμοφόρια. Burmannus tamen putat, in animo habuisse poetam festum Cereri sacrum, quod in Oriente celebratum sit (at istius festi nulla exstat memoria); nam in Thesmophoriis tres modo noctes pure se habuisse matronas, (quod est falsum; vid. *Potteri* Archæol. Græc. tom. I, p. 883, ed. Ramb.) neque se de primitiis oblatis quidquam reperisse. Negari sane non potest, primitias non tam in Thesmophoriis, quam in θαλυσίοις potius, oblatas Cereri et Baccho, sed Noster non semel confudit diversa. — *Velatæ corpora veste*. Burmannus mallet cum Genevensi *velatæ tempora vitta*. — Regii nostri vulgatam habent. — *Tactusque viriles*, concubitus cum maritis: vulgo *tactusque virorum*. — Regii nostri *tactusque viriles*; elegantior lectio. *Ed.*

435. *Cenchreis* vel *Cencreis* habent Regius noster B, Florentinus Sancti Marci, Berneggerianus, Neapolitanus, Cantabrig. Oxoniensis primus, et secundus Palatinus, aliique complures; recte. Regius B habet *Cinereis*, pro vulgato *Cinyreis*. Auctor Argument. Myrrham Cinyræ et *Cenchreidis* filiam dicit; Higynus, fab. 68, Smyrna Cinyræ Assyriorum regis et *Cenchreidis* filia. *Ed.* — *Abest*. Vulgo (et in nostro Regio B) *adest*. — Regius A, *abit*, quod non male, si in versu præcedenti scriberetur *turbam Cenchreis in illam*; quod ferunt sec. Pal. et Oxon. *Ed.*

437. *Vacuus lectus*, quum alter

Nacta gravem vino Cinyram male sedula nutrix,
Nomine mentito, veros exponit amores,
Et faciem laudat : quæsitis virginis annis,
« Par, ait, est Myrrhæ : » quam postquam adducere jussa est,
Utque domum rediit; « Gaude mea, dixit, alumna;
» Vicimus. » Infelix non toto pectore sentit
Lætitiam virgo; præsagaque pectora mœrent.
Sed tamen et gaudet : tanta est discordia mentis!
Tempus erat, quo cuncta silent, interque Triones
Flexerat obliquo plaustrum temone Bootes.
Ad facinus venit illa suum : fugit aurea cælo

conjugum sacrorum causa seorsim secubat, est etiam Amor. III, x, 2, et Epiced. Tibul. vers. 33. *Viduum cubile* Amor. II, x, 17. *Desertus lectus* Heroid. I, 7. Et qui solus cubat, *viduas exigit noctes* ibid. XIX, 69. — *Nacta gravem.* Apud Hyginum, fab. 164, Myrrha ipsa patrem inebriat. — *Nomine mentito.* Basileensis *nomine mutato.*

441. *Adducere.* Lenones et lenæ alibi et proprie meretrices stupri causa dicuntur ad aliquem *deducere*, (Cic. Ver. III, 34), et *perducere*, Ver. V, 12. Hinc Ver. I, 12, *perductores* sunt lenones; vide Grævium ad Sueton. Cæs. 49, et Ernesti Clav. Cic. s. his vocibus.

443. *Vicimus*, formula exsultantis propter spem certam.— *Toto pectore* vulgo, quod spernit Heinsius, quia in versu sequenti *pectora* legitur; mallet ex Oxon. quarto Mediceo, et quatuor aliis, *corpore.*—Regius noster A, *pectore.... pectora;* et B, *pectore... corpora*, et in margine *pectora.* Melior forsan lectio quam probat Heinsius. *Ed.*

445. *Sed tamen et gaudet.* Secundus Mediceus *gaudent;* Unus *flet tamen et gaudet;* Heinsius conjicit *Flens tamen, et gaudet : tanta est discordia menti.*— Regii nostri habent receptam.— *Triones.* Florentinus S. Marci *Trionem;* vide ad I, 64.— Regii nostri ambo *Triones.* — *Plaustrum.... Bootes.*— *De Boote* ejusque *plaustro* vide ad II, 176. Is ubi media nocte culmen cœli attigit, et inde vergere incipit, *flectit plaustrum*, quod tunc *obliquum temonem* habet; Lucanus, II, 237, *Parrhasis obliquos Helice quum verteret axes;* infra XI, 257, *inclinato temone :* contra equi solis surgunt *elato temone* apud Claudianum, Olybr. Cons. 4. Jam antiquissimi poetæ a siderum septemtrionalium culminatione mediam noctem designarunt; vide Heynii Excursum, II, ad Æn. II; et Broukh. ad Propertium, I, eleg. xvi, 23.

448. *Ad facinus venit.* Egregie hæc finxit rei turpitudinis declarandæ causa. Luna et sidera se abscondebant, ne offenderentur adspectu tam nefarii facinoris, et ut res tam atrox in densissimis tenebris perpetraretur. — *Fugit cælo*, tegitur nubibus, ut non cernatur, ut fugisse videatur; Virgilius, Georg. I, 441, *sol*

Luna; tegunt nigræ latitantia sidera nubes;
Nox caret igne suo : primos tegis, Icare, vultus;
Erigoneque pio sacrata parentis amore.
Ter pedis offensi signo est revocata : ter omen
Funereus bubo letali carmine fecit.
It tamen; et tenebræ minuunt, noxque atra pudorem;
Nutricisque manum læva tenet; altera motu
Cæcum iter explorat : thalami jam limina tangit;
Jamque fores aperit; jam ducitur intus : at illi

conditus in nubem medio refugit orbe. —*Suo*, nocti proprio et usitato. Sic Virgilius, Georg. IV, 190, de apibus, *sopor suus.*—*Primos tegis, Icare, vultus.* Vulgo *primus.*— Regii nostri *primos.*—Commode *Icarum* præ pudore se abscondentem inducit, cujus filia *Erigone* pia satis in patrem fuerat. Nempe *Icaro* (quem alii Icarium appellant; vide Munker. ad Hyginum, fab. 130) a pastoribus Atticis, quos ebrios fecerat, interfecto, Erigone adeo doluit patris mortem, ut super corpus ejus in arbore suspendio vitam finiret. Deorum voluntate ambo inter sidera relati sunt. Erigone signum Virginis, Icarus Bootes in sideribus est dictus. Hygin. dicto loco, et P. A. II, 4 : et ab eodem fab. 254, Erigone inter mulieres piissimas refertur : confer. Tibullus IV, I, 9 sqq. — *Sacrata*, inter sidera relata; vide ad IX, 88.—*Pio amore*, propter pium amorem.

452. *Ter pedis offensi* etc. Neque infaustis ominibus, iisque ter repetitis, a conatu suo deterreri potuit. *Offensio pedis in limine* maxime sinistrum *signum*, id est, omen, apud Veteres; videatur Tibul. I, III, 19, et Noster I Trist. III, 55; Amor. I, XII, 4. Tertium demum omen priora firmabat; Heroid. IV, 7 sq. Hinc etiam superstitiosi ter sortilegorum sortes tollere solebant; Tibullus, I, III, 11.—De *bubone* vide ad V, 543. Nostris dicitur *der Schuhu*, estque e genere strigum, de quibus ad VII, 269, diximus.—*Carmen letale*, cantus lugubris malum exitum præsagiens. —Pro *fecit* Thuani codex habet *dixit.* —Regii nostri *fecit* : *facere* de ominibus et sacris verbum proprium. *Ed.*

454. *Et tenebræ minuunt.* Heinsius conjicit *ut tenebræ* etc. Menardi codex *et tenebris minuit nox atra pudorem.* — Regii nostri nihil mutant, nisi quod τὸ *que* post *nox* vacat in codice B.—*Minuunt pudorem*, quia non verendum erat, ut animadverterentur a quopiam.

455. *Nutricisque manum* etc. Hic locus ingeniose scriptus, ita ut virginem palpantem in tenebris et cum tremore accedentem ad patris lectum veluti oculis cernamus.—*Motu cæcum iter explorat*, Novem *tactu* : egregie *motu* dextræ *cæcum iter explorat. Cæcum iter*, via, qua incedebat in tenebris, quam cernere adeo nequibat. Hanc *motu* dextræ *explorat*, palpat manu, an obstet aliquid, quo offendatur. Expressit autem Tibul. II, I, 76 sqq : « Ad juvenem » tenebris sola puella venit, Et pe» dibus prætentat iter, suspensa ti-

Poplite succiduo genua intremuere; fugitque
Et color, et sanguis, animusque relinquit euntem.
Quoque suo propior sceleri, magis horret, et ausi
Pœnitet, et vellet non cognita posse reverti.
Cunctantem longæva manu deducit; et alto
Admotam lecto quum traderet, « Accipe, dixit;
» Ista tua est, Cinyra : » devotaque corpora junxit.
Accipit obscæno genitor sua viscera lecto;
Virgineosque metus levat, hortaturque timentem.
Forsitan ætatis quoque nomine, Filia, dicat;
Dicat et illa, Pater, sceleri ne nomina desint.
Plena patris thalamis excedit; et impia diro
Semina fert utero; conceptaque crimina portat.
Postera nox facinus geminat; nec finis in illa est.

» more, Explorat cæcas cui manus » ante vias. » Virgilius, Mor. 6, *Sollicitaque manu tenebras explorat;* confer et Cirin, 209 sqq. Mox singulas ejus actiones recenset, *limina tangit* etc.— Iis, quibus animus linquitur, aut qui tremunt, suavi imagine tribuitur *poples succiduus*, id est, labans; *poples defectus*, id est, deficiens, XIII, 477.—*Genua intremuere.* Fragm. Cæsen. *genua tremuere.*—Regii nostri habent *intremuere.* Nulla auctoritas defendit aliam lectionem. *Ed.*—*Relinquit.* Regii nostri *reliquit:* male, propter *fugit.* Ed.

462. *Cunctantem longæva manu.* Nutrix, quoniam videbat, si virgo frustra esset reversa, mox rediturum furorem, ipsa cunctantem deducit. — *Altus* erat lectus magnificentiæ causa. — *Junxit*, fecit ut jungerentur.

465. *Obscænus*, in quo res obscena agitur. — *Viscera.* Tibullus, I, VI, 66, *nata sanguis est tuus.*

467. *Filia dicat : dicat et illa.* Hæc pro *dixit* in utroque loco Heinsius recte prætulit ex castigatioribus; Regius noster B habet *dixit* in margine, quod certe est pro glossa. *Ed.* —*Sceleri ne nomina desint*, ut ipsi nominibus utantur, quibus scelus indicetur. — *Plena patris*, plena seminis paterni.—Plautus, Amphytr. *Sed quum te gravidam, et pulchre plenam adspicio, gaudeo.* Noster, XI, 265, *ingentique implet Achille.* Ed.— *Thalamis*; tertius Bononiensis *thalamos*; et pro *excedit*, octo *discedit.* — Regii nostri *thalamis excedit.* — *Crimina.* Regius et Junian. *semina* repetunt; Burmannus conjicit *Crimina fert utero*, *conceptaque semina portat.*—Regius noster A habet quoque *conceptaque semina portat*; si in loco posteriori *semina* relinquatur, non ingrata est Burmanni conjectura; sed lectio recepta magis poetica videtur, quare nihil mutandum arbitror. *Ed.*—*Concepta crimina*, fœtum per crimen conceptum; III, 268, *manifesta crimina pleno fert utero.*

Quum tandem Cinyras, avidus cognoscere amantem
Post tot concubitus, illato lumine vidit
Et scelus, et natam; verbisque dolore retentis,
Pendenti nitidum vagina deripit ensem.
Myrrha fugit, tenebris et cæcæ munere noctis
Intercepta neci; latosque vagata per agros,
Palmiferos Arabas, Panchæaque rura relinquit,
Perque novem erravit redeuntis cornua lunæ;
Quum tandem terra requievit fessa Sabæa;
Vixque uteri portabat onus: tum nescia voti,
Atque inter mortisque metus, et tædia vitæ,
Est tales exorsa preces: « O, si qua patetis
» Numina confessis, merui, nec triste recuso
» Supplicium: sed, ne violem vivosque superstes,
» Mortuaque exstinctos, ambobus pellite regnis:

473. *Illato lumine.* Quatuor *allato lumine*: sed *inferre lumen* phrasin propriam esse probat Burmannus. —Regii nostri dant *illato.*—*Vagina deripit ensem.* Tres *liberat ensem*; ut VI, 551; et Fast. II, 793. — Codex Regius A, *diripit*; codex B, *deripit.*

476. *Munere*, beneficio, ope. — *Intercepta* melius quam erepta; vide ad VIII, 291.—Regii nostri habent *Intercepta neci est*; jampridem monuimus recentiores omittere sæpius τὸ *est*, et quidem sine necessitate, ac trunco sensu, sive quod eis videatur inutile, sive potius quod primi editores illud in codicibus non legerint, quum sit fere semper summatim indicatum variis compendiorum lineolis. *Ed.* — *Palmiferos Arabas.* Apud quos multæ palmæ nascuntur. *Ed.*—*Panchæa* etc. Si, relicta Panchæa, novem menses erravit, et tandem inter *Sabæos* requievit, quo modo supra vers. 309, Panchæa dici potuit hanc arborem protulisse? Nonnulli Veterum *Panchæam* faciebant *Sabææ* (hodie *Yemen*) partem. Ita dicendum esset, Myrrham post longos errores rediisse in patriam. Glareanus ad superiorem locum monet, in fabulis, tot diversis modis proditis, frustra exactam temporis et locorum rationem quæri. Petitus illum locum mutatum volebat; vide ibi Varr. lect.

476. *Redeuntis lunæ.* Septem *radiantis lunæ*; *redire* passim de sole, luna, sideribus, anno, die; vide Heinsium et Burmannum.—Nostri Regii *redeuntis*: male *radiantis*, nam luna mutuatur *radios* a sole. *Ed.*

481. *Nescia voti*, nesciens, quid optet.—*Patere* eleganter dicuntur qui alios facile exaudiunt, metaphora petita a locis, ad quæ facilis est accessus.

486. *Ambobus regnis*, vivorum

» Mutatæque mihi vitamque necemque negate. »
Numen confessis aliquod patet : ultima certe
Vota suos habuere Deos ; nam crura loquentis
Terra supervenit ; ruptosque obliqua per ungues
Porrigitur radix, longi firmamina trunci :
Ossaque robur agunt ; mediaque manente medulla,
Sanguis it in succos, in magnos brachia ramos,
In parvos digiti : duratur cortice pellis.
Jamque gravem crescens uterum perstrinxerat arbor,
Pectoraque obruerat, collumque operire parabat.
Non tulit illa moram ; venientique obvia ligno

scil. et mortuorum, nec vivere me sinite, nec mori : etiam apud Anton. Liber. εὔχεται μήτε παρὰ ζῶσι, μήτ' ἐν νεκροῖς φανῆναι. — *Mutatæque mihi* etc. Hic versus abest in Mediceo. —Sublato hoc versu, sensus hæret, nec bene intelliguntur quæ præcedunt, *ambobus pellite regnis* ; recte igitur eum habent nostri Regii. *Ed.*

489. *Suos*, propitios, *habuere Deos*, exaudita sunt a Diis ; sic et IV, 373, pro quo IV, 164, *Vota tetigere Deos* : Tibul. III, III, 28, *non meus Deus* est inimicus, iratus : Virgilius, Æn. II, 396, *haud numine nostro*, nobis non propitio : Cic. Quint. 7, *Alphenus utebatur populo suo*, sibi propitio ; Ernesti Clav. Cic. putat e ludis gladiatoriis hoc sumtum.—*Crura loquentis*. Quinque, *plura loquenti* : Leidensis *non plura loquentis*, quod probat Burmannus, si *loquenti* legatur ; ita enim *plura loqui* Nostrum dixisse, ut I, 525 et 658 et alibi. — Regii nostri *crura loquentis*.—*Crura terra supervenit*, terra repente retinuit et alligavit pedes. Confer cum seqq similes puellarum in arbores mutationes, I, 548-52 ; II, 347-65 ; IX, 351-93 ; unde intelliges, etiam in simillimis rebus suaviter variare fœcundum Ovidii ingenium. — *Firmamina*, qua continentur trunci, ut loquitur Cic. Nat. Deor. II, 47 : *firmamen*, pro firmamentum, fulcrum, quia Noster amat nomina in *amen* desinentia. — *Obliqua*, *porrigitur*, *longi*, pingunt.

492. *Robur agunt*, in lignum robustum, durum mutantur.

494. *Duratur cortice*. Prior Gronovii *curvatur*. Si voci sua constaret auctoritas, Heinsius legeret *rugatur*, ut passim *rugosus cortex*. — Regii nostri *duratur*. — *Duratur cortice*, in durum corticem mutatur.

495. *Perstrinxerat*. Vulgo (et nostris Regiis) *præcinxerat* ; alii *præstrinxerat*, aut *constrinxerat*.—*Pectoraque obruerat*. Heinsius suadet *pectoraque obsuerat*, id est, occluserat, operuerat ; *obruit* enim *cortice* paulo durius dictum judicat : de quo videatur ipse ad Fast. II, 578. Burmannus dubitat an *obsuere* hoc sensu Ovidius scribere potuerit : si quid mutandum mallet *induerat*. — Regii nostri *obruerat*. — Hoc verbum non debebat tentari ; *obruere*, tegere, condere, sepelire.

497. *Veniens lignum*, eleganter ; et ingeniose *obvia subsedit*, ut obvia

Subsedit, mersitque suos in cortice vultus.
Quæ, quanquam amisit veteres cum corpore sensus,
Flet tamen, et tepidæ manant ex arbore guttæ.
Est honor et lacrymis; stillataque cortice Myrrha
Nomen herile tenet, nullique tacebitur ævo.
VIII. At male conceptus sub robore creverat infans,
Quærebatque viam, qua se, genetrice relicta,
Exsereret: media gravidus tumet arbore venter:
Tendit onus matrem; nec habent sua verba dolores;
Nec Lucina potest parientis voce vocari.

veniret venienti ligno, omnis moræ impatiens.

499. *Cum corpore*. Duo *de corpore*; quatuor, in *corpore*. — Nostri Regii *cum corpore*.—*Flet tamen* etc. Etiam Lucretius, I, 350, *flere* de succis destillantibus dixit, *uberibus flent omnia guttis*.—*Myrrha* frutex in multis Arabiæ locis nascitur, ex quo inciso guttæ manant, quæ in odoratissimis et pretiosissimis unguentis habentur; Plinius, XII, 15; Dioscor. I, 64 et 69; Noster Art. Amat. I, 287: *Illius et lacrymis, quas arbore fundit odora, Unguimur; et dominæ nomina gutta tenet*.—*Nullique tacebitur ævo* ex uno Strozzæ dedit Heinsius pro *nulloque* etc.—Regii nostri *nulloque*, sed multo elegantior lectio Heinsiana. *Ed.*—Hanc fabulam ita interpretatur Fulgentius, Mythol. III, 8: « Myrrha genus est arboris, » de qua succus ipse exsudat: hæc » patrem amasse dicitur. Istæ enim » arbores in India sunt, quæ Solis » caloribus crementantur. » (Munkerus legit, *crenantur*, id est, inciduntur; *crena* enim, κρήνη, incisura): « Et quia patrem omnium re» rum Solem esse dicebant, cujus » opitulatu cuncta germinum ado» lescit maturitas, ideo et patrem » amasse dicitur: dumque grandio» ris jam fuerit roboris, Solis ardo» ribus crepans, rhagades (fissuras) » efficit, per quas succum desudat, » quod myrrha dicitur: et redolen» tibus lacrymosa guttulis, fletus » suaves scissuris hiantibus jacula» tur. Unde et Adonem genuisse » fertur. »

503–739. *Adonis*, ex hoc incesto concubitu natus, propter pulchritudinem amatur a Venere, quæ eum a sævarum ferarum venatione deterret, in primis exemplo Hippomenis et Atalantæ, quorum fata versibus 560–707 copiose narrantur. Adonis quum iis monitis non moveretur, ab apro percussus perit, sed a Venere mutatur in florem purpureum. Apollodorus, III, xiv, 4; Tzetzes in Lycophr. p. 133; Hyginus, fab. 248–271: eumdem mythum Hesiodus et Panyasis, ab Apollodoro laudati, retulerant. Ille Adonin Phœnicis et Alphesibœæ, hic Thiantis, Assyriorum regis, filium fecerat.—*Male*, nefario concubitu. Sed partus prodigiosus. Sed et Apollodorus δεκαμηνιαίῳ δὲ ὕστερον χρόνῳ, τοῦ δένδρου ῥαγέντος, γεννηθῆναι τὸν λεγόμενον Ἄδωνιν. — *Exsereret*. Hic mire variant MSS; unus *eximeret*, alter *exiret*,

Nitenti tamen est similis, curvataque crebros
Dat gemitus arbor, lacrymisque cadentibus humet.
Constitit ad ramos mitis Lucina dolentes,
Admovitque manus, et verba puerpera dixit.
Arbor agit rimas, et fissa cortice vivum
Reddit onus, vagitque puer; quem mollibus herbis
Naides impositum lacrymis unxere parentis:
Laudaret faciem livor quoque; qualia namque
Corpora nudorum tabula pinguntur Amorum,
Talis erat: sed, ne faciat discrimina cultus,

unus *exueret*, denique *extraheret* alius.—Regii nostri in *exereret* consentiunt, quod verbum est proprium, aliæ lectiones glossæ videntur. *Ed.* — Vividis coloribus mulier parturiens describitur. *Tendit*, extendit; Amor. II, XIII, 20, *latens corpora tendit onus*; alia loca collegit Burmannus — *Tendit onus matrem.* Neapolitanus, Strozzæ, Basileensis *Tendit onus ventrem:* in eodem versu Arundelian. habet *labores.* — Regii nostri *Tendit onus ventrem...dolores.* — Arbor illa nec *ventrem*, nec *dolores* habere poterat, quia vers. 499, cum corpore sensus amisisse dicitur. Rectius lacrymantem fingere potuit propter vers. 500. — *Parientis voce vocari.* Duo *parientis ab ore*; unus *more vocari*; quidam *voce rogari*, ut versu 3; quem locum vide.—Regii nostri *voce vocari.*

508. *Crebros dat gemitus.* Florentinus S. Marci *spissos dat gemitus*, pro diversa lectione; quod exemplis ab hoc loco alienis illustrare vult Heinsius.—Regii nostri *crebros*; et in eodem versu legunt *Nitenti similis tamen est.*

510. *Constitit... Lucina* etc. Apud Hyginum, fab. 164, et Fulgentium, III, 8, pater gladio ferit arborem, et sic prodit Adonis. Apud Antoninum mater abortum facit, et Thias pater se interficit.—*Mitis*, quia sua sponte, non vocata, adest laboranti: alibi *lenis* Lucina.—*Ad ramos*, ad arborem. — *Ad ramos..dolentes.* Multi *dolentis* quod ad Myrrham referretur.—Codex Regius B, *dolentes*; in Codice A scriptura est vetustate deleta.—*Puerpera*, quæ adjuvant puerperium: contra IX, 301, carminibus partus Alcmenæ retinebatur.

512. *Fissa cortice.* Plerique *fisso*; sed vide Heinsium ad IV, 375.— Codex Regius A, *fisso*; Codex B, *fissa* cum *o* superscripto.

515. *Laudaret* etc. De hoc proverbio vide ad VI, 129: confer III ex Pont. I, 82, *Nec te si cupiat lædere, livor habet.* — *Pinguntur.* Quintus Palatinus *scribuntur*; unus Heinsii *panguntur.* Burman. præfert, quod Francofurtensis MS habet, *ponuntur*, cujus glossæ *pinguntur* et reliquæ varietates sint, quia ponere exquisite non modo de statuariis, sed etiam de pictoribus occurrit, ut apud Horatium, Od. IV, VIII: confer XII, 398. — Regii nostri bene habent *pinguntur.* Ed. — *Ne faciat.* Unus Leidensis *ne faciant.* — Regii nostri *faciat.*

Aut huic adde leves, aut illis deme pharetras.
Labitur occulte, fallitque volatilis ætas;
Et nihil est annis velocius : ille sorore
Natus, avoque suo, qui conditus arbore nuper,
Nuper erat genitus; modo formosissimus infans;
Jam juvenis; jam vir; jam se formosior ipso est:
Jam placet et Veneri, matrisque ulciscitur ignes.
Namque pharetratus dum dat puer oscula matri,
Inscius exstanti destrinxit arundine pectus.
Læsa manu natum Dea reppulit, altius actum

519. *Labitur occulte*, etc. Infans natus sensim adolevit; sed hoc ornate et verbis exquisitis expressit.— *Volatilis*, sex *volubilis*.— Regii codices *volatilis*. — Et hoc eleganter; scilicet pueritia quæ celeriter transit. — *Fallit*, præterlabitur, ut non sentiatur : *fallere* de omnibus iis, quæ ita fiunt, ut non animadvertantur. Sic *decipere diem* IV Trist. x, 114, eum ita transigere, ut non sentiantur ejus molestiæ. Eodem nunc redit *occulte*. Sic et Lucret. I, 314; Horat. I, Od. xii, 45, *Crescit occulto velut arbor ævo Fama Marcelli.* — *Labi* de celeri decursu ætatis. Art. III, 65, *cito pede labitur ætas*; Amor. I, viii, 49, *Labitur occulte, fallitque volubilis ætas, Ut celer admissis labitur amnis aquis.* Confer VI Fast. 771, *Tempora labuntur, tacitisque senescimus annis*; Tibul. I, viii, 48; *non tardo labitur* ætas *pede.*

520. *Et nihil est annis velocius.* Velocitatem illam egregie expressit tam cumulatione et repetitione vocum *nuper*, *modo*, *jam*, quam tota orationis forma. Ingeniose, *sorore*, *natus*, *avoque*. Nempe confusione illa nominum usus est, de qua vid. vers. 346. — *Modo* nunc est, paulo post; neque enim solum de tempore vix elapso occurrit. — *Formosior ipso.* Sex *ipse.* — Regii nostri *ipso.* — *Se formosior ipso*, in virili ætate formosior erat, quam in infantia. Etiam ab Hygino, fab. 171, refertur inter formosissimos, quos tulit antiquitas. — *Matris ulciscitur ignes* : vide ad vers. 311; Hyginus, fab. 58, *qui* (Adonis) *matris pœnas a Venere est insecutus.* Lactantius, Arg. *quem Venus non minus dilexit, quam puella patrem Cinyram dilexerat, beneficio Cupidinis.*

526. *Destrinxit* meliores; vulgo *distrinxit*; Leidensis *perstrinxit.* — *Altius.* Codex Regius A, *autius*: quod mendum forsan a pronuntiatione scriptoris irrepsit; in pluribus enim Galliæ provinciis syllaba *al* in *au* corrupte mutata est, unde verbi gratia *Vaugirard*, pro *Valgirard* dictum fuit, ut mille aliis modis in plerisque provinciis. Porro qui, dictante librario, adsidebant mensæ ut scriberent, non mirum est eos pronuntiationem in sua quisque provincia usitatam intrusisse; quod non semel, sed sexcenties codices manuscriptos perlegentibus animadvertendum fuit. *Ed.*

Vulnus erat specie, primoque fefellerat ipsam.
Capta viri forma non jam Cythereia curat
Litora; non alto repetit Paphon æquore cinctam,
Piscosamque Gnidon, gravidamve Amathunta metalli.
Abstinet et cælo: cælo præfertur Adonis:
Hunc tenet; huic comes est; adsuetaque semper in umbra
Indulgere sibi, formamque augere colendo,
Per juga, per silvas, dumosaque saxa vagatur
Nuda genu, vestem ritu succincta Dianæ;
Hortaturque canes; tutæque animalia prædæ,

529. *Non jam Cythereia curat Litora.* Dii, ubi potissimum coluntur, habitare dicuntur et quum aliorsum se transferunt, *spernere* (Horat. I, Od. xxx, 2), *non curare, relinquere* illa loca. Veneri sacra *Cythera*, una ex Cycladibus.—*Paphos æquore cincta*, quam Πάφον περιῤῥύταν dixit Alcman in H. Sthephani Lyric. p. 628.—*Gnidus* urbs Doridis, et *Amathus*, de cujus metallifodinis vide ad vers. 220. — *Gravidam metalli* pro *gravidam metallis* ex Genevensi recepit Heinsius, quia apud Silium, libro II, *Mellis apes gravidæ*. — Codex Regius A, *metallis*; Codex B, *metalli.*—Mox suaviter additum, *cælo præfertur Adonis*; Heroid. IV, 36, *Hippolytum videar præpositura Jovi.* *Tenet*, non dimittit a se.

533. *Adsuetaque semper in umbra.* Tres *in herba*; et pro *indulgere sibi*, Thuanus *indulgere rosa* pro *rosæ*. — Regii nostri *in umbra indulgere sibi.* —Alio etiam studio trahitur. De tali obsequio vide ad vers. 171; adde Heroid. IV, 37 sqq; Tibullum, IV, 3. Olim molli vitæ *adsueta* erat, nunc durum venatum amat. Mollium hominum est, *indulgere sibi*, obsequi cupiditati suæ, totumque esse in cultu corporis. Quomodo Venus colendo formam augeat, suaviter docet Claudianus, Nupt. Honor. 99 sqq. — *Colere*, ornare, ut Art. Amat. III, 225, *dum coleris*; Curtius VIII, IX, 21, *lacertos auro colunt.*—*Augere*, conspiciendam magis, pulchriorem reddere, ut I, 530.

535. *Dumosa saxa.* Tres, *clivosaque saxa*; unus *clivosaque rura.* — Regii nostri *dumosaque saxa*; sed Codex B in margine addit, *vel clivosa.*—Supra IV, 777, exquisitius, *silvis horrentia saxa fragosis*: conf. Plinius, paneg. 81, ubi similiter molestiæ venatus describuntur.—*Nuda genu* erant venatrices. Sed e Virgilio, Æneid. I, 319, hoc translatum in h. l. putat Heinsius. Imo verisimilius est Nostrum expressisse illum locum. MSS tamen hic valde variant, et quum plures habeant *Fine genu*, *Fune genu*, *Pene genu* (Regius noster B habet *Fine genu*), Heinsius scribendum censet, *Fine genus*, ut *genus* sit secundus casus vel a *genu*, vel ab antiqua forma *genus*, quod utrumque exemplis allatis comprobat. *Fine* autem *genus* sive *genuum* dictum esse, ut apud Avien. in Arat. *fine manus*; apud Nemesian. Cyneg. *costarum sub fine*; Claudianum Gigant. 79, *femorum fine* etc.—*Horta-*

Aut pronos lepores, aut celsum in cornua cervum,
Aut agitat damas : a fortibus abstinet apris;
Raptoresque lupos, armatosque unguibus ursos
Vitat, et armenti saturatos cæde leones.
Te quoque, ut hos timeas, si quid prodesse monendo
Possit, Adoni, monet : « Fortisque fugacibus esto,
» Inquit : in audaces non est audacia tuta.
» Parce meo, juvenis, temerarius esse periclo :
» Neve feras, quibus arma dedit Natura, lacesse,
» Stet mihi ne magno tua gloria : non movet ætas,
» Nec facies, nec quæ Venerem movere, leones,
» Setigerosque sues, oculosque animosque ferarum :
» Fulmen habent acres in aduncis dentibus apri;

tur canes vide ad III, 242.—*Præda,* fera capta, ut III, 225, ubi vide notam : *animalia tutæ prædæ,* quæ *tuto,* sine periculo, capiuntur. — *Pronos lepores.* Tres *parvos lepores.* Heinsius malebat *pavidos.*— Regii nostri *pronos.*—*Pronos,* veloces, pernices. Etiam Remed. 201, *pronum leporem;* Horatius Art. Poet. 160, *proni anni,* et IV, Od. VI, 39, *proni menses,* celeriter præterlabentes. Metaphora petita a pronis rivis, qui rapido cursu feruntur.—*Celsum in cornua* elegantius, quam *celsis cornibus;* Virg. Æneid. X, 725, *surgens in cornua cervus.* — *A fortibus.* Quidam *aut,* vel *sed,* vel *et fortibus;* Heinsius malebat *at fortibus,* quod probat Burmannus. — Regii codices *a fortibus.*

540. *Raptores lupi* e Virg. Æn. II, 355; et Telesinus apud Velleium, II, XXVII, 2, Romanos vocat *raptores Italicæ libertatis lupos.* — *Saturatos cæde.* Mediceus et Langerman. *saturos e cæde.*—Regii nostri habent *saturatos.* — *Saturatos,* qui saturari solent, saturandos, de quo usu participiorum præteritorum vide Brouk. ad Propertium, II, x, 49. *Saturati* enim (ex usitata hujus participii notione) leones minus timendi sunt. Hinc Virgilius, Æn. X, 274, *Impastus leo.*—*Fortisque* etc. Conf. Propert. II, xv, 21; Plin. d. l. *certare cum fugacibus feris cursu, cum audacibus robore.* — *Non est audacia tuta.* Heinsius conjicit *tutum,* ne nimis sit pedester sermo : comparat *Triste lupus stabulis* et *Turpe senex miles.* — Regii codices *audacia tuta.*

545. *Parce esse,* noli esse, ut Virgilius, Æn. III, 42, *parce scelerare manus,* et passim.—*Magno.* Gronovianus et tres alii *ne damno.*—Regii nostri *magno :* et mox pro *movet.* Codex B, errore manifesto, *monet.* — *Magno* aut *haud parvo* (Virgil. Æn. X, 494) *stare* dicuntur quæ magnum nobis damnum adferunt; VI, 487, *stabunt tibi tua fœdera magno;* Heroid. VII, 47, *odia constantia magno.*

548. *Venerem* satis venuste et cum vi dictum, pro *me.*

550. *In aduncis dentibus.* Plerique vetustiores *et aduncis;* Heinsius sua-

» Impetus est fulvis, et vasta leonibus ira;
» Invisumque mihi genus est. » Quæ causa, roganti,
« Dicam, ait; et veteris monstrum mirabere culpæ.
» Sed labor insolitus jam me lassavit; et ecce
» Opportuna sua blanditur populus umbra;
» Datque torum cespes: libet hac requiescere tecum,
» (Et requievit), humo: » pressitque et gramen, et ipsum;
Inque sinu juvenis, posita cervice, reclinis
Sic ait; ac mediis interserit oscula verbis:
 « Forsitan audieris aliquam certamine cursus
Veloces superasse viros: non fabula rumor

det *præaduncis dentibus*, ut VII, 131, *præacutæ hastæ*.—Regii nostri Codices *in aduncis*. — Supra I, 305, apro tribuuntur *vires fulminis*; VIII, 289, *fulmen ab ore* apri *venit*; XI, 368, *rictus* lupi *fulminei*; Rutil. I, 625, *terribilis fulmine dentis aper*. — *Acres*, feri, iracundi; Fast. IV, 215, *acres leones*; Phædrus, III, VII, 18, *acer canis*. — *Impetus* feris tribuitur; Phædrus, III, II, 14, de panthera, *sævit irato impetu*.

553. *Dicam, ait*. Heinsius malit *Disce, ait*.—*Monstrum*, miram *pœnam*. — *Mirabere*; vulgo *mirabile*. —Regii Codices *mirabere*, quod habent Thuan. primus Mediceus, primus Vaticanus et primus Moreti, aliique complures; nec causa est cur hanc lectionem mutaverint recentiores. *Ed.*

555. *Blanditur populus umbra*. Sub *populo* non solum convivari, sed etiam requiescere, confabulari, amare solebant: *blanditur*, grata sua umbra nos invitat.—*Pressit gramen et ipsum* eleganter, sedit in gramine et juxta Adonidem, ut ipsum attingeret, ut solent amantes. Heroid. IV, 97, Phædra Hippolytum hoc ipso Veneris et Adonidis exemplo adhortatur, ut quiescat subinde a venatu: *Sæpe sub ilicibus Venerem Cinyraque creatum Sustinuit positos quælibet herba duos*.—*Renidens*. Nota est Venus φιλομειδὴς Homeri, et ἡδὺ γελοιήσασα; vide Heinsium qui *renidens* ex Florentino S. Marci recepit, quum cæteri habeant vel *reclivis* vel *reclinis*, quod gratam satis imaginem exhibet: *reclinis*, qui tergo se inclinat ad aliquid; vide Interpretes ad Silium, V, 470. Sic os Adonidis, quocum loquebatur, intueri potuit reclinis Venus. Hoc igitur revocavi. Venus *acclinis florum cumulo* est apud Claudianum, XXXI, 4. — *Interserit oscula verbis*. Multi *oscula labris*. — Codex Regius A *verbis*; Codex B *labris*.

560-707. *Atalantas* duas habuit antiquitas: vide ad VIII, 317. Nunc intelligenda Bœotica, Schœnei filia (vide vers. 609) quam Noster minime, ut alii auctores, cum Arcadica confudit. Ei cursu superanti velocissimos viros antevertit Hippomenes, pomis jactis retardans ejus impetum; hinc ex fœdere eam duxit uxorem. Sed quum gratias ageret

Ille fuit; superabat enim : nec dicere posses,
Laude pedum, formæne bono præstantior esset.
Scitanti Deus huic de conjuge; « Conjuge, dixit,
» Nil opus est, Atalanta, tibi; fuge conjugis usum :
» Nec tamen effugies, teque ipsa viva carebis. »
Territa sorte Dei per opacas innuba silvas
Vivit, et instantem turbam violenta procorum

nullas Veneri, quam adjutricem habuerat in certamine, illa ambos ita irritavit, ut in luco Matris Deum concumberent; idque ob facinus mutati sunt in leones. Conf. Hygin. fab. 185; Apollodorus, III, IX, 2; Palæphatus, cap. 14; Schol. Theocriti ad III, 40; Schol. Apollonii ad I, 769; Servius ad Virgilium, Æn. III, 113; Tzetzes Chil. XIII, 453; Heraclitus, de Incred. cap. 12. Breviter fabulam Theocritus, Id. III, 40 sqq, attigit. Tractaverat, ut ex Apollodoro patet, etiam Euripides. Hoc loco Venus ipsa, cujus magna pars in ea re fuerat, facunde eam et ordine narrat. — *Non fabula rumor ille fuit*; sic *fabulæ manes* apud Horatium, I, Od. IV, 16 : non est hæc fictio ad delectandum comparata; sed rumor, immo fama constans et certa. Confunditur tamen hæc fabula; quum enim duæ Atalantæ fuerint, Tzetzes, Palæphatus, et alii tribuunt hoc filiæ Jasii, quod erat filiæ Schœnei : Milanioni item, quod erat Hippomenis. *Ed.*

562. *Nec dicere posses*. Unus Mediceus *nec dicere promptum est*. quod Burmanno videtur ex XIII, 10, sumtum. — Regii nostri Codices, *nec dicere possis*. — *Laude pedum, formæne* etc. Hac duplici laude etiam secundum alios insignis erat : et inde pendet tota fabula. *Pedibus*, id est, cursu excellere summa *laus* apud Græcos; Homerus, Od. Θ, 147. Satis concinne *laus pedum* et *formæ bonum* sibi opponuntur. Non igitur præferendum ex multis MSS *formane bona*. Formam sæpe *bonum* dici, docet Burmannus : *pedes* pro cursu solemne.

564. *Scitanti*. Menard. codex *quærenti*; Vossianus *scrutanti*. — Regii nostri *scitanti*; etsi *quærenti* videatur glossa, tamen Virgilius, Georg. IV, 449, dixit *Venimus hinc lapsis quæsitum oracula rebus* : sed idem, Æneid. II, 114, *Euryalum scitatum oracula Phœbi Mittimus*. Ed. — *Scitanti*, oracula consulenti. Verbum proprium in hac re, monente Burmanno. De hoc oraculo cæteri nihil habent : Apollodorus παρθένον ἑαυτὴν ἐφύλαττε καὶ θηρεύουσα ἐν ἐρημίᾳ διετέλει, et postea, patre impellente, prodit in stadium. — *De conjuge; Conjuge*; sollemnis et grata Ovidio ejusdem vocis repetitio. — *Usus conjugis*; concubitus; Remed. Amor. 357, *Veneris usus*. — *Nec tamen*. Unus *Vix tamen*. — *Teque ipsa viva carebis*. Obscure, more oraculorum, transformationem ejus vaticinatur : *te ipsa carebis*, non eris ea, quæ nunc es, carebis animi corporisque bonis, quibus nunc frueris.

567. *Per silvas* melius, quam, in silvis : *per* enim eleganter ponitur, ubi aut de hominibus sparsis, diffusis, sermo est (IV, 405, *latitant*

Conditione fugat : « Nec sum potiunda, nisi, inquit,
« Victa prius cursu : pedibus contendite mecum :
» Præmia veloci conjux thalamique dabuntur ;
» Mors pretium tardis : ea lex certaminis esto. »
Illa quidem immitis ; sed, tanta potentia formæ est !
Venit ad hanc legem temeraria turba procorum.
Sederat Hippomenes cursus spectator iniqui :
Et, « Petitur cuiquam per tanta pericula conjux ! »
Dixerat ; ac nimios juvenum damnarat amores.
Ut faciem, et posito corpus velamine vidit,
Quale meum, vel quale tuum, si femina fias ;
Obstupuit : tollensque manus, « Ignoscite, dixit,
» Quos modo culpavi : nondum mihi præmia nota,
» Quæ peteretis, erant. » Laudando concipit ignem ;
Et, ne quis juvenum currat velocius, optat,
Invidiaque timet. « Sed cur certaminis hujus

per tecta sorores), aut de vagantibus huc et illuc, ut hoc loco. — *Vivit.* Mediceus *Ibat*, quod latinius putat Burmannus. — Regii nostri *Vivit.* — *Violenta*; Tanaq. Faber corrigebat *violente*, quia perperam *violenta* cum *conditione* jungebat ; sed Burmannus defendit lectionem codicum et mittit lectorem ad Velleium, II, 3, ubi *conditione* vel *conditionibus* simpliciter dici docte probat. *Ed.* — *Violenta*, sæva, quæ crudelissimam conditionem proponit. — *Pretium* passim est præmium, ut IX, 47 ; sed h. l. malo sensu, pœna, ut *premium* VIII, 503 et Phædr. IV, fab. XVII, 30. — *Legem* illam secundum Hyginum, pater constituit. Vide ad vers. 599.

573. *Tanta potentia formæ*. Etiam Art. Amat. III, 258, et Propertium, III, XVIII, 7, *forma potens*. — *Ad hanc legem*, ad certamen, in quo tam dura lex proposita ; hinc mox *cursus iniquus*.

575. *Sederat*. Quatuor *venerat*, sed mala repetitio ex versu præcedenti ; Regii nostri *sederat*. — *Hippomenes* vocatur etiam ab Eurypide, Theocrito, et Hygino : sed a Schol. Apollonii *Hippomedon* vocatur ; ab aliis, ut ab Apollodoro, *Melanion*. Sed *Melanion* secundum alios Arcadicam Atalantam babuisse dicitur. Hippomenis autem exemplum, quale hic notatum, vel maxime formæ potentiam declarat. — *Damnarat*. Plurimi *condemnat*. — Regius noster A, *condempnat* : at codex B, *dampnarat* : vide quæ ad *temptare* : versu 371, et supra diximus. *Ed.*

580. *Tollensque manus*. Gestus veniam petentium, manus tollere. *Ed.*

584. *Invidiaque timet*. Vulgo (et in nostris Regiis) *Invidiamque timet*. Invidendo aliis timet, ne quis victo-

» Intentata mihi fortuna relinquitur? inquit.
» Audentes Deus ipse juvat. » Dum talia secum
Exigit Hippomenes, passu volat alite virgo.
Quæ quanquam Scythica non secius ire sagitta
Aonio visa est juveni; tamen ille decorem
Miratur magis; et cursus facit ipse decorem.
Aura refert oblata citis talaria plantis;
Tergaque jactantur crines per eburnea, quæque
Poplitibus suberant picto genualia limbo;

riam sibi præripiat; qui sensus solet tali occasione excitari. Sic recte hæc verba et constituit et interpretatus est Micyllus, eademque lectio deinde comprobata est MSS auctoritate. — *Fortuna*, exitus certaminis: *fortunam belli tentare* passim apud historicos. — Pro *intentata* Basileensis habet *intercepta;* unde Heinsius faciebat *imperceptu*, ut IX, 710. — Regii codices *intentata :* lectio Basileensis codicis non absurda certe; sed ex emendatione, quam proponebat Heinsius, apparet tantummodo hujus constantia in vertendo textu sine necessitate. *Ed.*

586. *Audentes* etc. Sententia hæc mirum in modum Veteribus placuit, et apud innumeros auctores occurrit. A Claudiano, Ep. ad Probin. 9, vocatur *Cei sententia vatis*, id est, Simonidis, quanquam in vocem *Cei* et MSS variant, et Interpretes dissentiunt. Sed cæteri dicunt *Audentes Fortuna juvat :* Noster, quia Venerem implorare constituerat, maluit *Deus*, quanquam *Deus* sæpe pro Fortuna ponitur. Virg. Æn. X, 284.

587. *Exigit*, deliberat: metaphora a libra petita, ad quam exigitur pondus rerum. Sequitur descriptio certaminis cursus, quacum confer Homerum, Il. Ψ, 740 sqq; Virg. Æn. V, 315 sqq. — *Ales*, primum pro, alatus; deinde pro, celer. Etiam *volare* de celerrimo cursu. *Volucrem Schæneida* vocat Claudianus, Laud. Seren. 170. — *Scythica sagitta. Scythæ*, gens bellica, quorum tela timenda; *Scythicus arcus* I, Pont. I, 79; *Scythica pharetra* III, Pont. VIII, 19. Hinc hoc loco *Scythica sagitta* pro quacumque sagitta: confer VII, 776 sqq. — *Non secius;* vulgo *non segnius*. — Regii nostri habent vulgatam, quæ cur fuerit mutata non liquet. *Ed.* — *Ire*, currere. Etiam de volatu navis, quæ plenis velis currit: hæc vox occurrit, v. c. V Trist. XIV, 44. — *Aonio*, Bœoto. Vide ad III, 147.

590. *Facit decorem*. Magna commendatio, si quis omnia facit cum *decore* : confer VIII, 27 sqq; Heroid. IV, 77 sqq; Tibul. IV, II, 7 sqq. —Jam phantasia Ovidii pingit rursus habitum decorum currentis virginis. Pedes quum illa celeriter et alte jactaret, plantæ attingebant *talaria*, tunicam talarem, quam venti retro dabant. — *Refert oblata*, retro dat, ut offerantur. — *Tergaque*. Quatuor *collaque*, ut Art. Amat. III, 236, *fusos per colla capillos*. — Regii nostri habent *tergaque;* etiam in loco a doct. *Gierig* citato alii legunt *fusos*

Inque puellari corpus candore ruborem
Traxerat; haud aliter, quam quum super atria velum
Candida purpureum simulatas inficit umbras.
Dum notat hæc hospes, decursa novissima meta est;
Et tegitur festa victrix Atalanta corona.
Dant gemitum victi, penduntque ex fœdere pœnas.

per terga capillos, vide hunc locum, in nostra editione. *Ed.*—*Picto*: vide ad VI, 1. Cæterum huc respexit Sidonian. Apoll. paneg. Major.: « Plantasque superbas Haud ita per siccam Nemeen citus extulit Arcas, Cujus in Ætolo volitantem pulvere matrem Horruit Hippomenes. »

594. *Puellaris*. quo insignes sunt puellæ, quæ inde passim *candidæ* vocantur: amat Ovidius h. voc. vide V, 393; Fast. V, 611.—*Trahere ruborem* est etiam III, 482: *trahere nigrum colorem* II, 236; *trahere faciem* I, 412: in his *trahere* est accipere. Ruborem illum mixtum candori aliis similitudinibus Noster illustrat III, 482, et IV, 331; aliis etiam Tibullus, III, IV, 33: *Ut cum contexunt amaranthis alba puellæ Lilia; ut autumno candida mala rubent.* — *Velum*. aulæum. Vela prætendi solebant atriis et cubiculis, hinc *velarii* servi, qui velorum curam habebant. — *Simulatas inficit umbras*. Quinque, *simul edit et inficit*: Arondel. *simul addat*; duo Medicei *simul edat*; unus Bononiensis *similem datur*; octo *simul et dat et inficit*. *Simulatas inficit umbras* recepit Heinsius e Florent. S. Marci: vellem addidisset, quid sit, *simulatas umbras inficere super atria*. Intelligo quidem *simulatas umbras*, assimilata coloribus veli: scio etiam, velum recte dici *atriam simulatas umbras inficere*, scil. colorare: sed altera locutionis forma durissima mihi videtur. Præstat haud dubie Vulgata *similem dat et inficit umbram*, quanquam neque hæc satis placet. Cæterum eamdem velorum infectionem copiosius describit Lucret. IV, 73-84, ubi *lutea russaque vela et ferrugina magnis intenta theatris omnem consessum caveæ subter, et omnem scenæ speciem inficiunt, coguntque suo fluitare colore* etc. Hæc nostra autem non dicit Romanus, sed Venus, quo tempore nondum talis velorum usus.— Mire erravit cl. *Gierig*. quum diserit Heinsium recepisse *simulatas umbras*. Certe *similatas umbras* dedunit Heinsius ex Florentino codice, quem omnium optimum dicit, et quem sequitur: addit etiam « Nec abludit Spirens. in quo, *similis dat et inficit*. » Præterea Regius noster A *simul et dat et inficit umbram*; at Codex B *similem dat et inficit umbram*, quam lectionem præstantiorem recte judicat *Gierig*. Ed.

597. *Hospes*. Hippomenes. *Ed.*—*Meta* nunc pro stadio; ultima stadii pars decursa erat. — *Festa corona*. Virgilius, Æn. II, 249: *festa velamus fronde*. — *Velare* et *tegere* solemnia verba de coronis impositis. Æn. IV, 637, *tegere tempora vitta*: apud Velleium, II. LXXXII, 4, Antonius *corona vinctus aurea*. —*Ex fœdere*. e composito: *fœdus* omne id, de quo inter plures convenit. Secundum Hyginum d. l. Schœneus procis eam legem proposuerat, ut alius post alium inermis fugeret, filia

Non tamen eventu juvenum deterritus horum
Constitit in medio; vultuque in virgine fixo;
« Quid facilem titulum superando quæris inertes?
» Mecum confer, ait: seu me fortuna potentem
» Fecerit, a tanto non indignabere vinci;
» Namque mihi genitor Megareus Onchestius; illi
» Est Neptunus avus: pronepos ego regis aquarum;
» Nec virtus citra genus est: seu vincar, habebis
» Hippomene victo magnum et memorabile nomen. »
Talia dicentem molli Schœneia vultu
Adspicit, et dubitat, superari an vincere malit.
Atque ita, « Quis Deus hunc formosis, inquit, iniquus

autem cum gladio insequeretur, quem intra terminos assecuta esset, occideret, ejusque caput in stadio figeret: atque ita multi perierunt. Apollodorus.

600. *Eventus*, fortuna, interitus; Hyginus, P. A. II, 1, *eventum suum dicere Dianæ*. — *Juvenum deterritus horum*. Vulgo *juvenis*; quatuor *perterritus*. — Regii nostri, *juvenum deterritus horum*: at in codice A post horum additum est τὸ *est* a manu quidem secunda. *Ed.*–*Inertes* ad cursum referendum, tardi. — *Facilem titulum*, gloriam, laudem facile parandam: vide IV, 644; VIII, 433.

603. *Mecum confer*. Verba haud dubie corrupta, sed MSS nil juvant; Heinsius conjicit, *Te mihi confer*. Sensus esse debet, mecum contende cursu. Græci quidem συμβάλλειν et συνάπτειν absolute ponunt, suppressis vocibus ἀγῶνα et δυνάμεις; sed Latinis insolens illa ellipsis. — *Potentem*, scilicet cursu, velocem.

605. *Megareus Onchestius; illi* etc. Ita recte locum emendavit Micyllus, probante etiam Burmanno. *Onchestius* repertum etiam est in duobus MSS (et in nostro Regio B; codex A habet *et Hesteius*); vulgo *Achæstius illi*; unus *Onchæstus et illi*: mitto reliquas varietates. — *Megareus* est apud Hyginum. *Onchestus*, urbs Bœotiæ, cujus rudera (in quibus templum et signum Neptuni Onchestii) Pausaniæ adhuc ætate exstabant. Ibi olim habitaverat Onchestus, Neptuni filius: apud Pausaniam Bœot. p. 761, Onchesti filius *Megareus*, quem eumdem et *Macareum* dictum esse, Schol. Sophoclis ad Antig. vers. 1311, tradit. Is Niso contra Minoem auxilium tulisse et in prælio cecidisse legitur apud Pausan. Attic. p. 95. — *Citra genus*, inferior, minor genere. Æque fortis sum ac nobilis. — *Memorabile*. celebre, ut IV, 416 et 614, et Virg. Æn. IV, 94.

609. *Schœneia*. Regii nostri codices habent male *Ceneia*: *Schœneia*, Atalanta Schœnei regis filia. *Ed.*—*Molli vultu*. Supra IX, 260, *durus vultus* Junonis iratæ: nunc *mollis*, placidus, blandus, *vultus* amantis Atalantæ; amantibus etiam *molles preces*, *mollia corda* etc. tribuuntur.

611. *Atque ita*, etc. Diu mul-

» Perdere vult? caræque jubet discrimine vitæ
» Conjugium petere hoc? non sum, me judice, tanti;
» Nec forma tangor: poteram tamen hac quoque tangi.
» Quid? quod adhuc puer est? non me movet ipse, sed ætas.
» Quid? quod inest virtus, et mens interrita leti?
» Quid? quod ab æquorea numeratur origine quartus?
» Quid? quod amat, tantique putat connubia nostra,
» Ut pereat, si me fors illi dura negarit?
» Dum licet, hospes, abi, thalamosque relinque cruentos.
» Conjugium crudele meum est: tibi nubere nulla
» Nolet, et optari potes a sapiente puella.
» Cur tamen est mihi cura tui, tot jam ante peremtis?
» Viderit: intereat, quoniam tot cæde procorum
» Admonitus non est, agiturque in tædia vitæ.

tumque secum deliberat, vincerene velit et perdere Hippomenem, an vinci et nubere ei malit. Illinc gloriæ cupido et oraculorum reverentia pugnant, hinc amor et commiseratio. — *Formosis, inquit, iniquus.* Quinque, *formosum dixit;* primus Ambrosianus *fortunis iniquis;* Heinsius conjicit *formis tam, dixit, iniquus.* — Regius codex A, *formosis, inquit iniquus;* codex B male *formosum, inquit, iniquus.* — *Perdere vult.* Cantabr. et unus Basileensis *pendere.* — Regii nostri *perdere.*

613. *Non sum, me judice, tanti.* Trist. II, 209, *Non sum tanti, ut renovem tua vulnera;* Tibul. II, VI, 42, *Non ego sum tanti, ploret ut illa semel.*

617. *Æquorea origo* breviter dictum, Deus æquoreus, unde originem ducit; nisi malis *originem* de auctore generis accipere: IX, 264, *ab origine ductum matris;* Virgilius, Georg. III, 122, *Neptuni ipsa deducat origine gentem.* — *Fors dura.* Vulgo *sors;* septem *dira,* quod non displicet Burmanno, quia et versu 634, *importuna fata,* id est, sæva, dira. — Regii nostri *fors dura.*

620. *Thalami cruenti,* et *conjugium crudele,* conjugium, quod cum vitæ periculo petitur, et cujus causa jam multi perierunt. — *Relinque,* non pete. — *Sapiente puella.* Dotes tuas, uti par est, æstimante, et cui nuptiæ cordi. *Ed.*

624. *Viderit: intereat.* Quidam emendarunt *Viderit interea.* — Hæc emendatio, etsi non habeant eam Codices nostri, non infelix est. *Ed.* — *Admonitus.* Basileensis *attonitus: admonitus non est,* scilicet ut sibi consuleret. Plenius Justinus, IV, V, 11, *Nicias ne Demosthenis quidem exemplo, ut sibi consuleret, admonitus.* — *Agi,* ut alibi *ferri* dicuntur qui præ nimia cupiditate nesciunt, quid agant, aut qui alia quacunque vi compelluntur ad aliquid; Phædrus, IV, XII, 3, *ad perniciem solet agi sinceritas;* et V, V, 3, *ad pœnitendum rebus manifestis agi.*

» Occidet hic igitur, voluit quia vivere mecum?
» Indignamque necem pretium patietur amoris?
» Non erit invidiæ victoria nostra ferendæ:
» Sed non culpa mea est: utinam desistere velles!
» Aut, quoniam es demens, utinam velocior esses!
» At quam virgineus puerili vultus in ore est!
» Ah! miser Hippomene, nollem tibi visa fuissem!
» Vivere dignus eras: quod si felicior essem,
» Nec mihi conjugium fata importuna negarent,
» Unus eras, cum quo sociare cubilia possem. »
Dixerat: utque rudis, primoque Cupidine tacta,
Quod facit ignorans, amat, et non sentit amorem.
Jam solitos poscunt cursus populusque paterque,

626. *Voluit.* Urbinas, Noricus, alter Hamburg. alter Erfurtensis *vovit.* — Regii nostri *voluit.*

627. *Pati necem* est etiam in Ibide, 521; et *patiens mortis*, mortalis, supra II, 653: *patimur* omnia ea, quæ nobis inferuntur, vulnera, mortem, vincula. Non igitur erat, cur Burmannus ex Langerm. Excerptis mallet, *potietur*, quod melius τῷ *pretium* conveniat, et quod soleat Noster hanc vocem cum quarto casu construere. — *Indignam*, injustam, ut sæpe. — *Invidia*, odium: *non erit... ferenda* pro vulgat. invidia victoriæ nostræ non erit ferenda; etiam Amorr. III, 6, *Non eris invidiæ, torrens, ferendæ.*

631. *Quam virgineus puerili* etc. Anacreon, apud H. Steph. in Lyric. p. 530, ὦ παῖ παρθένιον βλέπων.

634. *Nec mihi* etc. vide vers. 564 s. Conf. Lactantius, Argum. Sed apud Hyginum a patre ipsa petit, ut se virginem servare velit. — *Sociare* solemne de conjugibus; I, 620, *socia tori;* II Fast. 729, *socialis torus;* II, Art. Amat. 377, *socius lectus;* Heroid. III, 109, *sociare cubilia.* — *Possem.* Codices Regii *vellem;* quod aptius quam vulgatum censeo. *Ed.*

636. *Dixerat: utque rudis* etc. Apud Theocritum, Idyl. III, 42, vix conspecto Hippomene incipit furere, et in profundum amorem incidere. — *Quod facit.* Plerique meliores (et nostri Regii) *quid facit;* quatuor *quid faciat;* Heinsius suadet *quidque agat.*

638. *Pater*, patres, seniores et honoratiores: *populus patresque* formula solemnis et passim obvia de universis civibus Romanis, tam patriciis et senatoribus, quam plebeiis. Maximam exemplorum nubem collegit Bentleius ad Horat. III, Od. VI, 20. Hinc etiam de aliis populis et cœtibus usurpatum. — *Poscere* fere ut Horatius, Art. Poet. 190, *fabula, quæ posci vult*, quam iterum spectare cupiunt spectatores. — *Quum me sollicita* etc. *Me* Venerem; narrat enim hæc Adonidi Venus. *Ed.* — *Sollicita vox*, quam emittit homo

Quum me sollicita proles Neptunia voce
Invocat Hippomenes : « Cythereia comprecor ausis
» Adsit, ait, nostris ; et, quos dedit, adjuvet ignes. »
Detulit aura preces ad me non invida blandas ;
Motaque sum, fateor ; nec opis mora longa dabatur.
Est ager, indigenæ Tamaseum nomine dicunt,
Telluris Cypriæ pars optima : quem mihi prisci
Sacravere senes, templisque accedere dotem
Hanc jussere meis : medio nitet arbor in arvo,
Fulva comam, fulvo ramis crepitantibus auro.

sollicitus. — *Neptunia proles*, Hippomenes, Neptuni pronepos. *Ed.* — *Cythereia*. Regii nostri *Cythereaque*, sed altera lectio, quam habent optimi codices, præstat. *Ed.* — *Comprecor* pro simplici precor, ut apud Hyginum, fab. I, et P. A. II, 5.

642. *Aura non invida*. Suaviter res inanimatæ, quum prohibent aliquid fieri, *invidere* dicuntur; supra IV, 73, *invidus paries*, qui obstabat amantibus ; IX, 485, *nox cœptis invida* ; X, 332, *invida jura*. Et hoc loco *non invida aura*, quæ preces fideliter deferebat ad Venerem. — *Blandæ preces*, ut *blanda tura* et *blandæ victimæ*, quæ offeruntur animo blando. — *Opis mora*. Heinsius malit *opi*. — Regii nostri *opis*.

648. *Tamaseum*. Vulgo *Damasenum*, quod varie emendarunt editores : verum viderunt Farnabius et Heinsius.—Codic. nostri Regii *Damasenum*. — *Tamasus* aut *Tamaseus* oppidum Cypri ; Plinius, V, 31. Stephanus h. v. Ταμάσσος πόλις Κύπρου. Τὸ ἐθνικὸν Ταμασσίτης καὶ Ταμασσεύς. — *Sacrare*, consecrare. Sic *sacrare templa*, *delubra*. I Fast. 290, et apud Virgilium, Æn. VIII, 715 : supra IX, 88, *sacrare cornu* : vide Bentlei. ad Horat. Epist. II, 11, 92. — Secundum Philetam in Schol. Theocrit. II, 118, Venus Hippomeni dedit Dionysi mala suo capiti detracta. Sed alius Schol. ad III, 40, male auctor est, ex Hesperidum hortis hæc poma allata. Etiam Virg. Catal. XI, 25, *Hesperidum munere* capta esse Atalanta traditur.

647. *Nitet arbor*. Quidam *viret arbor*, quod Burmannus non damnat, quia id verbum auro convenit ; vide ad IV, 636. — Regii nostri habent *nitet*, quod sine dubio melius convenit auro quam *viret* : scripturæ in hoc loco discrimen ortum ex MSS, in quibus *nitet* sæpius per *uitet* scriptum occurrit ; et facile cum *viret* confundi potuit. *Ed.* — *Fulva*, aurea.— *Comam*, frondes ; vide ad versum 103. — Si lectio *crepitantibus* sana, cogitandus est crepitus sive sonus, quem faciebant frondes aureæ motæ. Et puto, eam sanam esse : Virgilius, Æn. VI, 209, in simili arboris descriptione, *leni crepitabat bractea vento*, et XI, 775, *sinus crepantes fulvo auro*. Sed unus Leidensis MS *radiantibus* : sic Art. Amat. III, 451, *auro radiantia templa*, et supra II, 4, *Argenti radiabant lumine valvæ*. Alter Leidensis *trepidantibus*, quod forte illustrari posse t

Hinc tria forte mea veniens decerpta ferebam
Aurea poma manu; nullique videnda, nisi ipsi,
Hippomenen adii; docuique, quis usus in illis.
Signa tubæ dederant, quum carcere pronus uterque
Emicat, et summam celeri pede libat arenam.
Posse putes illos sicco freta radere passu,
Et segetis canæ stantes percurrere aristas.
Adjiciunt animos juveni clamorque, favorque,

ex Fast. I, 77, *Flamma nitore suo templorum verberat aurum, et tremulum summa spargit in æde jubar.* — Regii nostri servant *crepitantibus*, quod sincerum puto. *Ed.*

649. *Mea veniens.* Unus Leidensis *mea juvenis;* Heinsius conjicit *juveni;* Constantius Fan. et Burmannus *meo juveni*, ut Adonis intelligatur; satis blande et comiter. — Regii nostri *veniens*: lectio *juveni* paulo subtilior videtur. *Ed.*—*In illis*, illorum, aut, illis. Sic IX, 670, *in illo*, illius; VII, 682; XIV, 268. Etiam Hyginus *edoctus, quis usus in eis esset.*

652. *Signa tubæ dederant.* In seqq expressit nobilem certaminis nautici descriptionem apud Virgil. Æn. V, 124 sqq. *Tuba* signum dabatur et in præliis et in certaminibus. — *Pronus* egregie pingit nisum et habitum eorum, qui, ut vim addant emicanti corpori, extenso altero pede inclinataque ad terram superiore corporis parte, se emittunt in stadium. Sed id Noster habet a Virgilio, dicto loco, vers. 147, ubi aurigæ *proni in verbera pendent*, et Georg. III, 107, *proni dant lora.* Supra IX, 44, idem vocab. de luctantibus. — *Carcere* pro usitatiore, carceribus.

654. *Posse putes.* Ita celerrimum cursum equorum hominumque descripserunt Veteres, Homer. Il. Υ, 226 sqq; Apollon. I, 179; Virg. Æn. VII, 808 sqq. Ea volubilitatis ratio offendit multos, vix autem offendet eos, quibus cursum equorum eorum, quas Batavi *Harttraber* vocant, spectare contigit. Ita enim illi volant, ut terram ungulis tangere non videantur. Noster adeo, rei molliendæ causa, addit, *Posse putes.* Sed apud Hyginum fab. 89, equi, quos Troi dederat Jupiter, *super aquas et aristas ambulant.*—*Passu*, pede. *Radere*, leni pedum motu per intervalla leviter attingere: vide Walken. ad Euripidem Phœn. vers. 1399. Apud Minucium Fel. II, 3, testa illa, qua pueri ludunt, dicitur dorsum maris *radere.* Supra IV, 561, sic est *destringere.*—*Stantes*, erectas. Propertio, IV, v, 12, *stantia* sunt segetes, frutices, arbores.—*Percurrere aristas*, currere super aristas. Virgilius d. l. *Illa vel intactæ segetis per summa volaret Gramina, nec teneras cursu læsisset aristas.*

656. *Favor* proprie de variis plausus generibus, quibus in theatro histriones et in stadio certantes incitari solebant. Virg. Æ. V, 148; Homer. Il. Ψ, 766. — *Nunc, nunc* etc. e Virgilio, vers. 189: *Hortatur Mnestheus: nunc, nunc insurgite remis.... nunc illas promite vires, nunc animos..... Hoc vincite.* — *Incumbere*. incitari in cursu.

Verbaque dicentum : « Nunc, nunc incumbere tempus,
» Hippomene ; propera : nunc viribus utere totis ;
» Pelle moram ; vinces. » Dubium Megareius heros
Gaudeat, an virgo magis his Schœneia dictis.
O quoties, quum jam posset transire, morata est ;
Spectatosque diu vultus invita reliquit !
Aridus e lasso veniebat anhelitus ore ;
Metaque erat longe : tum denique de tribus unum
Fœtibus arboreis proles Neptunia misit.
Obstupuit virgo, nitidique cupidine pomi
Declinat cursus, aurumque volubile tollit.
Præterit Hippomenes : resonant spectacula plausu.
Illa moram celeri cessataque tempora cursu
Corrigit ; atque iterum juvenem post terga relinquit.
Et rursus pomi jactu remorata secundi,
Consequitur, transitque virum : pars ultima cursus
Restabat : « Nunc, inquit, ades, Dea muneris auctor ; »
Inque latus campi, quo tardius illa rediret,
Jecit ab obliquo nitidum juveniliter aurum.

659. *Megareius* emendavit Mycillus ; vulgo *Macareius* ; vide notam ad vers. 605. — Regii nostri *Megareius*, id est, Hippomenes, Megarei filius, Neptuni nepos. *Ed.*

663. *Aridus*. ex arido ore veniens, ut II, 278, *sicca vox.*—*Lassum os*. os ejus, qui lassus erat ; Virgilius, Georg. IV, 96, *ceu pulvere ab alto quum venit, et sicco terram spuit ore viator Aridus* ; et Æneid. V, vers. 199, *Tum creber anhelitus artus Aridaque ora quatit.* — *De tribus unum* etc. Non raro in certaminibus fieri solebat, ut dolis alter alteri victoriam eripere conaretur.

667. *Volubile.* Noster in Ibide, 191, Sisyphi *revolubile pondus.*

668. *Spectacula*, locus, unde spectabatur, ut Livius, I, 35, *spectacula sibi quisque fecerunt.* — *Resonant.* Virgilius, V, 148, *Tum plausu fremituque virum, studiisque faventum Consonat omne nemus* etc. — *Cessata tempora*, cessando consumta, ut Fast. IV, 617, *cessata arva*, cessando neglecta. *Moram et cessata tempora corrigere* pro, id corrigere, quod mora et cessando peccatum erat.

671. *Remorata.* Ambrosianus *revocata.* — Regii codices *remorata.* — *Consequi*, pro assequi. — *Pars ultima.* Unus Moreti *pars optima.* — Regii codices *pars ultima.* — In ipso cursu interdum numen aliquod invocari, invocantique adesse solebat. — *Ju-*

An peteret, virgo visa est dubitare; coegi
Tollere, et adjeci sublato pondera malo;
Impediique oneris pariter gravitate moraque.
Neve meus sermo cursu sit tardior illo;
Præterita est virgo: duxit sua præmia victor.
Dignane, cui grates ageret, cui turis honorem
Ferret, Adoni, fui? nec grates immemor egit,
Nec mihi tura dedit: subitam convertor in iram;
Contemnique dolens, ne sim spernenda futuris,
Exemplo caveo, meque ipsa exhortor in ambos.
Templa Deûm matri, quæ quondam clarus Echion
Fecerat ex voto, nemorosis abdita silvis,

veniliter. Glareanus putat, jaciendi modum sic esse expressum. Rectius Regius et Burmannus interpretantur, cum ardore et impetu, ut solent juvenes. Laudat Burmannus, III, Art. Amat. 733, *juveniliter arcum corripit*, et II Trist. 117, *nimium juveniliter uti ingenio*. Adde supra, III, 626, *juvenili guttura pugno rupit*. Causa, cur fortiter jaceret, erat, *quo tardius illa rediret*.

679. *Neve meus sermo* etc. Frigida sententia.— *Tardior*, alter Hamburgensis et alter Erford. *longior*.—Codex Regius A, *cursu sit tardior ipso*; Codex B, *tardior ipse*. — *Præterita est virgo*. Cl. Baconus hanc fabulam interpretatus, Atalantæ, inquit, id est, artis prærogativam et vigorem, mala aurea retardant: illa enim plerumque stadium deserit et ad lucrum declinat etc. Quæ videre operæ pretium. *Ed*. — *Duxit*, nempe uxorem, *sua præmia*, ut Perseus Andromedam, IV, 756. Sed Hyginus, *Hanc quum in patriam duceret*.

681. *Turis honorem ferret*. Alibi *honores* simpliciter de sacris. — *Tura dedit*. Burm. mallet *tura tulit*, repetitione familiari nostro poetæ: utrumque latinum est; vide ad I, 248.

684. *Contemnique dolens*; deest *me*. Vulgo scribitur *contemtuque dolens*. —Regii codices habent vulgatam.— *Caveo*, moneo aut prohibeo, ex juris romani formulis; vide Ernest. clav. Cicer. hac voce.— *Meque ipsa* e quinque MSS recepit Burmannus pro *ipsam*.—Regii codices nostri habent *ipsam*: hoc vocabulum plerumque in MSS summatim ita scribitur *ipsā* cum lineola; quæ forsan sive erasa, sive per errorem non apposita in codicibus Burmanni, hujus emendationi originem dedit. *Ed*.

686. *Templa Deum matri* etc. apud Apollodorum et Hyginum ingrediuntur τὸ τέμενος Διός, *Jovis fanum*, — *Clarus Echion*. Quidam *magnus*. Recte Glareanus intelligit *Echionem*, Cadmi socium, cujus III, 126, mentio fit; Atalanta enim hæc Schœneia fuit Bœotica. Burmannus vero mallet, Echionem Arcadem, de quo VIII, 311, intelligere, quia Noster cum aliis duas Atalantas confuderit. Ubi tandem confudit? — *Nemorosis silvis*. Supra I, 568, *Est ne-*

Protinus excussit pando venabula rostro,
Sanguine tincta suo; trepidumque, et tuta petentem
Trux aper insequitur; totosque sub inguine dentes
Abdidit, et fulva moribundum stravit arena.
Vecta levi curru medias Cytherea per auras
Cypron olorinis nondum pervenerat alis.
Agnovit longe gemitum morientis, et albas
Flexit aves illuc: utque æthere vidit ab alto
Exanimem, inque suo jactantem sanguine corpus,
Desiluit, pariterque sinus, pariterque capillos
Rupit, et indignis percussit pectora palmis:
Questaque cum fatis; « At non tamen omnia vestri
» Juris erunt, inquit: luctus monumenta manebunt
» Semper, Adoni, mei; repetitaque mortis imago

713. *Pando....rostro.* Septem *curvo rostro.* — Regii nostri *pando.* — Secundum Propertium, II, x, 53, id factum in Idalio, Cypri monte: *Testis, qui niveum quondam percussit Adonem Venantem Idalio vertice durus aper.* Mortem Adonidis et aprum hunc carmine Anacreontico celebravit Theocritus, Id. 30. Ibi aper prætendit, se id imprudentem fecisse, quum amore incensus femur Adonidis osculari voluerit. — *Tuta petentem.* Oxoniensis et Gronovianus *tecta petentem.*—Regii nostri *tuta.*— *Totosque.* Quinque *tortosque;* unus Heinsii *fixosque.*—Regius codex A, *tortos*, eleganter; Codex B, *totos* quod glossam redolet. *Ed.*—*Abdidit.* Supra IV, 718, *in armo ferrum abdidit.* — *Fulva* tantum ornat.

717. *Levi curru;* vide II, 531. — *Pervenerat.* Basileensis unus et margo Gryph. *penetraverat;* laudat Burmannus hæc Virgilii, Æneid. VII, 365, *Phrygius penetrat Lacedæmona pastor.* — Regii nostri *pervenerat.*

719. *Agnovit longe gemitum.* Multi *cognovit;* Heinsius malit *Agnovit linguæ gemitum.*—Regii nostri *agnovit longe* etc.—Expressit Virgilium, Æn. X, 843, *Agnovit longe gemitum præsaga mali mens.*—*Exanimis* nunc moribundus; jactabat enim adhuc corpus. Sed Heinsius, vel invitis membranis, scribendum censet, *semanimem*, ut VII, 850.—*Jactantem.* Unus Ciofani et excerpta Mureti *versantem.*— Regii nostri *jactantem.* — *Indignis:* vide ad I, 308.

724. *Queri* cum aliquo illustravit Heinsius ad Velleium, II, 130.— *At non.* Vulgo (et in nostris Regiis) *et non:* vide ad VIII, 279.—*Vestri juris* ut supra versu 37: non omnia, quæ ad Adonidem pertinent absumetis.— *Repetita.* Secundus Mediceus *rediviva;* Heinsius conjicit *recidiva*, de qua voce ipse exponit ad Claudianum, Phœnic.—Regii nostri *repetita.*—*Imago*, repræsentatio. Similiter fere Virgilius, Æneid. II, 269, *ubique pavor et plurima mortis*

» Annua plangoris peraget simulamina nostri.
» At cruor in florem mutabitur : an tibi quondam
» Femineos artus in olentes vertere menthas,
» Persephone, licuit? nobis Cinyreius heros
» Invidiæ mutatus erit? » Sic fata, cruorem
Nectare odorato sparsit : qui tactus ab illo
Intumuit, sic, ut pluvio perlucida cælo
Surgere bulla solet : nec plena longior hora
Facta mora est, quum flos de sanguine concolor ortus;
Qualem, quæ lento celant sub cortice granum,

imago.—*Peraget.* Argent. (et noster Regius A) *referet. Peraget simulamina* mera phrasis, simulabit, imitabitur : *simulamen* Ovidiana vox ut *firmamen* et alia in *amen* desinentia. Intelliguntur Adonia, quæ inter Phœnices orta mox accepta sunt a pluribus gentibus. Primo die sacrorum illorum Veneris et Adonidis simulacra circumferebantur ritu funebri; mulieres laniabant capillos, percutiebant pectora palmis, addebantque et reliqua luctus signa.

729. *Femineos artus* etc. Solent Dii sua consilia et facta aliorum Deorum auctoritatibus, more hominum, tueri. In *femineos artus* et *heros* gravis oppositio. — *Mentha* aut *mintha* herba, in quam Mintha nympha, Pollucis pellex, mutata erat; Lactantius, Argum. Oppianus, Halieut. III, 113. κωκύτιδα νύμφην vocat, quia Cocyti filia. — *Olentes* propter suavem odorem. Plinius, XIX, 8 : « Mentæ nomen suavitas » odoris apud Græcos mutavit quum » alioqui mintha vocaretur, unde » Nostri nomen declinaverunt. Grato menta mensas odore percurrit » in rusticis dapibus. » Hinc Græcis etiam ἡδύοσμος dicta. Dioscor. III, 41 : Ἡδύοσμος, οἱ δὲ μίνθην, γλυκόρεμον. Βοτάνιον. Vide Hemsterhusium ad Aristoph. Plut. pag. 97. — *Nobis invidiæ erit*, nobis invidiam, convicia conciliabit.

733. *Pluvio.* Multi *fulvo.* — Regii nostri *fulvo* ; sed Codex A in margine habet *pluvio.*— Hoc paulo brevius et obscurius dictum. Sensum tamen assecutus est Burmannus, « quum pluvia cadit in aquam, surgit bulla ex gutta. »—*Plena,* integra. — *Concolor ortus*. Heinsii unus *concolor exit.* — Regii nostri *ortus*.

736. *Sub cortice.* Primus Gronovianus *in cortice*; quinque *sub vertice.* — Regii nostri *sub cortice.* — Malus punica, sive granata rubicunda habet et poma et grana et flores. Schol. Nicand. ad Theriac. p. 63 : Martialis, I, Ep. 44; Columella, X. — *Punica*, scil. mala ; IV Fast. 607, *solvit jejunia granis, Punica quæ lento cortice poma tegunt* ; IV, Pont. xv, 8, *in horto fertilis arvi Punica sub lento cortice grana rubent.* Sed Heinsio durior justo, ut est, visa ellipsis τοῦ *mala.* Quum igitur novem MSS habeant *grana*, suadet, *quæ lento celantur* (aut *celant se*) *cortice, grana Punica* etc. aut etiam

. ... brevis est tamen usus in illo;
...ventem, et nimia levitate caducum
..., qui præstant nomina venti.

.. — *Celare* passim .. *celat amictu ora*, ., et *vultus velamine* . 279. .. ejus: vide ad versum ... non firmiter. Etiam ... *..undes male hærentes*; Hor. ... .1, 31, *male in pede calceus* ... supra IV, 27, *non fortiter* .. *..ello*, pro quo Horat. III, ..., 55, simpliciter *Hæret equo*, ... *hærere* jam in se habet notio... imbecillitatis. — *Nimia levitate*. ... Ciofani *nimia gravitate*. — Re... Codices *levitate*. — *Qui præstant* ..*mina*. Vulgo *perflant omnia*, quod MSS nullis confirmatur: plerique *præstant omnia*, vel *præbent omnia*; septem *præstant nomina*: eamdem lectionem dant pro diversa lectione septem alii; Arundelianus. *præbent nomina*. — Regii nostri Codices, *præstant omnia*: male. *Præstant nomina* Heinsius probavit post nostratem *Ménage*, cujus ingeniosum et eruditum vide opus, quod *Gallicas origines* inscripsit. *Ed.* — Adonidis cruor in anemonen florem mutatus est, qui ab ἀνέμου, a vento, nomen deducit. Plinius, XXI, 23: « Flos » nunquam se aperit, nisi vento spi- » rante, unde et nomen accepit. »

P. OVIDII NASONIS
METAMORPHOSEON
LIBER UNDECIMUS.

N. B. Argumentum hujus Libri undecimi Metamorphoseon relatum invenies in serie CANTERI, tom. III, pag. 40.

FAB. I. CARMINE dum tali silvas, animosque ferarum
Threicius vates, et saxa sequentia ducit;

1–66. *Orpheus* a *Bacchis* discerpitur, *serpens* autem, qui caput ejus invadebat, ab Apolline in saxum mutatur. Confer. Phanocles de amoribus Orphei; Pausanias, Bœot. pag. 768 sq; Apollod. I, III, 2; Eratosth. Καταστ. cap. 24; Antigon. Mirab. cap. 5; Virg. Georg. IV, 520–527; Hyginus, P. A. II, 7; Seneca, Med. vers. 625 sqq. Tractaverat eadem Æschylus, ut ex Eratosth. apparet. E Pausania et Hygino, d. l. intelligitur, quam variæ, quamque dissentientes fuerint Veterum de Orphei morte traditiones. Nonnulli fulmine eum ictum periisse memorabant, quia profanis hominibus initiorum arcana tradidisset. Secundum alios ipse sibi mortem consciverat, conjugis desiderio. Plurimi tamen in eo consentiunt, a mulieribus eum discerptum esse, quanquam id quoque magna rursus cum varietate narratur, ut suis locis videbimus. — *Carmine dum tali silvas*, etc. Sic apud multos auctores vis carminum Orphei expressa legitur. Etiam in monumentis stipatus cernebatur feris; Pausanias, Bœot. p. 768. — *Animos ferarum*, feras, quibus passim, v. c. apud Virgilium, Georg. IV, aliquoties apibus, *animi* tribuuntur. Et usus nunc est hac periphrasi, quia *animi* dicuntur *duci* et commoveri; Quintil. Inst. XII, 10, *commovendos esse ducendosque animos imperitorum*. Male igitur Regius vel *animos* interpretabatur sensus, vel *feras* homines feros, quorum animos sane excoluit Orpheus; Horatius, Art. Poetic. 391 sqq: at Noster, ut postulabat hujus operis ratio, non sensum fabularum curavit, sed fabulas ipsas fideliter retulit. — *Sequentia ducit*, duxit, ut sequerentur. Virgil. Georg. I, 106, *inducit rivos sequentes*. Quanquam et *sequi* dicuntur quæ facile cedunt

Ecce nurus Ciconum, tectæ lymphata ferinis
Pectora velleribus, tumuli de vertice cernunt
Orphea, percussis sociantem carmina nervis.
E quibus una, levem jactato crine per auram,
« En, ait, en hic est nostri contemtor : » et hastam
Vatis Apollinei vocalia misit in ora,

aliis. Vide ad Plinium, lib. VII, Ep. IX, 11. Sed disputant Interpretes primum utrum *ducit*, an ex aliis MSS *trahit* legendum sit? Deinde utrum Orpheus oblectasse saxa et silvas dicatur, an loco movisse? Burmannus recte docet, utramque notionem et utrique verbo inesse, et huic loco convenire. Etiam cæteri auctores, qui hujus rei mentionem faciunt, utroque trahunt, eumque mox *mulsisse*, mox *duxisse*. *movisse*, *traxisse saxa* tradunt. Optimum ergo est, hæc cum Burmanno ita capere, mulsisse Orpheum carminum suavitate silvas, feras et saxa; eamque fuisse causam, ut sequerentur ejus cantum. — Vide Horat. lib. I, Od. XII, 7, de canente Orpheo. *Ed.*

3. *Nurus* omnino mulieres : vide ad IX, 643. Bacchas describit a vestitu, *tectæ ferinis velleribus*; vide ad IV, 4. — *Lymphata*, furore Bacchico correpta : *lymphatus* proprie cui visa in aqua Nymphæ imago insaniam injecit. — *Tumuli*. Nonnulli in Olympo monte, alii in Pangæo id factum narrabant. Vide Hyginum. — De *Ciconibus* dictum ad X, 2. — *Percussis* etc. accinentem sono chordarum. V, 340, *percussis subjungit carmina nervis*; I, 518, *per me concordant carmina nervis*. Chordæ autem dicuntur *percuti*, *feriri*, *pulsari*, *pelli* : vide Broukhus. ad Propertium, II, 1, 9.

6. *Levem auram*. Vulgo *leves auras*. — Regii nostri *levem auram*. — *Jactato crine*, more Baccharum, (vide ad III, 726) et omnino fanaticorum vaticinantiumque. — *En hic est*. Quatuor *hic hic est*. ut III, 714, *ille ... ille*. — Regii nostri *En hic est*. — *Nostri contemtor*; spreto enim mulierum usu pueros amare docuerat. X, 79. Sic et Phanocles atque Virgilius. Sed Pausanias, Bœot. p. 768, neglectis vulgaribus opinionibus, arbitratur, Thracum mulieres succensentes Orpheo, quod huc illuc vagans maritos secum duceret, insidias struxisse vitæ ejus, et inebriatas aliquando perfecisse, quod antea metu maritorum non ausæ essent. Hinc institutum inter Thracas, ut viri non nisi temulenti ad prælia exirent. Æschylus ad Bacchum auctorem rem retulerat, quem Orpheus non celebrarit carmine: alii Veneris impulsu id mulieres ausas esse tradebant : vide Hyginum d. l. — *Hastam*, thyrsum, de quo vide ad III, 542. — *Vocalia ora*, canentia; etiam V, 332; *vocalis Orpheus* apud Horatium, I, Od. XII, 7. Videtur autem laudis notio inesse interdum huic voci, ut Schol. Orat. observat, et de iis usurpatum esse, qui claram et sonoram vocem haberent. — *Vatis Apollinei*, cum delectu, quem vereri debebant, quia et Apollinis filius (vid. ad X, 167), et ab Apolline musicam edoctus. Hyginus, dicto loco.

Quæ foliis præsuta notam sine vulnere fecit.
Alterius telum lapis est; qui missus, in ipso
Aere concentu victus vocisque lyræque est;
Ac veluti supplex pro tam furialibus ausis,
Ante pedes jacuit: sed enim temeraria crescunt
Bella, modusque abiit, insanaque regnat Erinnys.
Cunctaque tela forent cantu mollita; sed ingens
Clamor, et inflato Berecynthia tibia cornu,

9. *Præsuta.* Alii *præsumta*, *prætecta*, *præcincta*, *præfulta*, *præfixa* etc. — Regii nostri *præsuta*, vincta aut omnino, aut in anteriore parte: confer ad I, 699. Similiter *prætextum* occurrit, ut V Fast. 567, *Augusto prætextum nomine templum*, id est insignitum. Sed librarii quum ignorarent h. v. varie corruperunt genuinam lectionem. — *Nota*, vestigium thyrsi missi in ore remanens, vibex rubicunda aut livida. Sic II Fast. 698, *terga notata*, quæ habebant vestigia verberum. Horatio, I, Od. XIII, 12, *nota* est vestigium dentis impressi lividum. Quod quum telum facit, cutem dicitur *destringere*, XII, 101; *conscribillare*, Catull. XXV, 10; et ἐπιγράφειν, Homer. Il. Δ, 139.

11. *In aere concentu* etc. Ludit ingenium Ovidii; ferri tamen hic lusus potest auctoritate Mythicorum antiquiorum, qui saxa cantu Orphei delinita primi finxerant. — *Victus*, ut mox *mollitus*, mitigatus, ut desisteret a volando. Utrumque autem vocabulum ab iratis translatum, qui, quum ponunt iras, dicuntur *vinci* et *molliri*. Lapis missus ab irata muliere et vulnera minitans, et ipse iratus fingi potest a poetis. Idem *supplex* esse videtur, quia ante pedes procidit ritu supplicum. — *Furialia ausa* etiam VI, 84.

13. *Sed enim*, at vero, ut I, 530; XIII, 141. Ita etiam Lactantius, Epit. 67.— *Temeraria crescunt bella*, furiosi impetus augentur; IX, 425, *crescit turbida seditio.*— *Modus abiit*, illi impetus modum excesserunt. — *Insana.* Thuani et Gronovii *vesana.* Regii nostri *insana.*— *Insana regnat Erinnys.* Bacchæ furunt insania: sic I, 241, *fera regnat Erinnys.*

16. *Inflato.* Unus *afflato*; septem *infracto.* — Regii nostri *inflato.* — *Inflato Berecynthia* etc. Safftius vertit: *das Getoese der Hoerner und der Berecynthischen Floete*, quasi duo diversa instrumenta intelligerentur. Imo quum cæteræ tibiæ essent rectæ, Berecynthia habebat formam curvam, scil. cornu habebat adfixum. Vide Vulp. ad Catull. LXII, 22. Hinc III, 530, *tibia adunco cornu*; IV Fast. 181, *inflexo Berecynthia tibia cornu flabit*; Hor. I, Od. XVIII, 13, *Berecynthium cornu.* Ab initio usus ejus erat non nisi in Cybeles sacris, quæ in *Berecyntho*, monte Phrygiæ, potissimum celebrabantur; sed deinde etiam in Bacchi orgiis recepta, quæ cum illis sacris multa habebant communia. Ejus et tympanorum sono audito in furorem agebantur Bacchæ; Lucret. II, 620; Horat. III, Od. XV, 10; Cic. Div. I, 50: hinc *furiosa tibia*, IV Fast. 341; sonus enim ejus erat acer

Tympanaque, plaususque, et Bacchei ululatus
Obstrepuere sono citharæ : tum denique saxa
Non exauditi rubuerunt sanguine vatis.
At primum attonitas etiamnum voce canentis
Innumeras volucres, anguesque, agmenque ferarum
Mænades Orphei titulum rapuere theatri :
Inde cruentatis vertuntur in Orphea dextris;
Et coeunt, ut aves, si quando luce vagantem
Noctis avem cernunt; structoque utrimque theatro,

et veluti pungens animos.— *Tympanaque, plaususque, et* etc. Vide ad X, 262 et 308; in quibus locis scriptorem nostri Codicis A sedulius metro invigilantem vituperavimus; multoties enim jam videndum fuit sola cæsuræ vi produci τὸ *que* : si quis tamen hoc loco offenditur, recipi potest lectio nostrorum Codicum, *Tympanaque, et plausus, et Bacchei* etc. *Ed.*—*Plausus* Lenzius intelligit cymbalorum : non assentior. Plinius, II, Ep. XIV, 13, hæc Bacchanalia respiciens : « Plausus tantum, inquit, » ac potius sola cymbala et tympana » illis canticis desunt. » — *Ululatus.* Vide ad III, 528. — *Obstrepuere sono.* Codex Regius A, cum duobus ab Heinsio citatis *obstruxere sonum;* Codex B *obstupuere sono;* octo teste eodem *obstupuere sonum.* Ed.— *Obstrepuere*, strepitu suo vicerunt. Tibullus, II, 1, 86, *turba jocosa Obstrepit, et Phrygio tibia curva sono.*

20. *Attonitas* bene fingit, quia sic apparet, cur volucres et feræ se non subtraxerint velocitate vel alarum vel pedum. — *Etiamnum*, in illo strepitu et ululatu. — Regii nostri habent *etiam nunc*, sicut et X, 403. — *Mænades*, Bacchæ, ὑπὸ τοῦ μαίνεσθαι. Notum est, *theatrum* de ipsis vel spectatoribus vel auditoribus dici; Plinius, paneg. 54; Horatius, I, Ep. XIX, 41.— *Titulus theatri*, gloria theatri, honorificus consessus auditorum : *mira theatra* Orphei apud Claudianum, II, Ep. VI. *Titulus* autem sic passim; IV, 644, *præda titulus;* VII, 56, *titulus servate pubis;* X, 602, *quid facilem titulum quæris ?* Sumtum est vocabulum a statuarum titulis, qui valde gloriosi habebantur. Duo MSS *populum*, quod illustrat Burmannus Manilii et Alciphr. exemplis, qui *populum piscium* et *alitum* et δῆμον ὀρνέων dixerunt. Idem Burmannus non improbat, quod quidam habent, *Orphei triumphi;* partim quia mox sequitur *theatro*, partim quia *titulus* bene *triumpho* conveniret.—*Rapuere*, dilaniatis istis feris et volucribus : vide ad vers. 38 : hinc mox ruunt *cruentatis dextris.*

23. *Verti in aliquem* impetum indicat, qui fit ab alio in alium, ut I, 235. — *Coeunt*, undique confluunt. Exemplum non male delectum; sed nota negligentiam orationis, *coeunt ut aves, et ceu cervus præda canum est, vatemque petunt.* — *Vagantem.* Unus Mediceus *volantem.* — Regii nostri *vagantem.*—*Structum utrimque theatrum*, amphitheatrum, in quo Romæ bene *mane* venationes, sub

Ceu matutina cervus periturus arena,
Præda canum est; vatemque petunt; et fronde virenti
Conjiciunt thyrsos, non hæc in munera factos.
Hæ glebas, illæ dereptos arbore ramos,
Pars torquent silices: neu desint tela furori,
Forte boves presso subigebant vomere terram;
Nec procul hinc, multo fructum sudore parantes,
Dura lacertosi fodiebant arva coloni;
Agmine qui viso fugiunt, operisque relinquunt
Arma sui; vacuosque jacent dispersa per agros
Sarculaque, rastrique graves, longique ligones.
Quæ postquam rapuere feræ, cornuque minaci

meridiem autem ludi gladiatorii edebantur.—*Matutina*, quia ipse mane perit.—*Ceu* e primo Vaticano et Calandræ Excerptis dedit Heinsius: cæteri *ut* aut *cum*. — *Periturus*. Junii Codex *deprensus arena*. Post hunc in margine Cod. Leid. adscriptus erat hic versus, *Jam morsu petitur cecum totaque prementum*, quem corruptum et spurium judicat Burmannus; Heinsius tamen conjicit *circum turbaque prementum*. — Regii nostri *Vel matutina ... periturus*: non habent versum Codicis Leidensis. — *Virenti*. Vulgo (et in nostris Regiis) *virentes*. — *Hæc in munera*, hunc in usum, forte quia *munera* dicuntur officia extrema, quæ præstantur morientibus aut mortuis.

29. *Dereptos*. Regius uterque *direptos*, ut X, 475, Codex A *diripit ensem* habuit. *Ed.*—*Hæ glebas, illæ ramos* etc. Eadem fuere antiquissimorum hominum arma. Lucretius, V, 1282 sq. — *Presso*. impresso; Virgilius, *depresso aratro*.

32. *Multo fructum sudore* etc. Verbis delectis molestiæ agriculturæ exprimuntur. — *Fructum*, victum. — *Dura*; Horatius, I, Sat. 1, *gravem terram*. — *Lacertosi* aptum agricolis epitheton, quorum *lacerti* multo labore validi facti sunt et robusti. — *Fodiebant*. Unus Mediceus *findebant*; unus Leidensis *subigebant*.— Regii nostri *fodiebant*; τὸ *subigebant* ex memoria Virgiliani hemistichii venisse credendum. *Ed.*—*Arma operis*, instrumenta rustica. Virgilius, Georg. I, 160, *Dicendum et quæ sint duris agrestibus arma*.—*Opus* dicitur de labore rustico. — *Vacuos*, quia aufugerant coloni.—*Sarculaque, rastrique*. Codex Regius A male *sarculaque, et rastrique*; vide ad X, 262. *Ed.* — *Sarculum*, σκαφεῖον, instrumentum sarritionis.—*Rastri* magno erant pondere; Terent. Heaut. I, 1, 40, ubi Chremes eos tentavit, *Hui, tam graves hos?* — *Ligonibus* terra eruitur. *Longi ligones* etiam I, Pont. VIII, 59: sed h. l. unus MS *curvique*, quod Burmannus rectum judicat, quia curva ligonis forma cernitur in gemma apud Begerum Spicileg. Antiq. p. 71.

37. *Feræ*, furentes Bacchæ. — *Minaci*. Nonnulli *minaces*.—Regii nos-

Divellere boves, ad vatis fata recurrunt;
Tendentemque manus, et in illo tempore primum
Irrita dicentem, nec quidquam voce moventem,
Sacrilegæ perimunt : perque os, pro Juppiter! illud,
Auditum saxis, intellectumque ferarum
Sensibus, in ventos anima exhalata recessit.
Te mœstæ volucres, Orpheu, te turba ferarum,
Te rigidæ silices, tua carmina sæpe secutæ
Fleverunt silvæ : positis te frondibus arbos,
Tonsa comam, luxit : lacrymis quoque flumina dicunt

tri *minaci*. — *Divellere*. Regii nostri *divulsere* ; in præterito tempore rarius *divulsi* quam *divelli* ; utrumque dat Rob. Stephanus in suo Thesauro : sed solum *divelli* recepit auctor eruditissimus Grammatices dictæ *de Port-Royal*, *des prétérits et supins*, *Règle* 50. *Ed.* — *Divellere* Regius recte explicat, dilaceravere. A Bacchis enim angues, tauri, capri, vituli etc. ore discindi solebant, quod *bacchatim discerpere* dixit Apuleius, I; vide Heinsium et Burmannum.

39. *Et in illo tempore*. Regii nostri *atque illo*. — *In illo tempore* neminem offendere debet. Laudat Burmannus e Cicerone, Livio, et Suetonio, *in hoc tempore*, *in tali tempore*, *in tempore hiberno*. Sumtum tamen hoc loco est e duobus tantum MSS quum cæteri præferant, *atque illo*.

43. *In ventos*, in auras; V, 106, Emathion *medios animam exspiravit in ignes*; Seneca, Herc. Fur. 1312, *Hanc animam in ore primo teneo*; Seneca de Ira, III, 43, *spiritum exspuere*.

44. *Te mœstæ volucres* etc. Jam epicedium additur. Et merito theatrum, quod toties cantu suo moverat vates, nunc lugens inducitur. Apud Claudianum d. l. Orpheo nuptias celebranti feræ et volucres munuscula conferunt. — *Te*, *te* etc. ad imitationem Virg. Georg. IV, 465, ubi ad Eurydicen suavissime sermo vertitur, *Te, dulcis conjux, te solo in littore secum, Te, veniente die, te, decedente, canebat*. Ed. — *Rigidæ silices*. Vulgo *Rigidi silices*. — Mira est de hujus vocis genere varietas in iisdem libris; VII, 107, *soluti silices*, sine ulla varia lectione, ut videtur; IX, 613, Noster *Gierig* dedit *rigidas silices* ex duodecim MSS, quum cæteri habeant *rigidos* ; et hoc loco tres tantum, teste Heinsio, dant *rigidæ*, quum cæteri, et Regii nostri *rigidi*. Ed. — *Secutæ silvæ*. Horatius, I, Od. XII, *Unde* (ex Hæmo) *vocalem temere insecutæ Orphea silvæ*. — *Ponere capillos* phrasis solemnis. III, 506, *sectos fratri posuere capillos*. Suetonius Calig. 5, *barbam ponere*. — *Tonsa comam*, quia tonderi in luctu solebat coma, et *coma* de frondibus dicitur; vide ad X, 139. Et quum destringuntur folia, *tonderi coma* arborum dicitur; Virgilius, Georg. III, 21, *tonsæ folia olivæ*. — *Lacrymis* etc. Supra I, 584, Inachus, Deus fluvialis, *fletibus auget aquas*. Sed nunc flumina ipsa suis increscunt lacry-

Increvisse suis; obscuraque carbasa pullo
Naides et Dryades, passosque habuere capillos.
Membra jacent diversa locis: caput, Hebre, lyramque
Excipis; et, mirum, medio dum labitur amne,
Flebile nescio quid queritur lyra; flebile lingua
Murmurat exanimis; respondent flebile ripæ.
Jamque mare invectæ flumen populare relinquunt,
Et Methymnææ potiuntur litore Lesbi.

mis, quod est intolerabile luxuriantis ingenii signum.

48. *Carbasus*, palla carbasina, quam humeris fere injectam Fluvii in monumentis habent. Erat autem *carbasus* genus lintei tenuissimi et pretiosissimi. Virg. Æneid. XI, 775; Curtius, VIII, IX, 21, ibique interpretes vide. Luctus causa nunc erat *obscura*, colore *obscuro*, id est, austero; nempe *pullo*, id est, subnigro. Sed *pullum* hoc loco substantive, ut Liv. IV, 25, ubi Gronovius observat, sic usurpari etiam *album* et *nigrum*. Vestes lugubres etiam Dryades, VIII, 778, sumunt.—*Habuere*. Unus Moreti *habuisse*; hinc Heinsius suadet *Naïdas* et *Dryadas*; *passosque habuisse*, ut referatur ad τὸ *dicunt*.— Regii nostri *habuere*.

50. *Membra jacent* etc. Discerptus est, ut Pentheus, lib. III, v. 708 sqq. Etiam apud Virgilium *Hebrus* caput Orphei excipit, et *gurgite medio portat*. Secundum Phanoclem, vers. 11, Bacchæ caput et lyram clavo compegerunt, ut ἐμφορέοιντο θαλάσσῃ ἄμφω ἅμα. Idem etiam in seqq expressus: *Eurydicen vox ipsa et frigida lingua, Ah! miseram Eurydicen anima fugiente vocabat: Eurydicen toto referebant flumine ripæ*. Sed Noster, *nescio quid flebile queritur*. Sic Heroid. XVIII, 82, Alcyones *nescio quid visæ sunt mihi dulce queri*; Remed. 766, *Et mea nescio quid carmina dulce sonant*.—*Queri* eleganter de flebili et molli sono lyræ et tibiæ. Horatius, II, Od. XIII, 24, *Æoliis fidibus querens Sapho puellis de popularibus*; Lucretius, IV, 588, *dulces querelas, Tibia quas fundit*. — *Murmurat*. Confer V, 105, et VI, 558, ubi adeo, quod jure mireris, lingua jam resecta, *terræ tremens immurmurat atræ*. — *Respondent*, resonant per echo. Virgilius, Ecl. X, 8, *respondent omnia silvæ*; Horatius, I, Od. XII, 3, *recinere* sic dixit. Phanocles, vers. 16, ἠχὴ δ' ὡς λιγυρῆς πόντον ἔπισχε λύρης.

54. *Mare*. Quinque *mari*. — Regii nostri *mare*. — *Populare*, flumen ejusdem populi, unde et Orpheus. Etiam I, 517, *popularia flumina*, et IX, 20. — *Methymnæa*, quia Methymna urbs celeberrima Lesbi. Pro *Methymneæ* alii *Methymnæi*; Cantab. *Mitelenei*. —Regii nostri *Mitylenei*.—*Potiri* ita est etiam XII, 38; XIII, 729. Caput Orphei fluctibus in insulam Lesbon esse delatum, ibique sepulturæ mandatum plures tradiderant. Pro quo beneficio Lesbii ad musicam artem ingeniosissimi esse existimabantur; Hyginus P. A. II, 7; Arion enim, Alcæus, Sapho, Erinna Lesbii. Thraces contendebant, luscinias, quæ circa Orphei sepulcrum nidos habeant, suavius

Hic ferus expositum peregrinis anguis arenis
Os petit, et sparsos stillanti rore capillos.
Tandem Phœbus adest, morsusque inferre parantem
Arcet, et in lapidem rictus serpentis apertos
Congelat; et patulos, ut erant, indurat hiatus.
Umbra subit terras; et, quæ loca viderat ante,
Cuncta recognoscit; quærensque per arva piorum
Invenit Eurydicen, cupidisque amplectitur ulnis.

canere, quam alibi: vid. Pausanias Bœot. p. 769, ubi plura de Orphei sepulcro et ossibus habes. *Lyram* Jovis et Apollinis voluntate inter sidera retulisse Musæ dicuntur; Hygin. d. l.

56. *Expositum*. Vulgo *exposito*, et versu seq. quidam, *obstitit* pro, *os petit*. Sic legit etiam Planudes, qui vertit, ἄγριος ὄφις ἀντέστη. Unus Vaticanus *anguis in herbis*. Post versum 57, vulgo inseritur hic: *Lambit et hymniferos inhiat divellere vultus*, quem jam Ciofanus delendum indicavit. Pro eo in Vossii MS *Extemplo morsu cedit laniare ferino*. Heinsius conjicit *cepit laniare*. Capoferreus censet, ex duobus versibus conficiendum hunc unum: *os petit, et sacros inhiat divellere vultus*, quum de capillis otiosam mentionem esse contendat. Multi antiqui, *sparso stillantes*. — Regii nostri hos versus 56 et 57, ita legunt; Codex A: *Hic ferus exposito peregrinis anguis harenis Obstitit ad sparsos stillanti rore capillos*; Codex B: *Hic ferus expositis peregrinis anguis harenis Obstitit. et sparsis stillanti rore capillis*. Ex his duobus lectionibus vulgata videtur fuisse concinnata. Neuter codex habet versus quos refert *Gierig*. Ed.— *Expositum*, ejectum. — *Ros*, aqua roris instar guttatim destillans, ut lib. V, vers. 635.

59. *In lapidem*. Regius noster B male *in lapides*.—*Congelat*, in lapidem mutat, quia et *gelu* rigidum reddit. *Gelare* sic apud Lucanum, IX, 681, *vultusque gelassent Perseos aversi*. Mox *indurat* idem, ut etiam VII, 446, et IV, 744, *indurescere*, lapidem fieri. Alibi *dirigere* et *torpere* de saxea natura. Plutarchus de Flumin. (Ἕβρος) auctor est Orphei caput in draconem mutatum.—*Patulos*, late patentes, latos. Etiam Silius, III, 34, *patulus hiatus leonis*.

62. *Umbra subit terras*. Imago, animæ et corporis simulacrum: hoc autem ex opinione eorum, quibus homo constat anima, corpore, umbra; animam cælo, astris, aeri; corpus terræ; umbram inferis tradi volunt. Dido, Æn. IV, 654, *Et nunc magna mei sub terras ibit imago*. Ed. —*Cuncta recognoscit*. Seneca, Med. 632, *Contigit notam Styga*. — *Arva piorum*, campi Elysii, quos Æschines, Socrat. dial. III, 20, εὐσεβῶν χῶρον, Horat. Epod. XVI, 41, *arva beata* et II, Od. 12, *sedes piorum*; Cicero Phil. XIV, 12, *piorum sedem et locum* vocat. Ibi reperit Eurydicen; *Illic* enim *est*, *cuicumque rapax mors venit amanti*, ait Tibullus, I, III, 65. Ibi etiam *Threicius longa cum veste sacerdos Obloquitur numeris septem discrimina vocum*; Virg. Æn. VI, 645. — *Amplectitur ulnis*. Twisdenius *amplectitur alis*,

Hic modo conjunctis spatiantur passibus ambo :
Nunc præcedentem sequitur, nunc prævius anteit;
Eurydicenque suam jam tuto respicit Orpheus.

II. Non impune tamen scelus hoc sinit esse Lyæus;
Amissoque dolens sacrorum vate suorum,
Protinus in silvis matres Edonidas omnes,
Quæ fecere nefas, torta radice ligavit.
Quippe pedum digitos, in quantum quæque secuta est,
Traxit; et in solidam detrusit acumine terram :
Utque suum laqueis, quos callidus abdidit auceps,

ut *alas* pro brachiis posuerit.—Regii nostri bene habent *ulnis*.

64. *Conjunctis passibus*, juxta se, ut alter alterius latus tegat. Sic IV, 599, de Cadmo et Harmonia in serpentes mutatis, *junctoque volumine serpunt*. Proxima *nunc præcedentem* etc. addidit, ut lusum illum *jam tuto respicit* adhibere posset.

67-84. *Bacchæ* quæ Orpheum discerpserant, mutantur in arbores.

68. *Sacrorum vate suorum*, quia Orgia instituerat et versibus suis commendaverat.—*Edoni*, Thraciæ populus sic dictus ab Edono, Mygdonis fratre : vide Stephanum. Horatius, II, Od. VII, 26, *non ego sanius bacchabor Edonis*. *Edoni* etiam montes Thraciæ, in quibus Bacchi orgia præcipue celebrabantur; Trist. IV, 1 : hinc Bacchus ipse *Edonus* in Remed. 593 : vide Bentleium ad Horatium, III, Od. XXV, 8.—*Quæ fecere nefas*. Vulgo *videre nefas*.—Regius noster B hoc etiam habet ; sed bene priorem lectionem recepit cl. *Gierig*. Ed.— *Ligavit*, firmavit, ut hærerent radice pedes.—*Torta*; X, 490, *obliqua radix*; mox *lenta*.

71. *Quippe pedum digitos* etc. Nesciebat Glareanus utrum *traxit* de Baccho capiendum, an de singulis mulieribus. Fatetur etiam, se non intelligere verba, *in quantum quæque secuta est*. Neque Safftius horum verborum sensum assecutus est; vertit enim : *Er verlaengerte die Zaehen ihrer Füsse, womit eine jede ihm gefolgt war*. Potest tamen sensus facile expediri. Nempe qui mulieres illas *ligavit*, idem etiam earum digitos *traxit* et in terram detrusit; *quippe* enim habet vim explicandi. Neque *trahere* hic est longiores reddere, quanquam id factum esse a Baccho res ipsa docet; sed vis potius hujus vocis declaratur, qua Bacchus pedes retinuit et in terram detrusit : *in quantum* denique est, quatenus. Quotquot secutæ sunt, eas omnes mutavit. Auctoritatem τοῦ *in quantum*, quam olim impugnabant Grammatici, tuetur Burmannus exemplis Velleii, apud quem aliquoties illud occurrit, quanquam non uno sensu. Sed ante Ovidium neminem ita locutum esse, post alios contendit Schirachius, confer IV, 542; tum inde a vers. 550, similia his nostris phantasmata sequuntur. — *Detrusit*. In MSS *declusit, demisit, defixit* etc. legitur. — Regii nostri *detrusit*.

73. *Utque, suum laqueis*, etc. Quum sæpius Noster mutationes in arbores

Crus ubi commisit volucris, sensitque teneri,
Plangitur, ac trepidans adstringit vincula motu :
Sic, ut quæque solo defixa cohæserat harum,
Exsternata fugam frustra tentabat : at illam
Lenta tenet radix, exsultantemque coercet :
Dumque ubi sint digiti, dum pes ubi quærit, et ungues,
Adspicit in teretes lignum succedere suras;
Et conata femur mœrenti plangere dextra,
Robora percussit : pectus quoque robora fiunt;
Robora sunt humeri; porrectaque brachia veros

descripsisset, hic exhausta fuisse videtur ingenii copia. Bene igitur fecit, quod similitudinem adspersit; qua sublata non multum commendationis habet hæc fabula. — *Callidus*. quia *abditis* laqueis aves fallit, decipit etc., quibus fere verbis utuntur poetæ de aucupe et piscatore.— *Committere* nunc de ave, quæ imprudens et inscia in laqueos incidit. — *Trepidans motu*. Barberin. *trepidus* : supra ad III, 125, Heinsius monuerat scribendum *trepido substringit vincula motu*; sic *substricta ilia*. *substricta crura alibi* leguntur. Idem hoc loco conjicit *trepidans adstringit vincula motus*. aut *trepidante motu*. Cantabr. et Junii *vimina* pro *vincula* habent, quæ Burmannus de laqueis ex vimine factis accipiebat. Quod Heinsius conjecerat, *trepidante motu* non prorsus improbo : *trepidans motus* ut I, 506, et V, 605, *trepidans penna*.— Regii nostri habent *trepidans adstringit vincula motu*. — *Plangitur*. verberat se alis. Cæterum commode Heinsius laudat Senecam de Ira, III, 16 : *Sic laqueos feræ, dum iactant, adstringunt. sic aves viscum, dum trepidantes excutiunt, plumis omnibus illinunt.*

76. *Sic, ut quæque* dedit Heinsius ex tribus MSS, pro vulgato *Sic quæcumque*.—Hoc habent quoque nostri Regii, nec immerito vulgat. rejecit Heins. *Ed.*—*Lenta tenet*. Duo *longa tenet*. — Regii nostri bene habent *lenta*; *longa* enim videtur glossa; arborum scilicet radix semper plusve minusve *longa* est; *lenta* autem vox propria radicibus ut salicibus et virgultis, quæ flectuntur facile. *Ed.* — Ingeniose *exsultantem*, quæ conabatur prosilire et pedes a terra revellere. — *Coercet*, retinet.

79. *Dumque ubi sint digiti* etc. Confer IV, 591, *Cadme, quid hoc? ubi pes? ubi sunt humerique manusque?* —*Quærit* ex vetusto metri causa prætulit Regius vulgato *petit*. — Regii nostri *quærit*. *Teretes* : vide ad X, 112 : *teretes suras* laudat etiam Horatius, II, Od. 4.—*Succedere* nunc melius, quam *succrescere*, quod multi MSS habent, atque etiam IX, 35, sic legitur.—*Femur*. Plerumque pectora plangebantur, sed et aliæ corporis partes.

83. *Porrectaque brachia veros*. Plurimi *longas quoque brachia veros* aut *veras* : Heinsius hinc putabat *brachia vera* aut *porrectaque brachia veros Esse putes ramos*.—Codex Regius A nihil mutat, et bene : Codex B, se-

Esse putes ramos, et non fallare putando.
III. Nec satis hoc Baccho est: ipsos quoque deserit agros;
Cumque choro meliore, sui vineta Tymoli,
Pactolonque petit; quamvis non aureus illo
Tempore, nec caris erat invidiosus arenis.
Hunc adsueta cohors Satyri, Bacchæque frequentant:
At Silenus abest; titubantem annisque meroque

ros quoque brachia longos. — Confer notam libri X, 250, unde apparebit, superfluas esse hoc loco Interpretum emendationes. Lusit rursus Ovidius, more suo.

85–145. ***Midas***, rex Phrygiæ majoris, impetravit a Baccho, ut quidquid attingeret, aurum esset. Quo munere instructus, quum fame cruciaretur, Bacchus jussit, ut se ablueret in Pactolo fluvio. Quo facto ille rediit in pristinum statum, fluvius autem aurum ferre cœpit. Conf. Hyginus, fab. 191; Conon. apud Phot. cap. 1; Servius ad Virgilium, Ecl. VI, et Æneid. X, 142; Maximus Tyrius Serm. 30. Narraverat hæc et Theopompus. Nempe Phrygiæ regnum Gordius condidit, cujus filius Midas ei successit anno 1428 ante Christum. Fabulam autem de auro ejus inde ortam credit cl. vir *Goguet* de Origine artium, tom. II, p. 266, quod Midas terræ suæ proventum bene vendiderit, mercaturamque, quæ tropo non admodum duro dici possit omnia in aurum mutare, promoverit. Certe etiam nos dicimus de colonis, qui agrorum suorum proventum bene vendunt, *sie wissen ihre Producte zu versilbern.* Ancoram invenisse Midas traditur a Pausania, Attic. p. 12, quemadmodum ad Demodicen, uxorem ejus, artem signandi nummos referebant; Pollux, lib. VII, cap. VI, §. 181. Divitiæ Midæ in proverbio erant; Tyrtæus, III, 6; Plinius, XXXIII, 15. —E Thracia transimus in Lydiam et Phrygiam. — *Non satis* ei *est*, cujus ira non mitigata est uno supplicio. —*Chorus* Bacchi voc. proprio *thiasus* dicebatur; vide ad III, 529. — *Vineta.* Quidam *pineta*, *dumeta*, *spineta.* — Regius Codex noster A, *spineta*; Codex B, *vineta* et supra *vel pineta.* De *vinetis Tymoli* vide ad VI, 15.—*Sui* propter vineta. Maluit *aureus*, quam aurifer, quia ex mente poetæ etiam aqua Pactoli aurea fuit: vide vers. 142. — *Nec caris*, id est, pretiosis; *nec fulvis.* — Regii nostri *caris; fulvis* pro glossa est. *Ed.* — *Invidiosus arenis*, præclare, cujus arenas cum invidia expetebant homines. Sic supra, IX, 10, *invidiosa spes.* — *Frequentant.* Quinque *sequuntur.* — Regii nostri *frequentant.*

90. *Silenus*, præceptor et comes Bacchi, princeps istius chori, quem adeo statim desiderat, et de cujus absentia sollicitus est Bacchus. Bene ergo hoc admonitum, *At Silenus abest.* Hyginus, dicto loco: « Eo tempore Liber pater quum exercitum » in Indiam duceret, Silenus aberravit, quem Midas exceptum hospitio liberaliter accepit, atque ducem dedit, qui eum in comitatum » Liberi deduceret. » In Phrygiam aufugerat auctore Lactantio in Argument. Silenus et senex et semper

Ruricolæ cepere Phryges, vinctumque coronis
Ad regem traxere Midan; cui Thracius Orpheus
Orgia tradiderat cum Cecropio Eumolpo.
Qui simul agnovit socium, comitemque sacrorum,
Hospitis adventu festum genialiter egit
Per bis quinque dies, et junctas ordine noctes.
Et jam stellarum sublime coegerat agmen
Lucifer undecimus, Lydos quum lætus in agros

ebrius, hinc, *titubantem* etc. Ebrii descriptionem elegantem habes VI Fast. 677 sqq, *concitæ valido titubantia vino membra movent, dubii stantque labantque pedes*. Vinum in fontem infudisse Midas traditur, ut inebriatum Silenum caperet; isque fons *Midæ fons* appellatus serioribus adhuc temporibus ostendebatur. Xenophon de Cyri Exped. 1, init.; Pausanias Attic. p. 12; Maximus Tyrius Serm. 30. Ab hoc Sileno varia edoctus est. Unum ex eo genere sermonem habet Ælianus Var. Hist. III, 18, ubi Perizon. observat, finxisse Midam hæc, ut tanto majorem legibus suis sanctitatem adderet.

91. *Vinctumque coronis*. Quidam *catenis*; quatuor *colonis*. tunc *cinctumque* legendum. — Ambo nostri Regii *coronis*; sed Codex B in margine habet *vel catenis*. — *Vinctum coronis* Gruter. ad Livium XXXIII, 46, explicabat, circumcinctum orbibus agricolarum. Sed satis eam ob causam castigatus est a Burmanno qui *coronas* intelligit quas Silenus indulgens vino solebat capiti imponere, quibus Phryges pro vinculis usi sint, ut apud Virgilium, Ecl. VI, 19, *Injiciunt* Sileno *ipsis ex vincula sertis*. — *Traxere Midan*. Vulgo *Midam*. Arondel. *Midan*. — Regii nostri *Midan*. — [illegible] Justinus, XI, 7, 14: Post » hunc (Gordium) filius Mida re» gnavit, qui ab Orpheo sacrorum » solemnibus initiatus, Phrygiam » religionibus implevit, quibus tu» tior omni vita quam armis fuit. » Adde Conon. apud Phot. I, p. 424. — *Eumolpos* tres habuit antiquitas. Primus fuit Thrax, Neptuni et Chiones filius, qui vixit tempore Erechthei, contra quem Eleusinios incitavit. Inter hos mysteria instituit. Vid. Heynius ad Apollod. III, xv, 4. Ejus posteri sedem fixisse Eleusine videntur, et cum Atheniensibus matrimonia iniisse. Hinc Athenis natus noster Eumolpus, Musæi filius, Orphei discipulus, qui etiam Herculem ab inferis reducem initiavit. Sed confusi fere sunt a Veteribus, etiam a Nostro III Pont. III, 41, primus et hic tertius Eumolpus; vid. Micyllus et Burmannus.

94. *Qui simul* Undecim *Quem simul*. — Regii nostri *Qui simul*. — *Genialiter*, ita ut genio indulgeretur, laute et hilariter: Fast. III, 523, *festum geniale*. Vide ad IV, 14. — *Ordine*. continuas. Virg. Georg. IV, 507, *septem ex ordine menses*. Hoc Claudianus, IX, 4, vocat *qualis continuare dies*.

97. *Et jam stellarum* etc. Confer, II, 114, ibique notam. — *Lætus*. Argentin. *iratus*, quod Heinsius verum putabat, quia et apud Calpurn. Ed

Rex venit, et juveni Silenum reddit alumno.
Huic Deus optandi gratum, sed inutile, fecit
Muneris arbitrium, gaudens altore recepto.
Ille male usurus donis; ait; « Effice, quicquid
» Corpore contigero, fulvum vertatur in aurum. »
Adnuit optatis, nocituraque munera solvit
Liber; at indoluit, quod non meliora petisset.
Lætus abit, gaudetque malo Berecynthius heros;
Pollicitamque fidem tangendo singula tentat.
Vixque sibi credens, non alta fronde virentem
Ilice detraxit virgam; virga aurea facta est.
Tollit humo saxum; saxum quoque palluit auro:

VII, *lentus venis:* temere. — Regii nostri *lætus*. — *Lætus* ob inventum Silenum festumque genialiter actum. — *Juveni*, Baccho, cui æterna juventus; IV, 26.

100. *Huic Deus optandi.* Vulgo *optanti.* — Regii nostri *optandi.* — Lactantius, Argum. « optandi veniam » dedit. » Hyginus: « deoptandi de- » dit potestatem, ut quidquid vellet » peteret a se. » — *Facere arbitrium*, ut *facere copiam.* — *Inutile*, perniciosum. — *Altore.* Sileno nutritore. *Ed.*

104. *Adnuit optatis.* Gronovianus et quatuor alii *adnuit optanti.* — Regii nostri *optatis.*

106. *Berecynthius* non Phrygius, sed Cybeles Berecynthiæ filius, quia additur *heros*, id est, Deæ filius. Sic *Philyreius heros*, *Neptunius heros* etc. Hyginus d. l. « Midas rex Mygdo- » nius, filius matris Deæ. » Lactantius in Argum. fab. IV. « Qui tamen » fertur Midas esse Matris Magnæ » filius: sic enim cum Hesiodo con- » sentit Ovidius. » — *Malum*, donum, quod ipsi mox erit perniciosum. Præferendum igitur *malo* τῷ *datis*, quod ab aliis defenditur. — *Pollicitam.* Quidam *pollicitis*, *pollicito*, *pollicita*. *Pollicitam fidem tentat*, periculum facit, an fides habenda promissis; vide ad vers. 135. Sed sic ex uno Twisdenio MS Heinsius dedit pro *Pollicitique*, quod tuetur Schirachius, quia nefas sit uni Codici fidem habere, cæteris renuentibus. Illud magis poeticum, sensus tamen manet idem. Fast. III, 366, *pollicitam addere dictis fidem:* Pseudo-Lactantius de Pascha, vers. 65, *pollicitam redde fidem.* — *Singula*, aliud post aliud. Amor. I, 5, *singula quum miror.* Sic aliquoties Phædrus.

108. *Sibi*, suæ arti, vix credebat præ nimia lætitia. — *Fronde.* Quatuor *fronte.* — Regius noster A, *nunc alta fronde:* melius forte. *Ed.*

110. *Pallere* recte de auri colore. — *Contigit et glebam.* Heinsius conjicit *ut glebam.* — Regii nostri *et glebam.* — Bene *potenti contactu* propter magnam vim. Amat Noster hanc vocem; apud quem *potentes herbas*, *potentia verba*, *potens forma*, etc. — Jam suo modo Noster recenset singula experimenta, quæ fecerit Midas, sed modum rursus servare

Contigit et glebam; contactu gleba potenti
Massa fit : arentes Cereris decerpsit aristas ;
Aurea messis erat : demtum tenet arbore pomum ;
Hesperidas donasse putes : si postibus altis
Admovit digitos ; postes radiare videntur.
Ille etiam liquidis palmas ubi laverat undis,
Unda fluens palmis Danaen eludere posset.
Vix spes ipse suas animo capit, aurea fingens
Omnia : gaudenti mensas posuere ministri,
Exstructas dapibus, nec tostæ frugis egentes.

nescivit. Quum igitur in tanto experimentorum numero orationem variare vellet, ne τὸ *aureus* toties repeteretur, verbis interdum incommodis, nec satis definitis usus est, verbi causa, 112, *fit massa;* qualis tandem? vers. 115, *radiare* etiam de argento, gemmis etc. dicitur; vers. 122, *rigere* vel maxime de ferro et lapidibus usurpatur, neque adeo illa vocabula auro sunt propria. Melius est, quod bis ad fabulas allusit, v. 114 et 117. Confer similem formam, VIII, 25 sqq. — *Arentes Cereris* etc. Sprotii liber habet *Cererem;* tunc Heinsius volebat legi *arentis Cererem decerpsit aristæ:* Burmannus vero *arenti .... aristæ*, quia VIII, 292, *Cererem in spicis intercipit*, ubi *Ceres* sunt spicæ vel grana, unde panis conficitur; et Fast. V, 322, *grandine læsa Ceres* et alibi passim. Heinsius autem, servata prima lectione, putabat scribendum in versu sequenti *Aurea messis erant*, nempe *aristæ*.— Regii nostri nihil mutant. — *Messis* de paucis aristis, sed quæ maximi pretii essent.—*Demtum*, decerptum. Etiam Heroid. XX, 9, *demtus ab arbore fœtus*. Supra I, 492, *demtæ aristæ*.

114. *Hesperidas donasse putes*. Nam Hesperides hortos habuisse dicuntur poma aurea ferentes. *Ed.*—*Si postibus altis*. — Regii nostri *ubi postibus altis*.—*Altis* quippe in regia.

116. *Ille etiam*. Heinsius malebat *Illi etiam*. — Regii nostri bene *Ille;* directe. *Ed.* — *Eludere*. Octo *deludere*. — Regii nostri *eludere;* sed in Codice B inter lineas, scriptum est *vel de*.—*Eludere*, decipere, ut VI, 103. — *Danaen*. Referebat aureum imbrem, quo Jupiter auripluus Danaen elusit. *Ed.*—Post hunc versum multi addunt alium : *Corporis et membris resplenduit aurea vestis*, vel *e membris*.—Regii nostri habent hunc versum *Corporis et membris* etc. quem Ovidio tribuendum puto; sed mallem *Corporis e membris*. Ed.

118. *Vix spes* etc. Post hæc felicia experimenta *Vix spes ipse suas animo capit*. Præclare! non cogitare omnia simul potest, quæ deinceps aurea facturus est noster alchymista. Sed mox mutabitur ille affectus animi.— *Mensas posuere;* vide ad IX, 92. — *Exstructas* verbum delectum pro vulgari, instructas; illud enim majorem copiam ciborum declarat, quibus instructa erat beati regis mensa. Cicero Tusc. V, 21, *mensæ conquisitissimis epulis exstruebantur*.— *Tos-*

Tum vero, sive ille sua Cerealia dextra
Munera contigerat, Cerealia dona rigebant:
Sive dapes avido convellere dente parabat,
Lamina fulva dapes, admoto dente, nitebant.
Miscuerat puris auctorem muneris undis;
Fusile per rictus aurum fluitare videres.
Attonitus novitate mali, divesque, miserque,
Effugere optat opes; et, quæ modo voverat, odit.
Copia nulla famem relevat: sitis arida guttur
Urit, et inviso meritus torquetur ab auro.
Ad cælumque manus, et splendida brachia tollens,

tæ frugis. Tres *coctæ*.—Regii nostri *tostæ*. — Priscæ gentes tostis igne granis vesci solebant; atque etiam serioribus temporibus far igni torrebatur, ut facilius mola frangi posset; VI Fast. 313 sqq; Virg. Georg. I, 267; Plinius, XVIII, 2.

124. *Nitebant*. Perquam incommode hic *nitoris* mentio fit. Dentibus enim *rigor*, non nitor sentitur. Parum igitur h. l. consulebat Burmannus, qui conjiciebat *virebant*, quod et ipsum de colore auri adhibetur. Melius est, quod multi MSS habent, et quod Naugerius in postrema edit. expressit, *premebat*. Sensus: lamina fulva obduxit dapes, quum dens admovebatur. Sic *premere* est IX, 353; *lentus premit inguina cortex*. Mihi tamen ex novem MSS non displicet, *rigebant*, et tunc vers. 122, hoc verbum in *nitebant* mutandum erit. Facile hæc duo verba sic transponi et permutari a librariis potuerunt.—Regii nostri habent *premebat*. quod certe melius est, nisi mutatio quam petit *Gierig* admitti possit. *Ed.*

125. *Miscuerat auctorem*. Vinum per metonymiam dici *Bacchum* satis notum est. Sed quid Ovidius? Abusus illa poetarum licentia *auctorem muneris* dixit, quasi ipsum Deum miscuisset. — *Fusile*, fusum: duo *fluxile*. Regii nostri *fusile*.

127. *Divesque miserque*. Breviter, sed graviter sortem Midæ notant verba sic conjuncta, animumque legentis feriunt propter opinionem vulgi, quæ a divitiis non disjungit beatitatem, et propter defrustratam Midæ spem.—*Novitate mali*, inusitato et inaudito malo.—Bene *effugere*, quia quocumque fugiebat, vim illam omnia mutandi in aurum secum ferebat.—*Et quæ modo*. Heinsius scribebat *et quas modo*, scilicet opes.—Regius noster Codex A, *quæ*; Codex B, *quas*.

129. *Sitis arida*, e Lucretio, VI, 1174, quia sitientes aridum habent guttur.—*Urit* convenit ardentissimæ sitis cruciatibus. Schol. Aristophanis ad Plut. vers. 287, tradit, Midan hac fame absumtum periisse. — *Meritus*. Regius noster A, *merito*; B, *merit*, et in margine *vel merito*: sed melius ex plerisque scriptis *meritus* dedit Heinsius. *Ed.*

131. *Splendida*. Etiam vestes au-

« Da veniam, Lenæe pater; peccavimus, inquit;
» Sed miserere, precor; speciosoque eripe damno. »
Mite Deûm numen Bacchus peccasse fatentem
Restituit, pactamque fidem, data munera, solvit.
« Neve male optato maneas circumlitus auro,

ream naturam a corpore rapuerunt. Hoc certe dicit versus is, qui post versum 117, a multis MSS inseritur, *Corporis et* (alii *e*) *membris resplenduit aurea vestis*, quem ego non plane repudiem. Lenzius putat, ipsa brachia auro fuisse obducta. Dura vero est altera ejus ratio, qua *splendentia* explicat, quæ tactu omnia mutariut in aurum splendidum. Idem monet, e verbis *ad cœlum tollens* apparere, Bacchum tum fuisse in cœlo, et inde vers. 136, responsum dedisse. Equidem putem, verbis illis nil nisi gestum precantium notari.—*Speciosoque eripe damno.* Tres *pretioso.*—Regii nostri *specioso.*—*Damnum*, malum, quod nobis damno est: *speciosum*, splendidum. Hyginus, *Quum jam fame cruciaretur, petiit a Libero, ut sibi speciosum donum eriperet;* ubi *speciosum* rescribendum existimat Burmannus, ut Ovidii verba exprimantur, sicuti frequenter apud Hyginum, et comparat idem Burmannus ex Alciphrone, III, 38, λαμπρὰν ζημίαν, sed id ibi potius manifestum incommodum significat.

134. *Mite Deum numen;* quod Heinsius dictum putat pro, mitissimum Deorum numen, ut alibi *magna Dearum* pro, maxima. Malit tamen *Deum* mutari in *reum*, ut allusum fit ad confitentes reos; idque illustrat ex Pont. II, VI, 8, *aspera confesso verba remitte reo.* Burmannus conjicit *Mite Deus numen B.* Quæ conjecturæ supervacaneæ esse videntur, si *Deum numen* pro mera periphrasi Dei ipsius habeamus. Bacchus, qui mitis Deus esse solet, restituit etc. Certe apud Virgilium plus semel *numen Deum* est Deus. Quod v. c. Homerus dixerat ἄνευθε θεοῦ, id Æneid. II, 777, reddit, *sine numine divum:* vide ibi Heynium. *Mitis*, qui sinit se exorari.—*Restitui* absolute, aut addito τῷ *sibi* in jure dicuntur, qui in pristinum statum restituuntur, et hoc loco quibus redditur pristina natura. Lactantius in Argum. *Cui Deus ut restitueretur sibi fecit.*

135. *Fides* interdum idem quod promissum: vide Gronov. ad Senecam, IV, de Benef. cap. 35. Sed plerumque additur *pacta* aut *pacti* (nam utrumque recte dicitur, et utriusque generis exempla congessit Heinsius) ut vers. 107, *pollicita fides.* Per appositionem additur, *data munera.*—*Solvit* Regius explicat, resolvit, irritam fecit. Sic et Lenzius, qui comparat *pactum*, *fædus solvere;* Burmannus punctum ponit post *restituit*, et *solvit* mutat in *solvi*, ut Bacchi hæc sint verba, ad quæ jam pertinet, quod demum vers. 137, sequitur, *ait.* Alteram illam lectionem debemus ingenio Heinsii, quum antea legeretur nullo sensu: *factique fide data munera solvit.* Varietates MSS sunt, *pactique fidem*, *factaque fide*, *factamque fide.*—Regii nostri habent *factique fidem*, *data munera*, *solvit:* sed præstat multo lectio Heinsii. *Ed.*

136. *Circumlitus*, cujus vel cutis

» Vade, ait, ad magnis vicinum Sardibus amnem,
» Perque jugum montis labentibus obvius undis
» Carpe viam ; donec venias ad fluminis ortus :
» Spumiferoque tuum fonti, qua plurimus exit,
» Subde caput, corpusque simul, simul elue crimen. »
Rex jussæ succedit aquæ : vis aurea tinxit
Flumen, et humano de corpore cessit in amnem.
Nunc quoque jam veteris percepto semine venæ

vel vestis auro obducta. — *Amnis*, Pactolus, qui e Tmolo prorumpit et medios Sardes perfluit ; Herodot. V, 101 ; Strabo, XIII, p. 625 ; Plin. V, 29. — *Magnis Sardibus*. Observat Burmannus *magnas urbes* Nostrum passim vocare metropoles ; v. c. Heroid. VII, 165, *magnas Mycenas* ; infra XIV, 457, *magnam Diomedis urbem*. Supra VII, 553, *magna urbs*, caput Æginæ insulæ. Et credibile est, magno ambitu fuisse Sardes. Certe Herodot. qui Cadytim πόλιν μεγάλην vocat, addit, Σαρδίων οὐ πολλῷ ἐλάσσονα. — *Vade*, nempe ex agris Lydiæ, ubi nunc versaris. Nondum enim in Phrygiam redierat, sed vs. 106 e Bacchi tantum conspectu *abierat lætus*. — *Montis*....*undis*. Ciofanus e MSS dedit *undis* pro *ulnis* ; tum *ripæ* in *montis* mutavit Heinsius quatuor MSS auctoritate : malit tamen *Tmoli* aut *rupis* ; quidam *vitæ*. — Codex Regius A, *montis* ; Codex B, *ripæ* : ambo habent *undis*.

140. *Qua plurimus exit* indicat, jam ab origine maximum esse fluvium. Sic Virgilius, Æneid. I, 419, de magno monte, *qui plurimus urbi imminet*. Supra, VIII, 584, *plurimus amnis*, maximus. — *Elue crimen*. Gronovii, Sprotii, Thuani libri *ablue*. — Regii nostri *elue*.

142. *Succedere*, accedere. Vide ad III, 165. — *Vis aurea*, vis, potestas omnia in aurum mutandi, quæ paulo ante *crimen* vocatur, quia per stultitiam suam eam impetraverat Midas. Lenzius *crimen* intelligit preces temerarias, quæ lavando, ut culpa lustrando, ablui potuerint. — *Tinxit*. Hinc Lactantius in Argum. *aqua aurei coloris esse cœpit* ; Claudianus, in Eutrop. II, 260, *nec miror aquas radiare metallo, Quæ toties lavere Midam*. At ille tantum, ut hodie etiam Rhenus et Tagus, χρυσοῦ ψῆγμα πολὺ, multa ramenta aurea, secum ferebat, inde dictus *Chrysorrhoas*, notante Plinio. *Rutila ei arena* tribuitur a Juvenale, XIV, 112. Hinc *Lydium aurum* et *Pactoli divitiæ* proverbialiter dici cœperunt de re pretiosa et summis divitiis. Horat. Epod. XV, 20, *Pactolus tibi fluat*.

144. *Nunc quoque* etc. Id falsum est ; nam Strabo, qui et ipse Augusti tempore floruit, scribit, Νῦν δὲ ἐκλέλοιπε τὸ ψῆγμα. Multo minus *arva* unquam vicina riguerunt auro. Sed ita et alii poetæ. Virgilius, Æn. X, 142, *Pactolos culta irrigat auro* ; Propertius, I, VI, 31, *Lydia Pactoli tinguit aratra liquor* ; Seneca, Phœn. 604, *Opulenta Pactolus inundat auro rura*. Vis aurea comparatur cum *vena* in metallifodinis. Pro *jam* Burmannus malit *tam veteris* ; ita

Arva rigent, auro madidis pallentia glebis.
IV. Ille, perosus opes, silvas et rura colebat,
Panaque montanis habitantem semper in antris.
Pingue sed ingenium mansit; nocituraque, ut ante,
Rursus erant domino stolidæ præcordia mentis.
Nam, freta prospiciens, late riget arduus alto

enim augeri miraculum ex tam antiquo tempore adhuc venam auream sufficere.

146–193. *Midæ aures in asini aures.* Midas quum certamini musico Apollinis et Panis interfuisset, principatumque ad Pana detulisset, ab Apolline accipit asininas aures, idque dedecus unus ex famulis singulari quodam modo in vulgus effert. Conf. Hyginus, fab. 191; Fulgentius, Mytholog. III, 9; Nicephor. narrat. III, ab Allatio editus; Suidas in Μίδας. Tractarant hæc et Hesiodus, quem consentire cum Nostro Lactantius in Arg. ait, et Sosibius tragicus. Varie Veteres hanc fabulam interpretati sunt. Vide Schol. Aristophanis ad Plut. vers. 287, ubi complures sententias recenset, v. c. eum habuisse ὠτακουστὰς, id est, delatores, qui, quæcumque audivissent, ad eum deferrent, aut eum habuisse vicum aures asini dictum, etc. —Aristophanis vero interpres narrat Midæ natura prælongas fuisse aures; vel etiam quod Bacchi asinos præteriens injuria affecisset, affixas illi ab irato numine aures asininas. Tzetzes autem ad Lycophr. refert, duos fuisse in Phrygia colles, qui *aures asini* vocarentur, quos quum expugnasset Midas, latronesque inde sustulisset, fabulose dictum Midam asini aures occupasse. *Ed.*—Lenzius monet, mythi hujus tractationem deberi dramati satyrico, quo Panis et Apollinis certamen expositum sit. Copiose de Mida egit Simsonius in Chron. ad annum 2308.

146. *Ille* Burman. mutatum malit in *Inde*, id est, ideo, vel ab eo tempore. Relicto aulæ splendore *silvas et rura*, vitam rusticam, præferebat. Ita enim *colere* hic accipi potest, præferre, priore loco habere, ut apud Virgilium, Georg. II, 413, *Rus exiguum colito.* Idem *colebat*, venerabatur, Pana. In dilogia ergo verbum positum more poetarum. — *Antris.* Complures *arvis.* — Ambo nostri Regii *antris*, at Codex B inter lineas *vel in arvis*: sed melius conveniens *antris*. Ed. — De *antris* Panis vide ad I, 699, et Barnesium ad Euripidem, Ion. 402.—*Pingue*, stolidum ut apud Horatium, Sat. I, III, 58. — *Stolidæ.* Regius Codex B *stultæ*: servandum est *stolidæ*.—*Præcordia* ponuntur pro corde, deinde pro animo et mente; hinc nunc *præcordia mentis*, mens, forte ad Homericum, ἐν φρεσὶ θυμός. *Mens animi* dixerunt Plautus et Catullus: vide Schrader. ad Musæum, pag. 192. Sosibius ei tribuit νοῦν φωτὸς οὐδένος.

150. *Nam freta prospiciens* etc. Hoc ornate extulit: *prospicere*, ex alto et longinquo loco desuper inspicere (II, 90; VIII, 338), eleganter de ædibus dicitur in montibus sitis, (Phædr. II, v, 10), atque etiam de montibus ipsis, unde prospectus est aliquo, ut hoc loco in *freta*.—*Riget* Saffiius vertit: *Er hat hieselbst vom weiten ein froeliches und laechendes Ansehen*.

Tmolus in adscensu; clivoque extentus utroque,
Sardibus hinc, illinc parvis finitur Hypæpis.
Pan ibi dum teneris jactat sua carmina Nymphis,
Et leve cerata modulatur arundine carmen;
Ausus Apollineos præ se contemnere cantus,
Judice sub Tmolo certamen venit ad impar.
Monte suo senior judex consedit; et aures
Liberat arboribus: quercu coma cærula tantum
Cingitur; et pendent circum cava tempora glandes.

quasi legerit *ridet*. At ego hanc varietatem nuspiam notatam reperi, neque vastus et arduus mons *ridere* dici potest. Sed pro simplici *est* aut *stat* maluit exquisitius *riget*, quod bene convenit naturæ montium. Lactantius, Instit. II, XVII, 9, *hominem rigidum figuravit*, id est rectum. Opif. VIII, 2, *hunc ad cœli contemplationem rigidum erexit*. — *Alto*. Quidam (et nostri Regii) *alte*. Quia ipse *Tmolus arduus*, altus est, *altum* habet *adscensum*. Inter Sardes et Hypæpas extenditur Tmolus, mons latus et altus. Olim scribebatur *Tymolus*; Græcis enim est Τύμωλος et Τμῶλος; Plinius, dicto loco, *Tmolus, qui antea Tymolus appellabatur*. Sed jam apud Homerum, Il. B, 866, occurrit Τμῶλος. — *In* redundanter additum. — *Extentus*. Vulgo (et in nostro Regio B) *extensus*. — *Clivus uterque*, utrumque latus montis. Sardes *in latere Tmoli* ponit etiam Plinius, Hist. Nat. V, 29. — De *parvis Hypæpis* vide ad VI, 13.

153. *Pan ibi dum teneris* etc. Pana elatum fuisse sua arte e sequentibus apparet. Bene igitur *jactat sua carmina*, cantat, se ostentandi et gloriæ quærendæ causa. — De *nymphis* Tmoli confer VI, 15. — *Leve*, pastoritium. — *Cerata arundo*, fistula pastoritia ceris glutinata, de qua vide ad I, 710. — *Modulari carmen*, ut apud Virgilium, Ecl. X, 51, *carmina pastoris Siculi modulabor avena*, et sæpe; vide Burmannum. Sed et *moderatur*, quod habent multi MSS, et quod Heinsio placet, ferri posset, quandoquidem passim occurrit *moderari* lyram, fides, carmen, quanquam in plerisque locis MSS non minus variant, quam hoc loco. Sed ego miror Burmanno non inelegantem visam esse unius Leidensis Cod. lectionem, *jaculatur*. Dicit quidem, se id illustrasse ad Petronium, cap. 109; sed vereor, ut ibi satis idoneis exemplis usus sit. Unus *meditatur*. — Regii nostri ambo *modulatur*.

156. *Tmolo*. Deo montis; namque et montibus sua fuerunt numina, sicut et fontibus. *Ed*. — Hinc Deus Tmolus describitur, ut alibi Inachus Deus fluvii Inachi. Conf. descriptio Atlantis apud Silium, I, 205 sqq. — *Consedit*, more judicum, unde *sedere* proprie de judicibus. Cinctus erat *arboribus*, coronis variarum arborum, quia montis cacumen arboribus consitum: eas nunc deponit, sed pro eo melius, *liberat arboribus*; auribus enim apertis opus erat in hoc certamine musico. — *Coma cærula*, quia arbores et montes lon-

Isque Deum pecoris spectans; « In judice, dixit,
» Nulla mora est. » Calamis agrestibus insonat ille:
Barbaricoque Midan, aderat nam forte canenti,
Carmine delenit: post hunc sacer ora retorsit
Tmolus ad os Phœbi; vultum sua silva secuta est.
Ille caput flavum lauro Parnaside vinctus
Verrit humum Tyrio saturata murice palla:

ginqui cærulum colorem referunt. —*Cava tempora* ingenii summi acumen præ se ferre putat Ciofanus. At etiam equis et juvencis, aliisque animantibus *cava tempora* tribuuntur, et Atlanti monti apud Silium, d. l. Est potius epitheton ornans et solemne temporum, quæ depressiora cæteris partibus.

160. *Isque Deum.* Burman. mallet *Inde Deum.* — Regii nostri habent *isque*; lectio Burmanni tota e conjectura; tamen non displiceret. *Ed.* — *Insonat* nunc active, canit. Primus Mediceus *intonat*, quod placet Heinsio. — Regii nostri *insonat.* — *Barbaricum carmen* Saffiius interpretatur *barbarische Toene.* Sic et Rod. atque Lenzius. Imo *barbaricum* est Phrygium. Virgilius, Cir. 166, *barbarica buxus*, tibia Phrygia; Euripides, Iphig. Aul. 576, Paris βάρβαρα συρίζων Φρυγίων αὐλῶν. Et *Phrygius modus*, qui nullos habebat modulos, (Aristot. Probl. sect. XIX, §. 49) atque in sacris adhibebatur, Porphyrio dicitur βάρβαρος. Phrygio carmine Phrygiæ regem delenit. — *Aderat forte* cum multis aliis auditoribus: vide versum 173. Apud Fulgentium Midas judex sedet in certamine Marsyæ et Apollinis.—*Delenit*, pro *deliniit*, ex Florentino S. Marci restituit Burmannus, et ita semper scribendum judicat. — Codex Regius A *delinit*; Codex B *deliniit.*—*Sacer*, ut VIII, 597, *sacri amnes.*—*Ora retorsit.* Antiqui plurimi (et nostri Regii) *ora resolvit*; unus Vaticanus *remisit.* — *Vultum sua silva secuta.* Sex non ineleganter *dominum.* — Nostri Regii *vultum.* — Nihil aliud, nisi caput retorsit cum suis frondibus. Lenzius tamen hoc inesse putat, arbores frondesque auscultandi causa sponte esse secutas.

165. *Ille caput flavum* etc. Nunc Apollo prodit et doctus et artifex, et egregie ornatus. Qui hic describitur, habitus erat citharœdorum. Auct. ad Heren. IV, 47: « Uti citharœdus, quum prodierit, optime » vestitus, palla inaurata indutus » cum chlamyde purpurea, coloribus variis intexta, et cum corona » aurea magnis fulgentibus gemmis » illuminata, citharam tenens exornatissimam, auro et ebore distinctam, ipse præterea forma et specie » sit, et statura apposita ad dignitatem. » Confer Tibullum, III, IV, 25 sqq. — *Palla* vestis longior deorum dearumque, vatum, citharœdorum et tragœdorum cum longo syrmate: vid. Christius de Imagg. Musarum, p. 5; et Bruckhusius ad Tibullum, IV, VI, 13. Longior illa vestis, quæ fere dicitur *fluere. fundi, defluere ad pedes, ferire pedes*, nunc *verrit humum*, ut VII, 706, in excellentissima Boreæ descriptione.

Distinctamque fidem gemmis, et dentibus Indis
Sustinet a læva : tenuit manus altera plectrum.
Artificis status ipse fuit : tum stamina docto
Pollice sollicitat : quorum dulcedine captus
Pana jubet Tmolus citharæ submittere cannas.
Judicium sanctique placet sententia montis
Omnibus : arguitur tamen, atque injusta vocatur
Unius sermone Midæ : nec Delius aures
Humanam stolidas patitur retinere figuram ;

Horatius, A. P. 215, *traxit vagus per pulpita vestem*; Tibullus, d. l. *Ima videbatur talis illudere palla*. Sed pro *verrit* hoc loco, unus MS Basileensis *sulcat*, satis eleganter. Claudianus, in Eutrop. II, 300, *currus sulcat juga*. — *Saturata Tyrio murice*, satis imbuta colore purpureo. *Satur color* e Plinio notus. — *Fides*, cithara; Horatius, I, Od. XVII, 18, *fides Teia*, lyra Anacreontis Teii. Glossarium Græco-Lat. *Fidis*, λύρα, κιθάρα. Erat *instructa*, culta, ornata. Vide Heinsium ad Fast. II, 318; Apuleius, Florid. I, de Apolline : « Quid quod et lyra ejus auro ful- » gurat, ebore candicat, gemmis va- » riegatur. » A Tibullo d. l. ei tribuitur, *fulgens testudine et auro lyra*; et IV, III, 22, *testudinea Phœbe superbe lyra*. Sed hoc loco plurimi, *distinctamque*, quod nollem ab Heinsio quatuor Codd. auctoritate mutatum. Non nego, *instructum* dici pro, ornatum, sed *distinctum* elegantius multo verbum est, quod usurpatur de rebus, quæ dispersis ornamentis variegata sunt. Sic pocula *distincta* gemmis, prata *distincta* floribus, cælum *distinctum* stellis, passim et eleganter. — Regii nostri habent *distinctam*, quod reposui pro *instructam* quod *Gierig* in Heinsium paulo verecundior rejicere non erat ausus : nec aberit a me auctoritas sagacissimi Burmanni. *Ed.*

169. *Ipse*, verissimus. — *Status artificis*, *die Stellung eines Virtuosen*. Est etiam oratoribus suus *status*, Cic. Or. I, 59, quem describit Quintilianus, Inst. Or. I, XI, 16. — *Tum stamina*. Unus *carmina*. — Regii codices *stamina*; *carmina* mera glossa est. *Ed.* — *Stamina*, chordæ. Supra *fila sonantia*. Laudat Burmannus e Catalect. Pith. IV, p. 157, *Musica contingens subtili stamina pulsu*. — *Sollicitat*, percutit, pulsat ; nam *sollicitare* omnino est, sæpius movere, ut *sollicitare mare, humum*. — *Pollice*. Paulo ante *plectrum* commemoratur. Nempe chordæ pulpa digitorum pulsabantur, sed in clausulis ad pleniorem harmoniam plectro plures chordæ uno ictu tangebantur. Vid. Gesnerus ad Claudianum, XXXIV, 15.

171. *Submittere*, postponere, fateri eas inferiores esse lyræ Apollineæ. — *Cannas*, tibiam ex cannis confectam. *Ed.*

173. *Injusta vocatur*. Vossianus *injusta notatur* : non male. — Regii nostri *vocatur* : quanquam *notatur* e scriptura *uocatur* in MS Vossiano per confusionem literarum legi po-

Sed trahit in spatium, villisque albentibus implet,
Instabilesque imo facit, et dat posse moveri.
Cætera sunt hominis; partem damnatur in unam;
Induiturque aures lente gradientis aselli.
Ille quidem celat, turpique onerata pudore
Tempora purpureis tentat velare tiaris.
Sed, solitus longos ferro resecare capillos,
Viderat hoc famulus: qui, quum nec prodere visum
Dedecus auderet, cupiens efferre sub auras,
Nec posset reticere tamen, secedit; humumque
Effodit, et, domini quales adspexerit aures,

tuerit, nihilominus tamen ea lectio placet. *Ed.*

176. *Sed trahit in spatium.* Diligenter et ingeniose describit, more suo, naturam aurium asininarum. Bene *trahit in spatium*, longiores reddit; vide ad III, 20.—*Villisque albentibus.* Quidam *villisque ardentibus*; Heinsius conjicit *horrentibus*, De lectione hujus loci non debebat disputari, quum satis constet aures asinorum albos, seu canos habere villos.—In nostris Regiis est *albentibus*; quod plurimorum MSS auctoritate fultum satis certe videtur; attamen non improbarem *horrentibus*; ut melius indicetur horrida mutatio aurium; *albentibus* enim frigidum hoc loco esse nemo negaverit. *Ed.*—*Imo facit.* Vulgo (et in nostro Regio B) *illas facit*; quidam *imas, ime, imo*; quod postremum recepit Heinsius (et habet noster A). —*Dat posse moveri*; dat mobilitatem. *Posse* habet vim substant. more Græcorum, II, 483; *posse loqui*, facultas loquendi.

180. *Turpis pudor* satis poetice, turpes aures quæ pudori erant domino. — Bene etiam *onerata*. Sed hanc lectionem, quam Heinsius septem MSS auctoritate substituit vulgatæ: *Ille quidem celare caput, turpique pudore*; (Duo, *turpemque pudorem*, ut sit appositio) impugnat Schepperus cui displicet, quod validiori verbo *celat* subjectum sit *tentat velare*. Vulgatam igitur sic emendat, *celare caput*. Et Burmannus in Cod. Basileensi, erasa vetere lectione, repositum *caput* invenit, et superscriptum *ora*. Sed *celare* est verbum generale; itaque modus, quo celaverit tempora, additur, *velat tiaris*. — Regii nostri habent vulgatam lectionem. — *Tiaris.* Duo *coronis*.—Regii nostri *tiaris*.—*Tiara*, quæ etiam *mitra* interdum vocatur, fuit pileus Phrygum incurvus cum fimbriis pendulis, quibus mento subligatis malæ ac tempora obducebantur; ut adeo aures Midæ commode sub illo tegumento latere possent; vide Heynium ad Virgilium, Æn. IV, 216, et IX, 616.

182. *Solitus....capillos* circumscriptio tonsoris.—*Ferrum*, forfex, qua tonsores utebantur in resecandis capillis; Isidorus, XX, 13. Vide nostrum vatem (*Boileau*) Sat. IX, v. 221.

Voce refert parva, terræque immurmurat haustæ;
Indiciumque suæ vocis tellure regesta
Obruit, et scrobibus tacitus discedit opertis.
Creber arundinibus tremulis ibi surgere lucus
Cœpit; et, ut primum pleno maturuit anno,
Prodidit agricolam : leni nam motus ab austro
Obruta verba refert, dominique coarguit aures.

V. Ultus abit Tmolo, liquidumque per aera vectus
Angustum citra pontum Nepheleidos Helles
Laomedonteis Letoius adstitit arvis.

187. *Voce parva*, leni susurro. — *Terra hausta*, fossa. — *Indicium vocis*, vocem, qua indicabat domini dedecus. Hoc figmentum habet etiam Ptolemæus Alex. apud Photium. Ansam dedisse videntur cannæ, quæ vento motæ sonum edunt. I, 707.

190. *Tremulis*, quando agitabantur ventis, *creber arundinibus* pro, crebris sive multis arundinibus. — *Pleno anno* ut X, 734, *plena hora* et III Fast. 164, *pleno die*. — *Agricolam* suspectum visum Interpretibus, quia primum tonsor ille non potuerit *agricola* dici; neque lucus ille tonsorem prodiderit, sed vocem ejus commissam. Burmannus suadet, vel *Prodidit arcanum* (quod tamen non satis poeticum videtur) vel *Prodidit agricolis*. Sed ita deest, quid agricolis prodiderit. Puto locum sanum esse : sed poetam non satis accurate locutum esse, quum hoc vellet : arundo ejus, qui humum suam foderat, indicium prodidit. Nisi *agricolam* mavis Midam intelligere, nunc rura celebrantem vers. 146. Si lectio sana esset, *agricola* foret Midas, qui nunc rura et silvas celebrat; vide vers. 146. Suaderem, *Prodidit auriculas*, nisi sequeretur, *coarguit aures*. — Regii nostri habent *agricolam*, et recte; nam qui scrobes terræ infodit, et quasi vocis semina committit, potest agricola dici. *Ed.*

194–220. *Apollo et Neptunus Laomedonti muros exstruunt*. Quum ille pactam mercedem solvere nollet, Neptunus mare immittit urbi, regisque filiam saxo alligatam exponit monstro marino, unde eam liberat Hercules. Quum et huic præmium promissum negaret bis perjurus Laomedon, Hercules Trojam expugnat, Hesionenque dat Telamoni socio. Homerus, Il. Φ, 443 sqq : Pindarus, Ol. Η, 41; Apollodorus, II, v, 9; Hyginus, fab. 89; Servius ad Virgilium, Æn. I, 553; II, 610. Anonym. de Incredibilibus ab Allatio editus, cap. 6, auctor est, aurum sumsisse Laomedontem ad muros exstruendos ex templis Neptuni et Apollinis, neque id pro sacramento præstito reddidisse. Tractaverat hæc et Hesiodus in Heroica genealogia, ut e Schol. Lycophr. ad v. 34 et 393, constat. — *Ultus abit* Schepper. mallet *victor abit*, ut II, 437; IV, 511; VIII, 116 : et habet sic unus Regius; Moreti *Ultor*. — Regius noster A, *Victor*; Regius B, *Ultus*.

195. *Angustum citra pontum*. Apollo versus mare vehitur, sed citra *pon-*

Dextera Sigæi, Rhœtei læva profundi
Ara Panomphæo vetus est sacrata Tonanti.
Inde novæ primum moliri mœnia Trojæ
Laomedonta videt, susceptaque magna labore
Crescere difficili, nec opes exposcere parvas:
Cumque tridentigero tumidi genitore profundi
Mortalem induitur formam; Phrygioque tyranno

tum Helles. Hellespontum, cui Troas adjacebat, consistit. *Helle* Athamantis et *Nepheles* filia, Phrixi soror, quæ in *angusto* illo freto periit, eique nomen dedit; Apollodorus, lib. I, p. 39; Palæphatus, 31.

197. *Dextera Sigæi.* Non longe ab Ilio sinus quidam Hellesponti litus incurvabat. Ibi *Sigæum* et *Rhæteum*, duo promontoria cum oppidis cognominibus, quorum illud Achillis, hoc Ajacis sepulcro postea nobilitatum est; Mela I, 18. Sed Noster loco promontorii, *profundum*, mare, appellavit. — *Panomphæo.* Olim *Panophæo*, quod Regius recte correxit. — In nostris Regiis *Panopeo.* — *Panompheo* Jovi etiam Græci sacra faciunt apud Homerum, Il. Θ, 48, ubi Eustath. ὁ πάσης μαντείας αἴτιος, seu melius, ut origo vocis appareat, ὁ πασῶν ὀμφῶν αἴτιος, omnis artis vaticinandi auctor; vide Potter. ad Lycophr. Cassand. vers. 6. Ordo autem verborum est hic: *Dextera* pars *Sigæi* sive *læva Rhæteі est ara*, h. e. in dextra parte Sigæi est ara. Utriusque promontorii mentionem hic facere voluit.

199. *Inde.* Quidam (et noster Regius A) *Unde.* — *Nova Troja*, Ilium nuper conditum ab Ilo, Laomedontis patre. Apud Apollodorum muris cingunt Pergamum. — *Moliri*, ponere, exstruere. Virgilius, Æn. I, 423, *pars ducere muros*, *Molirique arcem.* — *Susceptum* nunc substantive, cœptum. — *Crescere*, promoveri. — *Nec opes.* Basileensis *nec res.* — Regii nostri *nec opes.*

202. *Genitore.* Quidam *rectore* aut *domitore.* — Regii nostri *genitore.* — Etiam apud Valerium Flaccum, IV, 571, Neptunus *pater maris;* et Statius Ach. I, 61, *magni rector genitorque profundi.* Sed quæritur, quo sensu ita dicatur. Burmannus ad Virgilium, Æn. I, 155, vult, Deos dici earum rerum *genitores*, quibus præsunt. Improbat eam rationem Heynius monetque, *genitoris* et *patris* nomine insigniri Deos seniores, mox et quoscumque alios, nihilque aliud significari nisi venerabiles, sanctos. — *Tridentiger;* VIII, 595, *tridentifer.*

203. *Phrygioque tyranno* etc. Olim edebatur *Phrygiæque tyranno Ædificat muros, pactus;* quidam *pacti.* — Regius Codex A, *Phrygiæque tyranno ædificant muros, pacti;* Codex B habet lectionem datam. — Secundum Homerum servire per annum Laomedonti coacti sunt, quod Jovem vincire voluerant: eoque tempore Neptunus urbem et muros condidit, Apollo boves pavit. Apud Apollodorum ambo, τὴν Λαομέδοντος ὕβριν πειράσαι θέλοντες, promittunt ἐπὶ μισθῷ τειχιεῖν τὸ Πέργαμον. Confer et Hesiodum apud Schol. Lycophronis, 393. — *Pacto auro.* Hyginus,

Ædificant muros, pacto pro mœnibus auro.
Stabat opus : pretium rex inficiatur, et addit,
Perfidiæ cumulum, falsis perjuria verbis,
« Non impune feres; » rector maris inquit : et omnes
Inclinavit aquas ad avaræ litora Trojæ;
Inque freti formam terras convertit; opesque
Abstulit agricolis; et fluctibus obruit arva.
Pœna neque hæc satis est : regis quoque filia monstro
Poscitur æquoreo : quam dura ad saxa revinctam
Vindicat Alcides, promissaque munera, dictos

« Vovit, quod regno suo pecoris eo » anno natum esset, immolatu» rum. » Homerus nil definit, *μισθῷ ἐπὶ ῥητῷ*, *stabat*, absolutum erat, ut III, 131, *Jam stabant Thebæ*, ubi vide notam. — *Pretium*, mercedem. Mox ordo verborum : et falsis verbis addit perjuria, cumulum perfidiæ; cui sententiæ interpunctionem accommodavimus. — *Inquit*. Prior Twisdenii *infit*. — Regii nostri *inquit*.

208. *Avaræ Trojæ*. Mox vers. 215, *perjura mœnia Trojæ*; Virg. Æn. V, 810, *perjuræ mœnia Trojæ*, et IV, 542, *Laomedonteæ perjuria gentis*. Adde Horat. III, Od. III, 21 sqq. Adeo enim Veteres hanc Laomedontis perfidiam perjuramque avaritiam aversati sunt, ut eam toti genti imputarent, et inde omnia mala Trojanis eorumque posteris inflicta repeterent. Virgilius, Georg. I, 520, ideo de bellis Romanorum civilibus, *Laomedonteæ luimus perjuria Trojæ*. — *Litora Trojæ*. Plurimi *mœnia Trojæ* quod placebat Ciofano, non item Burmanno, quia id modo præcessit. — Ciofanus duos tantum Codices habentes *mœnia* notat; Burmannus autem plurimos, quanquam non probet. Regii nostri ambo dant *litora*, quod rectius esse indicant sequentia *Inque freti formam terras convertit*. Ed. — *Freti forma*, fretum : vide ad I, 73. — *Obruit arva*. Vulgo *obruit agros*, quod sprevit Heinsius, quia *agricolis* paulo ante præcessit. — Codex Regius B, *agros*.

211. *Pœna neque hæc* etc. Hic aliquid supplendum ex Apollodoro et Hygino. Apollo Trojanis pestilentiam immiserat, Neptunus cum inundatione cetum. Oraculum monebat, tum demum malorum istorum finem fore, si Laomedon Hesionem filiam ceto exposuisset. Hanc igitur quum Hercules, ab expeditione contra Amazones rediens, saxo alligatam vidisset, cetum interficit, virginemque servat. Pactam mercedem quum a rege non impetraret, abit tum quidem, sed postea redit cum Telamone, Trojamque capit. Hesiones fabulam narraverat Hellanidas, unde suam habuit Apollodorus; conf. Diod. Sic. IV, 42. Simile quid Andromedæ accidit IV, 662 sqq.

213. *Dictos poscit equos*. Nonnulli *pactos poscit equos*; sed *dicere*, idem quod promittere. Passim *dicere dona, præmia, dotem*; vide Heinsium : sed quia proxime præcessit *promissa*

Poscit equos; tantique operis mercede negata,
Bis perjura capit superatæ mœnia Trojæ.
Nec pars militiæ, Telamon, sine honore recessit;
Hesioneque data potitur: nam conjuge Peleus
Clarus erat Diva; nec avi magis ille superbit
Nomine, quam soceri; siquidem Jovis esse nepoti
Contigit haud uni: conjux Dea contigit uni.
VI. Namque senex Thetidi Proteus, « Dea, dixerat, undæ,

munera, propterea Lenzius legendum putat *divos*.—Regii nostri *dictos*. — Immortales illi equi, quos Troi pro rapto Ganymede dederat Jupiter; Homer. Il. Υ, 145; Apollodor. d. l. Super aquas et aristas ambulare poterant; Hyginus.–Equi illi de semine solis equorum erant progeniti. *Ed.*—*Mercede negata.* Mortales equos loco immortalium Herculi dedisse traditur a Schol. Homeri d. l. —*Bis perjura*. Quidam *bis peritura*; sed deceperat jam Apollinem; vide insuper ad versum 208.—Regii nostri *perjura*. Non locus est cur hic alludatur ad alteram Trojæ ruinam, quam postea a Græcis est passa. *Ed.*

216. *Telamon* amicus et socius Herculis in multis certaminibus.—*Pars militiæ* etiam Heroid. VIII, 46; vide ad IX, 20.—*Sine honore*, sine præmio. Isocrates in Evag. p. 454, ed. Wolf. min. de Telamone, *μεθ' Ἡρακλέους ἐπὶ Λαομέδοντα στρατευσάμενος τῶν ἀριστείων ἔτυχε*. Illam Trojæ expeditionem narrat Apollod. II, VI, 4. Ex *Hesiona* Teucrum genuit Telamon.

217. *Peleus*, frater Telamonis, Thetida, Nerei filiam, habebat *conjugem*. Isocrates d. l. *Θέτιδι, θνητὸς ὢν ἀθανάτῳ συνῴκησε· καὶ μόνου τούτου φασὶ τῶν προγεγενημένων ὑπὸ τῶν θεῶν ἐν τοῖς γάμοις ὑμέναιον ᾀσθῆναι*. Plura de eo conjugio habet Apollodorus, III, XIII, 5. Telamonis et Pelei pater fuit Æacus, *avus* Jupiter.—*Avi*... *superbit nomine*. Heinsius malebat *numine*; unus *avo*. — Regii nostri *nomine*. — *Nepoti*; vulgo (et in nostris Regiis) *nepotem*. — *Uni*, nempe ex his duobus fratribus. Non autem universe dictum est; nam plures *Deæ* nupserunt mortalibus.—Cæterum hæc de Peleo adspersit Noster, ut commode transiret ad fabulam sequentem.

221–265. *Pelei et Thetidis* nuptiæ valde celebratæ a Veteribus; Homerus, Il. Ω, 534; Hesiodus Theog. 1005; Euripides Iph. Aul. 1036 sqq; Isocrates, Evag. p. 454; Apollonius, Rh. IV, 807 sqq; Catullus Epithal. Pel. et Thet. Valerius Flaccus, I, 130 sqq; Coluthus Rapt. Hel. 17 sqq. Peculiari carmine eas celebraverat Hesiodus, unde non nisi duo versus restant, *Τρὶς μάκαρ Αἰακίδη, καὶ τετράκις ὄλβιε Πηλεῦ, Ὃς τοῖς δ' ἐν μεγάροις ἱερὸν λέχος εἰσαναβαίνεις*. Sed Noster, missa convivii nuptialis solemnitate, de qua cæteri copiosi sunt, artem potius memorat, qua Peleus virginem ceperit. Confer Apollodorum, III, XIII, 5. Sed etiam apud Hyginum fab. 54, et P. A. II, 15, Eustathium ad Homeri dictum locum, Tzetz. ad Lycophr. p. 38. Servium ad Virg. Ecl. VI, 42, fabula

» Concipe; mater eris juvenis, qui fortibus actis
» Acta patris vincet; majorque vocabitur illo. »
Ergo, ne quidquam mundus Jove majus haberet,
Quamvis haud tepidos sub pectore senserat ignes,
Juppiter æquoreæ Thetidis connubia vitat;
Inque sua Æaciden succedere vota nepotem
Jussit, et amplexus in virginis ire marinæ.
Est sinus Hæmoniæ curvos falcatus in arcus;

attingitur. — *Proteus, Dea, dixerat.* Mariangelus Accurs. legit *prædixerat udæ*, ut est in nonnullis MSS, ut alibi *aquosa Dea*; neque tamen damnat alteram lectionem. — Regii nostri dant, *Dea, dixerat undæ*. — Vaticinium illud Pindarus Isthm. XX, 4, Apollonius, Schol. Lycophronis ad 178, et Lactantius Inst. I, 11, 9, Themidi tribuunt. Ad Prometheum refert Æschylus, Prom. 906, et inde Hyginus priore loco, sed altero ad Parcas, unde cognoverit Prometheus, qui illud Jovi jam prodeunti ad concubitum indicaverit. Bene autem Noster *Protea* inducit, Deum marinum, eundemque vatem certissimum, cujus vaticinia etiam apud Homerum, Od. Δ, 364 sqq, et Virgilium, Georg. IV, 392, exstant. — *Concipe.* Consequens pro antecedente, nube viro. — Pro *juvenis*, e duobus tantummodo MSS, Excerptis scilicet Langermanni, et priore Strozzæ, *juveni* recepit Heinsius qui nimis amasse hanc loquendi formam videtur, eamque fere ubique commendat. — Regii nostri habent *juvenis*, ut et V, 415, *Cereris*; ubi jam Heinsium malle *Cereri* dictum est. — *Fortibus actis.* Vulgo *fortibus armis.* — Ita et in nostis Codicibus Regiis, at Codex B in margine habet *vel actis.* — *Qui fortibus* etc. Pindarus, dicto loco, πεπρωμένον ἦν, φέρτερον γόνον ἄνακτα πατρὸς τεκεῖν ποντίαν θεόν. Id Noster ita expressit, ut jam respiceret Pelea et Achillem, quorum ille in bello contra Centauros, aliisque in certaminibus enituit, sed illæ laudes nihil ad filii *fortia acta*, res fortiter gestas. — *Major* ad fortitudinem et inde paratam gloriam referendum est. Horat. I, Od. xv, 28, *Tydides melior patre.* Apollodorus, h. l. Κρείττων τοῦ πατρός. — *Vocabitur*, erit, ut κληθήσεται.

224. *Ergo, ne quidquam mundus* etc. Timebat Jupiter, ne filius ex ea natus se de regno dejiceret, ut ipse fecerat Saturno patri. Eam ob causam exagitat eum Lactantius, d. l. Antea Neptunus cum eo de hoc conjugio certaverat; Apollod. — *Thetis* Thessalum numen. — *Connubium* verecunde pro concubitu. Sic *nuptiæ* apud Horatium, III, Od. 11, 11. — *Vitat.* Alii (et Codex noster B) *fugit.* — *Inque sua.* Codex Regius A et multi ex melioribus, ut testatur Heinsius, *In suaque.* — *Sua vota*, connubium a se expetitum. — *Succedere in vota* Jovis, conjugium inire, quod Jupiter inire voluerat. — *In amplexus virginis ire* modeste concubitum exprimit, ut VII, 616, *sub amplexus ire.*

229. *Hæmonia*, Thessalia; vide ad I, 568. Et hoc loco intelligitur pars Thessaliæ ea, quæ Phthiotis dice-

Brachia procurrunt; ubi, si foret altior unda,
Portus erat; summis inductum est æquor arenis.
Litus habet solidum, quod nec vestigia servet;
Nec remoretur iter; nec opertum pendeat alga.
Myrtea silva subest, bicoloribus obsita baccis.
Est specus in medio; natura factus, an arte,
Ambiguum; magis arte tamen: quo sæpe venire
Frenato delphine sedens, Theti nuda, solebas.
Illic te Peleus, ut somno vincta jacebas,

batur, ubi regnabat Peleus, et quæ mari adjacebat. Æacus quidem Æginam insulam tenebat, sed Telamon et Peleus quum Phocum fratrem occidissent (de qua cæde Noster fab. sequenti exponet), fugere inde coacti sunt. Telamon igitur Salamina pervenit, Peleus autem Phthiam, ad sinum Maliacum se contulit, ubi ab Eurytione, ducta ejus filia Antigona, in regni partem adscitus est. Aliquanto post Thetida duxit; vide Apollodorum d. l. et Schol. Aristophanis, ad Nubes, v. 1059.—*Curvos arcus.* Heinsii unus *modicos arcus*, ut Heroid. II, 131. — Regii nostri Codices *curvos.*—*Curvos falcatus in arcus*; tribus verbis formam curvam exprimit: nec in sententiis, nec in verbis parcus Noster est. — *Brachia* extremitates litoris sinum ambientis, quæ commode cum brachiis comparantur. Vid. Cerda ad Æneid. III, 533. *Genua* dicuntur Valerio Flac. V, 410.—*Ubi, si foret.* Heinsius conjicit *qui si foret.*—*Erat* pro, esset. — *Summis* etc. Hoc vult, leni aqua tectam fuisse arenam.

232. *Vestigia non servat*, non retinet vestigia impressa, quod fieri solet in locis arenosis et limosis; quæ adeo *remorantur iter*, dum magis fatigant viatorem, eumque tardius incedere cogunt. Plinius, II, Epist. XVII, 2: « Excipit iter aliqua » ex parte arenosum, junctis paulo » gravius et longius, equo breve et » molle. » Pro *remoretur iter* quidam (at non Codices nostri Regii) *remoretur aquis*, scilicet *vestigia.* — *Opertum.* Codex noster B habet *operta* ablativo casu. — *Opertum pendeat* suavius, quam, opertum sit. Quia alga *pendet*, imminet litori, propterea ipsum litus *pendere alga* dicitur.—*Myrteta* amant litora: vide ad IX, 335.—*Subest*, adest, prope est, ut *subire*, accedere, appropinquare.

237. *Frenato delphine sedens.* Nereides belluis marinis vehi solebant, quæ *equi* dicuntur Propertio, III, 1, 46; hinc *delphino* insidentem Thetida finxerant prisci poetæ; Tibullus, I, v, 45, *Talis ad Hæmonium Nereis Pelea quondam Vecta est frenato cærula pisce Thetis*; Statius, Theb. I, 130, *Hic insperato Tyrrheni tergore piscis Peleos in thalamos vehitur Thetis. Æquora delphis corripit. Illa sedet dejecta in lumina palla, Nec Jove majorem nasci suspirat Achillem.*—*Theti nuda.* Cantabr. *Thetis uda.*—Regii nostri *Theti nuda*; error Codicis Cantabr. facili literarum mutatione irrepsit. *Ed.*

238. *Ut somno vincta.* Vulgo (et

Occupat: et quoniam precibus tentata repugnas,
Vim parat, innectens ambobus colla lacertis.
Quod nisi venisses, variatis sæpe figuris,
Ad solitas artes, auso foret ille potitus.
Sed modo tu volucris; volucrem tamen ille tenebat:
Nunc gravis arbor eras; hærebat in arbore Peleus.
Tertia forma fuit maculosæ tigridis; illa
Territus Æacides a corpore brachia solvit.
Inde Deos pelagi, vino super æquora fuso,
Et pecoris fibris, et fumo turis adorat.
Donec Carpathius medio de gurgite vates,

in nostris Regiis) *victa*. Cum omni sequenti loco conf. Virg. Georg. IV, 400–45. Somnus poetis dicitur oculos et membra *δεσμεύειν*; vid. Heinsius.—*Occupat*, opprimit.—*Tentata* fortasse optime conjungitur cum *precibus*. *Precibus tentare*, precibus periculum facere an capi possit. Sin *tentata* absolute positum putas, *precibus* dictum erit pro, precanti, ut VIII, 73.—*Vim parat*. Hesiodus d. l. Πηλεῖ δ' δμηθεῖσα θεὰ Θέτις ἀργυρόπεζα. Vim parat etiam apud Apollodorum et Euripidem auctore Tzetza ad Lycophr. p. 37. In arca Cypseli Thetis cernebatur anguem immittens in Pelea, qui ipsam captare conabatur. Sed Catullus nihil habet de *vi*, atque etiam apud Valerium Flaccum lubens ad Peleum deducitur delphino insidens. — *Innectens colla*. Oxoniensis et Palatinus *innectens vincla lacertis*.—Regii nostri *colla*; *vincla* parum placent. *Ed*.—*Innectere colla lacertis* elegantius quam, injicere lacertos collo, *venire ad artes* ut *deverti ad artes* IX, 62, ubi vide notam. — *Auso*. Barberin. et tres alii *ausu*. — Regii nostri *auso*. — *Auso potiri* dixit et Virgilius, Æneid. VI, 624. Thetis transformis non minus, quam Proteus, VIII, 730 sqq, et Erisichthonis filia ibid. Videntur autem philosophi veteres, quibus ex aquis omnia constare placebat, transformationes illius elementi in omnia corpora, symbolica hac fabula expressisse: vide Heynium ad Virgilium, Georg. IV, 387. Alii putant hoc dici, Thetida omnes vias ac modos tentasse, ut se subtraheret Pelei matrimonio.

243. *Sed modo*. Unus Ciofani et Hamburg. *nam modo*; unus Gronovii *si modo*; Heinsius putat legendum *seu modo*.... *seu gravis arbor*.— Regii nostri habent *sed modo*... *nunc gravis*. — *Gravis*, torpens; I, 548, *gravis torpor*; II, 821, *gravitas ignava*. — *Tenere* et *hærere* eleganter de amplexibus; I, 485; IV, 184; Tibullus, I, v, 39.—*Forma fuit*. Unus Mediceus *forma tibi*.— Regii nostri *forma fuit*.

247. *Inde Deos*. Vulgo (et in nostris Regiis) *isque Deos*; multi *jamque*; unus *inque*.—*Fumo turis adorat*. — Duo *fumo turis honorat*. — Regii nostri *adorat*.

249. *Carpathium* mare, Carpa-

« Æacida, dixit, thalamis potiere petitis.
» Tu modo, quum gelido sopita quiescet in antro,
» Ignaram laqueis vincloque innecte tenaci.
» Nec te decipiat centum mentita figuras;
» Sed preme quidquid erit, dum quod fuit ante reformet. »
Dixerat hæc Proteus, et condidit æquore vultum;
Admisitque suos in verba novissima fluctus.
Pronus erat Titan, inclinatoque tenebat
Hesperium temone fretum; quum pulchra relicto
Nereis ingreditur consueta cubilia ponto.
Vix bene virgineos Peleus invaserat artus,

thon insulam prope Ægyptum ambiens. In eo Protei sedes, forte quia fabula ejus ex Ægypto in Græciam translata erat. Secundum Apollodorum Peleus non a Proteo, sed a Chirone edocetur, qua arte capienda sit Dea maris. Auctor Argumenti Neptunum admiscet, qui a Peleo placatus preces ejus Proteo commendaverit.—*Æacida.* Vulgo (et in nostris Regiis) *Æacide*; vide Heinsium ad Heroid. III, 87. — *Gelido quiescet in antro.* Nonnulli *rigido in antro*; tres *quieverit antro.* — Regii nostri *gelido quiescet.* — *Vincloque innecte tenaci.* Palatinus secundus *firmisque innecte catenis.* — Regii nostri *vinclo tenaci.*

253. *Decipere* elabi.—*Mentita figuras*; Mediceus *mutata.* Decem (et noster Regius B) *figuris. Mentiri* ut V, 326 et sæpe. —*Sed preme.* Heins. malebat *Perprime*, ut Art. Amat. I, 394.—Regii nostri *sed preme*, id est tenaciter tene.—*Reformare*, in priorem formam mutare, ut IX, 400, *reformatus in primos annos.* Sed nunc intransitive, in priorem formam redire, se mutare.

256. *Admisitque* etc. ingeniose, ut II, 363, *cortex in verba novissima venit.*

257. *Prona* dicuntur sidera, quum ad occasum vergunt. Etiam *pronus mundus*, pars cæli occidentalis; Seneca Herc. Fur. 125. *Via prona* solis occidentis supra II, 67; vid. Broukh. ad Propertium, I, XVI, 23. — De *inclinato temone* vide ad X, 447.— *Tenebat.* Vulgo (et in nostris Regiis) *petebat*; Burmannus conjicit *tepebat*, unde transpositis literis *petebat*, natum sit. *Tenemus* locum quem attigimus. Auctor Argumenti meridianum calorem nominat. — *Ponto* e melioribus dedit Heinsius pro *fluctu* et *saxo.* — Regiis nostris est *ponto.*

260. *Vix bene* amat Noster, ut II, 47; Fast. V, 278; VI, 513. *Bene* hic videtur augere vim τοῦ *vix.* — *Peleus.* Peleus, inquit Fulgentius, est πηλὸς, lutum, terra, id est, caro; Thetis aqua, id est, humor; Jupiter, qui utraque gignit et conjungit, est ignis, id est anima: hinc natus est Achilles, id est, homo perfectus. *Ed.* — *Invaserat.* Lib. Briant. *evinxerat*; alius *devinxerat*; quidam *conjunxerat*; vide Burmannum ad

Illa novat formas; donec sua membra teneri
Sentit, et in partes diversas brachia tendi.
Tum demum ingemuit: « neque, ait, sine numine vincis: »
Exhibita estque Thetis: confessam amplectitur heros,
Et potitur votis, ingentique implet Achille.

VII. Felix et nato; felix et conjuge Peleus;
Et cui, si demas jugulati crimina Phoci,

Petronium, 74.— Regius noster A, *evinxerat;* Codex B, *invaserat.* Repetitio frequens verborum *vincire*, *vinclo tenere*, etc. in tota fabula sparsorum causa est cur *invaserat* tanquam rectius servandum censeamus. *Ed.* — *Novet* formas, in novas semper formas transit, ut II, 648. —Pro *tendit* e margine Gryph. edit. et cum Mitsch. dedi *tendi*, quod etiam Heinsio arridebat, qui addit: In partes diversas tenduntur brachia, quando ligantur post tergum. Ideoque et *aversas* malit. Sine causa. De ligatione post tergum non est sermo, tantum de distentis brachiis. Nonnulli etiam legunt *brachia tendens*, *Tum demum* etc.—Regius Codex A, *tollens;* Codex B, *tendens:* ita in libro V, 419, *et in partes diversas brachia tendens*, *obstitit.* Ed.

264. *Exhibita estque.* Tres *exhibitaque Thetis.* — Regii nostri *estque.* —*Exhibita est*, ut VI, 44, *Pallada exhibuit,* deposita mentita figura Palladis formam rursus sumsit. — *Confessam* eodem redit; III, 2, Jupiter *se confessus erat.* — *Ingens* solemne heroum epitheton propter corporis magnitudinem, quam iis prisca ætas tribuit. Hinc *ingens Æneas* Virgilio, VI, 413; *ingens Idomeneus Sthenelusve* Horatio, IV, Od. IX, 19. Sed hoc loco malim ad insignem fortitudinem referre, qua enituit Achilles. Sic Horatius, III, Od. VI, 35, *ingens Antiochus* propter opes ingentes; supra VIII, 309, *magni creator Achillis.* — *Implet.* IX, 280, *Impleral uterum generoso germine.* Hinc mulieres gravidæ *plenæ*, ut X, 469, Myrrha *plena patris.* — Cæterum Clericus ad Hesiodum Theog. vers. 1004, suspicatur, Pelea Achillem ex se et ignota vulgo matre natum sustulisse, aut e fano Neptuni Nereidumve, aut ex ipso litore maris.

266-409. *Peleus* exsul ad *Ceycem* fugit, ubi dum cognoscit, *Dædalionem* bellicosum, cujus superba filia *Chione* sagittis Dianæ transfixa erat, in accipitrem versum esse, nuntius ei adfertur, armenta sua a lupo ingenti trucidari. Placata Nereide, quæ belluam miserat, lupus in saxum mutatur. Duæ igitur insunt metamorphoses. De lupo mutato conf. Schol. Lycophronis ad vers. 175, qui cum Nostro consentit, et Anton. Liberalem 38, qui dissentit. Eadem narraverat et Dorotheus in Metam. ut ex Plutarch. paral. min. p. 311, apparet. Euripides Pelei exsilium argumentum fabulæ fecerat. De eo vide et Apollodor. III, XIII, 1 sq.

267. *Jugulati crimina Phoci.* Arondelianus, Langerman. unus Basileensis *crimina fratris.*—Regii nostri *Phoci.* — Cædem hanc diu ante esse factam, quam Thetida duceret, supra jam ad vers. 229, monuimus. Telamon et *Peleus* Æaco nati erant

Omnia contigerant! Fraterno sanguine sontem,
Expulsumque domo patria Trachinia tellus
Accipit : hic regnum sine vi, sine cæde, tenebat
Lucifero genitore satus, patriumque nitorem
Ore ferens Ceyx; illo qui tempore mœstus,
Dissimilisque sui, fratrem lugebat ademtum.

ex Endeide, quam Pausanias Scironis, Apollodorus autem Chironis filiam dicit; *Phocus* vero ex Psamathe, Nerei filia, Thetidis sorore. Is Phocus, relicta Ægina, terræ ejus ad Parnassum, quæ jam ab antiquiore quodam Phoco, Ornytionis filio, Phocidis nomen habebat, regnum adeptus, fecit, ut etiam proxima loca Phocidis nomine comprehenderentur. Sed fratres, sive a matre Endeide sollicitati, sive suo ipsorum odio impulsi, quum viderent, eum præ ipsis amari a patre, invitarunt eum aliquando Æginam, ut ludis et certaminibus, quibus ille excellebat, interesset; iisque commissis disco aut rudi saxo fratrem percusserunt. Præcipuas in ea cæde partes Telamonis fuisse Apollodorus narrat, Pelei Pausanias. Ambo igitur expulsi sunt ab Æaco. Phoci sepulcrum apud Æginetas ostendebatur, imposito saxo, quo percussus erat; Pausanias Corinth. p. 177 et 179; Phoc. p. 872: Apollodorus, III, XII, 6 : Anton. Liberalis, cap. 38: Apollonius Rh. I, 93 sqq; et Schol. ad vs. 207: Schol. Pindari ad Olymp. VIII, 39.

269. *Expulsumque domo* etc. Sic legitur in Codice Regio A; sed in Codice B, *Expulsumque domo patriaque Tracinia tellus Accipit.*—Supra ex Apollod. vidimus, Phthiam ad Eurytionem pervenisse Pelea fraterno sanguine pollutum. Nec aliter Anton. Liberalis; Apollonius Rh.; Schol. Lycophronis, p. 37; Hyginus, fab. IV, p. 36. Itaque aut alios auctores Noster secutus est, aut Peleus, exsul vagus, relictis multis aliis locis, tandem apud Eurytionem hæsit.—*Accipit.* Duo *excipit.*—*Tenebat* e melioribus dedit Heinsius pro *regebat*. *Regnum tenere* phrasis obvia.—Regius noster A, *tenebat*; Codex B, *regebat*, et in margine *vel tenebat.*

271. *Lucifero satus Ceyx*. Ceyx Phosphori, hoc est, Luciferi fuit filius, Halcyonesque maritus. *Ed.* —*Ceyx*, Trachiniorum rex, etiam Herculis amicitia notus; Pausanias Attic. p. 79. — *Nitorem* omnino de insigni corporis pulchritudine capiamus, de qua sæpe dicitur. Horatius, I, Od. XIX, 5, *Urit me Glyceræ nitor*, isque nitor cum splendore siderum comparari solet; II, Od. V, 18 sqq; et supra II, 723, ubi vide notam de Luciferi splendore. Etiam Lucianus, p. 129, eum vocat τὸν Ἑωσφόρου, καλοῦ πατρὸς καλὸν υἱόν. Conf. et Hygini fabulam 65. Etiam amabilem et liberalem describit hunc regem, cum Schol. Homeri ad Il. I, 558. Apollodorus et alii elatum eum finxerunt, adeo ut Jovem se appellari voluerit. —*Dissimilis sui.* Unus Mediceus et tertius Bononiensis *dissimilemque*, quod defendi posse ex versu 297 Burmannus putat.—Regius noster Codex A, *dissimilis*; Codex B a secunda tantum manu *dissimilem*.—*Dissimilis sui*, non ea hilaritate animi, non ea serenitate

Quo postquam Æacides fessus curaque viaque
Venit; et intravit, paucis comitantibus, urbem;
Quosque greges pecorum, quæ secum armenta trahebat,
Haud procul a muris sub opaca valle reliquit.
Copia quum facta est adeundi prima tyranni;
Velamenta manu prætendens supplice, qui sit,
Quoque satus, memorat; tantum sua crimina celat.

vultus, non eo splendore cultus, quo alias esse solebat; II, 381 sq; Eleg. ad Liv. Aug. 85 sqq, *Vidimus, attonitum fraterna morte Neronem Squalida promissa flere per ora coma, Dissimilemque sui, vultu profitente dolorem. Hei mihi, quam toto luctus in ore fuit!* Luctus *deformat* hominem ejusque *domum* apud Virgilium, Æn. XII, 805.

276. *Pecorum* a sciolo additum esse, qui crediderit τὸ *greges* id requirere, ut *armentis* opponi possent, censet Burmannus; præfert igitur ex uno Heinsii MS *greges secum*. Sed nihil temere mutandum unius Codicis auctoritate. Posset quidem *pecorum* abesse, sed potuit etiam addi; Virgilius, Æn. VII, 538, *Quinque greges illi balantum, quina redibant Armenta.*—Regii nostri *greges pecorum.* —*Pecora* dici minores bestias, oves, hircos, capras constat. Hinc *pecora* et *armenta* ita conjunguntur, ut *greges* et *armenta*, Curt. VIII, IV, 19; IX, VIII, 29. Et *greges pecorum*, apud eundem V, VI, 15.—*Trahebat* felix verbum ad declarandum tardum incessum armentorum. — *Sub valle*, in valle; vide Burmannum, ad I, 684; Tibullus, II, III, 19, *valle sub alta.* — *Opaca* ab umbra. *Umbrosam exquirere vallem* gregibus jubet Virgil. Georg. III, 331. Idque sub calidiore cælo necessarium erat.

278. *Prima tyranni* e multis MSS recepit Heinsius pro vulgato *tecta*. Confer II, 447, et Statium, Theb. III, 58.—Regius codex A, *prima*; Codex B, *tecta*.

279. *Velamenta*, vitta ramo oleagino ita circumdata, ut inde dependens manum obvolveret. Talem enim vittatum ramum *prætendere*, præferre manu solebant supplices; Homerus, Il. A, 14. Virgilius, VII, 154, *ramis velati Palladis*, et 237, *Præferre manibus vittas ac precantia verba;* VIII, 116, *paciferæ manu ramum prætendit olivæ;* XI, 101, *velati ramis oleæ, veniamque rogantes.* *Velare* verbum sacrum et solemne de corollis et vittis frontem ambientibus, templorum postes cingentibus, ramos supplicum obvolventibus. De origine hujus ritus Heynius ad Virg. VIII, 128, hæc observat: « A religione ritum ductum esse » manifestum fit e vittis seu infulis » laneis, obvolventibus ramum oleaginum, cujus usus erat cum in sa» cris, tum in lustratione, et expia» tione. Adeoque is, qui præferebat, » ἱκέτης, supplex factus, aut crimen » expiare se et culpam deprecari » velle symbolice et religiose signi» ficabat, aut simpliciter per sacra » et deos se supplicare testatum fa» ciebat. Hinc omnino fœderis, pa» cis et legationis symbolum est fac» tum. » — *Qui sit*. Vulgo (et in nostro Codice A) *quis sit*.

Mentitusque fugæ causam, petit urbe, vel agro
Se juvet: hunc contra placido Trachinius ore
Talibus adloquitur: « Mediæ quoque commoda plebi
« Nostra patent, Peleu; nec inhospita regna tenemus.
» Adjicis huic animo momenta potentia, clarum
» Nomen, avumque Jovem: nec tempora perde precando;
» Quod petis, omne feres; tuaque hæc pro parte videto,
» Qualiacumque vides: utinam meliora videres! »
Et flebat: moveat quæ tantos causa dolores,
Peleusque comitesque rogant; quibus ille profatur:
« Forsitan hanc volucrem, rapto quæ vivit, et omnes

281. *Fugæ*, exsilii.—*Se juvet.* Unus Basileensis *Se recipi.* — Regii nostri *Se juvet.*—*Urbe vel agro juvet*, urbem vel agrum sibi assignet, ubi cum armentis suis habitet. Heroid. II, 55, *Te juvi portuque locoque.* Ibi loca laudant Interpretes, in quibus *hospitio*, *tecto*, *limine*, *cibo*, *ope juvare* alterum dicitur.

283. *Mediæ commoda plebi.* Quinque, in quibus prior Moreti *mœnia plebi.* Gudius ad Phædrum, III, 19, ex MSS profert *medio quoque commoda Phœbi*, et ipse legit *Phœbo*, absurde, judice Burmanno. — Regius Codex A nihil mutat; Codex B, errore manifesto, et mala alterius lectionis memoria, *mediæ quoque commoda Phœbi.* Sola Codicis A, quæ est vulgata lectio, genuina esse videtur. *Ed.*—*De media plebe* vide ad IX, 360. — *Commoda nostra*, commoda, quæ leges largiri possunt, habitatio in urbe agrisve, tutela etc. Similiter h. v. in re militari; Art. Amat. I, 131. — *Patent*, quæ facile impetrantur a media plebe, imo a regiis viris; quorum copia facilis est: sic mulieres *patent* viris, locus *patet* proficiscentibus, Dii *patent* precantibus, gloria *patet* viris fortibus. — *Inhospita regna.* Tres *inhospita tecta*; ut sæpe alibi.— Regii nostri *regna.*

285. *Huic animo.* In his vocibus hærent interpretes, sine causa. Præterquam quod ego *hoc animo*, benigno scilicet et liberali sum, tu *momenta potentia*, causas et rationes gravissimas commemoras.—*Momenta* ex uno Vossii et uno Gronovii pro diversa lectione dedit Heinsius, pro *monumenta.*— Regii nostri dant *monimenta.*—*Clarum nomen* et de rebus gestis et de genere nobili capi potest. Opponitur *ignotum nomen*, IX, 669. — *Tuaque hæc* etc. omnes res meas tecum partiar, adsciscam te in partem regni: neglexerat autem regni sui statum dolore fratris amissi. — *Videto* e multis MSS revocavit Heinsius pro vulgato *vocato*; unus *notato.* — Regius Codex A, *videto*; alter *vocato.*

291. *Rapto quæ vivit* etc. Circumloquitur accipitrem, sed non satis perspicue; quandoquidem et aliæ aves rapto vivunt. — Versum 293, delendum censet Heinsius quia vix latinus sit, et quia, eo sublato, omnia sint plana. Est sane corruptus,

Terret aves, semper pennas habuisse putetis:
Vir fuit: et tanta est animi constantia, quantum
Acer erat, belloque ferox, ad vimque paratus,
Nomine Dædalion, illo genitore creatus,
Qui vocat Auroram, cæloque novissimus exit.
Culta mihi pax est; pacis mihi cura tuendæ
Conjugiique fuit: fratri fera bella placebant.
Illius virtus gentes, regesque subegit,
Quæ nunc Thisbæas agitat mutata columbas.
« Nata erat huic Chione, quæ dotatissima forma

sed quo minus eum deleamus, impedit hoc, quod nulla oppositio est in *volucris* et *acer*; namque etiam volucres acres dici possunt: *acer* perpetuum bellatoris epitheton. Ipsa *militia acris* apud Horatium, I, Od. XXIX, 2. — Versus ille 293 exstat in nostris Codicibus, et bene eum servavit *Gierig*. Ed. — *Belloque ferox*, etc. Gronovianus *armisque potens, belloque paratus*. — Alteram lectionem habent nostri Codices; et nisi quod *vis* est rectior, non injucunda mihi est varietas Gronoviani Codicis. *Ed.* — *Ferox*, animosus; Livius, XXVI, 26, *consules bellicosos ambo, viros acres nimis et feroces*; Sallustius, Jug. XX, 2, *Ipse acer, bellicosus*; Velleius, I, III, 1, *acer belli*. — *Vis* de bello, ut in illo, *vim parare alicui*; vid. Corte ad Sallustium, Cat. XXXV, 5. — *Qui vocat Auroram* eleganter, quem sequitur Aurora; Tibullus, I, IX, 62, *rota Luciferi provocat orta diem*; Virgilius, Æn. II, 802, Lucifer *ducit diem*. Hinc nomen *Luciferi*. Sed quia idem Solem interdum sequitur, hinc etiam *Noctifer* vocatur a Catullo Carm. 63. — *Cæloque* etc. vide II, 115.

297. *Culta mihi pax est*. Novem *Cura mihi pax est*. — Regius Codex A, *culta*; Codex B, *cura*; at supra inscriptæ sunt literæ *lt* ab eadem manu. — Sequens versus *Conjugiique* etc. abest a Mazarinæo.

300. *Thisbæas*. Quatuor *Thebeas*; alii *Thisteas*, *Thybeas*, *Thesbeas*. — Regii nostri *Thisbeas*. — *Thisbe*, urbs Bœotiæ columbis abundans, in primis portus Thisbæorum columbis plenus. Stephan. in h. v. Homerus, Il. B, 502, πολυτρήρων Θίσβη, columbis abundans. Statius, VII, 261, *Dionæis avibus circumsona Thisbe*. Hinc docte et ornate *Thisbæas columbas* pro, *columbas* universe. Sed hos quoque duos versus delendos censet Heinsius, quia Nasoniano nitori non respondeant et superflui sint. In quo mihi secus videtur: solet enim Naso noster passim aliquid adspergere de mutato usu virium et virtutum hominum transformatorum. Mansit fratri ingenium ferox. — *Agitare* verbum proprium de venatoribus et avibus rapacibus; V, 606, *Ut solet accipiter trepidas agitare columbas*.

301. *Chione*. Confer fabulam 200 Hygini, qui addit illam ab aliis poetis *Philoniden* vocari: et sic eam vocat

Mille procis placuit, bis septem nubilis annis.
Forte revertentes Phœbus, Maiaque creatus;
Ille suis Delphis, hic vertice Cylleneo,
Videre hanc pariter; pariter traxere calorem.
Spem Veneris differt in tempora noctis Apollo.
Non tulit ille moras; virgaque movente soporem
Virginis os tangit : tactu jacet illa potenti,
Vimque Dei patitur : nox cælum sparserat astris :
Phœbus anum simulat, præceptaque gaudia sumit.
Ut sua maturus complevit tempora venter,

Pherecydes apud Schol. Homeri ad Od. T, 432.— *Dotatissima*; vide ad IX, 715 : hoc loco Barb. et Moret. *laudatissima*. Regii nostri *dotatissima*.—*Procis placuit* e duobus MSS et editionibus quibusdam dedit Heinsius; sic etiam Heroid. VII, 123 : cæteri (et nostri Regii) *procos habuit*.

305. *Traxere calorem*, ut IV, 679, *trahit inscius ignes* : vide ad X, 594.

307. *Tulit* debemus Heinsio, qui et mox malit *tetigit*; quorum illud in multis est, hoc in Ambrosiano. Cæteri *fert*.—Regii nostri *fert* et *tangit*. Erravit forsan *Gierig* qui hanc notam ex doctissimo Burmanni commentario integram cepit. Is enim scripserat «quorum hoc in multis est: illud in Ambrosiano;» unde apparet τὸ « hoc » ad *tetigit* et τὸ « illud » ad *tulit* esse referendum; et meam sententiam probant, quæ sequuntur « cæteri *fert*. » Inde certius hæret mihi in mente Heinsium, nimiæ corrigendi et mutandi textum auctoris cupidini indulgentem, hoc loco, ut sæpius alibi, verbum rarius pro frequentiori sine causa accepisse. *Ed*.— *Virgaque movente soporem*. De virga illa diximus ad I, 671 et 715.—*Movere*, arcessere. Alibi *ducere somnos*; II, 735; Seneca Herc. Œt. 645.— *Tangit*, θέλγειν de hac virga dixerunt Græci; Latini *mulcere* et *permulcere*. — *Jacet* somno oppressa.

309. *Nox sparserat* etc. ostenderat cælum *sparsum*, variegatum, stellis; II, 193, *sparsa miracula in cælo*. Horat. I, Sat. v, 10, *Nox cælo diffundere signa parabat*.—*Anum simulat* more Deorum, quum aliquem decipere vellent; III, 275; VI, 26; XIV, 655. — *Præcepta*. Vulgo *prærepta*; alterum placuit Heinsio quatuor MSS auctoritate.—Regii nostri habent *prærepta*, quod ita scribitur, *p̄repta*; quæ scriptura forsan fefellit Heinsium. *Ed*. — *Præcepta gaudia*, jam antea capta vel a Mercurio (Heroid. XVII, 107, *Ad possessa venis præceptaque gaudia serus. Spes tua lenta fuit : quod petis, alter habet*), vel ab ipso Apolline mente jam præcepta, ut Eleg. ad Liv. 29, *præcepta mente fovebas gaudia* — *Gaudia* vox propria in hac re. — *Sumere*, percipere; Art. Amat. III, 661, *carpere gaudia*.

311. *Venter*, onus ventris. — *Maturus* vide ad IX, 283. — *Alipedis* Mercurii talaria alata in pedibus gestantis; quod idcirco fingitur, quia

Alipedis de stirpe Dei, versuta propago,
Nascitur Autolycus, furtum ingeniosus ad omne,
Qui facere adsuerat, patriæ non degener artis,
Candida de nigris, et de candentibus atra.
Nascitur e Phœbo, namque est enixa gemellos,
Carmine vocali clarus, citharaque Philammon.
Quid peperisse duos, et Dîs placuisse duobus,
Et forti genitore, et progenitore Tonanti
Esse satam prodest? an obest quoque gloria multis?

Mercurius velocissima est omnium planetarum. *Ed.* — *Stirps Dei*, Deus quatenus erat *stirps*, pater, *propaginis*, filii. Utrumque vocabulum ab arboribus translatum. De *Autolyco* confer Hygini fabulam 201, et Pherecyd. d. l. De conjuge ejus vide supra VIII, 738. Is poterat *candida de nigris, et de candentibus atra facere*; artem enim acceperat a patre et colorem et formam rerum raptarum mutandi, ne deprehenderetur in furto rapacissimus Autolycus. Secundum Pherecydem poterat furta ἀλλοιοῦν εἰς ὃ θέλοι μορφῆς, id quod latius explicat Hyginus: « Ut quidquid surripuisset, in quamcunque » effigiem vellet, transmutaretur, » ex albo in nigrum, vel ex nigro in » album, in cornutum ex mutilo, » in mutilum ex cornuto. » In his artibus non *degener* erat patris. De fraudibus et furtis Mercurii *Jani Exc.* III ad Horatium, lib. I Od. ita judicat: « Quoniam omnia, in » quibus ingenii solertia cernitur, » Mercurio tribuuntur, hinc Deus » est omnis *doli* ac *fraudis*, in qua » callidum acumen est, qua imponitur et illuditur aliis, vel pru» dentia civili ac bellica postulante, » vel animi tantum oblectandi inno» centisque joci edendi, aut ingenii » ostendendi causa: quo referenda » e. g. furta jocosa, præstigiæ, illu» siones sensuum etc. Quod uni» versum quum Græci κλοπὴν, Latini » *furtum* dicant, ipseque Mercurius » inde ληϊστὴρ, φιλητῶν ὄρχαμος, *fur*, » *furibus aptus* etc. audiat; fuerunt » qui decepti vocabulorum (quorum » græcum et latinum usum nesci» rent) speciali et notiori significa» tione, eum furum et latronum » (malo sensu) Deum facerent. »

317. *Carmine vocali*, cantu. — *Philammon*. Constantius Fanensis scribendum censet *Philæmon*, ut sit nomen ab arte ductum, a φίλος, amicus, et οἴμη, cantus. — Opinionem Constantii Fan. firmat noster Codex Regius A, qui habet, male tamen, *Philemon*; Codex B, *Philammon*. — Is inter antiquissimos musicos refertur etiam a Plutarcho de Musica, p. 1132. Choros virginum primus instituisse traditur a Pherecyde. — Musæ eum canendi certamine superatum postea oculis privarunt. *Ed.*

318. *Et Dîs*. Unus Heinsii *quid Dîs*. Hac generis, amantium, et prolis gloria elata Chione perit. — *Tonanti* pro *tonante* (quod habet noster Regius B) e melioribus recepit Heinsius qui et malit *sata prodest*.

Obfuit huic certe : quæ se præferre Dianæ
Sustinuit, faciemque Deæ culpavit : at illi
Ira ferox mota est : « Factisque placebimus, » inquit.
Nec mora ; curvavit cornu, nervoque sagittam
Impulit, et meritam trajecit arundine linguam.
Lingua tacet, nec vox, tentataque verba sequuntur ;
Conantemque loqui cum sanguine vita reliquit.
Quem, misera o pietas ! ego tum patruoque dolorem
Corde tuli, fratrique pio solatia dixi.
Quæ pater, haud aliter quam cautes murmura ponti,
Accipit ; et natam delamentatur ademtam.
Ut vero ardentem vidit, quater impetus illi
In medios fuit ire rogos : quater inde repulsus
Concita membra fugæ mandat, similisque juvenco
Spicula crabronum pressa cervice gerenti,

322. *Sustinuit*, ausa est. — *Culpavit* : deteriorem sua pronuntiavit. Hyginus : « In venatione in Dianam » locuta est superbius. »

325. *Impulit.* Schepperus conjicit *expulit*, quod in uno Basileensi reperit Burmannus. — Regii nostri *impulit.* — *Lingua tacet.* Vulgo *jacet.* Mox prior Vaticanus *iterataque*, quod non displicebat Heinsio ; sed vide Burmannum. — Regii nostri *jacet.... tentataque.* — Imitatus est Statius IX, 602, Nec *verba diu tentata sequuntur.* Eleganter *sequi* dicuntur, quæ parent conanti.

328. *Quem, misera o pietas* etc. Hunc locum ita constituit Heinsius ; olim edebatur *quam miser amplexans ego tunc.* Duo (et nostri Regii) *quam miser, o pietas* ; plerique, *quam miseropietas* ; unus *quem misero, o pietas.* *O misera pietas* solemnis exclamatio, ubi de malis pio inflictis sermo ; vide Heinsium. Sed an ita scripserit Ovidius certo affirmare non ausim. — *Patruo.* Pro vulgato *patrio* nonnulli *patrium* ; quidam *patrui* ; septem *patruo.* — Regii nostri *patruo* ; at codex B in margine *vel patrui.* — *Patruo corde* Heinsius interpretatur, forti et duro corde. Immo, ita ut decet patruum, veni in societatem doloris, et solatus sum fratrem *pium*, id est, unice amantem filiam, sed surdo solatia adhibui.

330. *Cautes* vel mentis attonitæ. Virg. Æneid. VI, 471, vel, ut h. l. surditatis symbolum. — *Delamentari* nova compositio ad formam τῶν *demirari* et *deamare*, in quibus *de* vim habet intendendi, ut *e* in *emirari* apud Horatium, I, Od. v, 8.

334. *Concitus*, celer, ut IV Fast. 461, *concito cursu fertur.* Similiter *incitus* ; Cic. N. D. II, 35, *inciti delphini.* — *Pressa cervice.* Multi *læsa cervice* ; secundus Palatinus *læva* ; Junianus *passa*, nempe *spicula* :

Qua via nulla, ruit : jam tum mihi currere visus
Plus homine est ; alasque pedes sumsisse putares.
Effugit ergo omnes ; veloxque cupidine leti
Vertice Parnasi potitur : miseratus Apollo,
Quum se Dædalion saxo misisset ab alto,
Fecit avem, et subitis pendentem sustulit alis,
Oraque adunca dedit, curvos dedit unguibus hamos,
Virtutem antiquam, majores corpore vires :
Et nunc accipiter, nullis satis æquus, in omnes
Sævit aves ; aliisque dolens fit causa dolendi. »
  Quæ dum Lucifero genitus miracula narrat
De consorte suo, cursu festinus anhelo

vide Heinsium.—Regii nostri *pressa.* — *Pressa,* cui impressa sunt spicula. — *Ruit.* Multi *fugit* : Ciofanus ex uno *nulla fuit.*—Regius A, sed a secunda manu, nam emendator aliquis posterior deletas vetustate literas restituit, habet *nulla fuit;* Codex B, *nulla ruit.*—*Currere plus*, currere velocius. Cursus ille adumbratio volatus. Etiam II, 586, Cranai filia, antequam in cornicem transiret, *currebat.* Et *currere* adeo pro volare, VIII, 203.—*Alasque pedes.* Vossianus *aliosque pedes.* — Regii nostri *alas.*—*Putares.* Bononiensis et Bersmanni *videres.* — Regii *putares.*

338. *Effugit ergo omnes* etc. Hunc quoque versum esse adulterinum vix dubitat Heinsius.

341. *Sustulit alis* eleganter pro, dedit alas, quia aves in sublime *tolluntur* alarum ope. II, 587 et 708 ; VIII, 256. Multi MSS *sustinet*, non minus eleganter ; aves enim *sustinent se alis*, IV, 411 ; *aura cadentem sustinuisse visa est*, VIII, 148. —Regii nostri habent *sustulit.* —*Pendentem*, ut penderet, volaret; VI, 667, *Corpora Cecropidum pennis pendere putares*, *Pendebant pennis* ; VIII, 145, de Niso : *jam pendebat in auras.*—Aliter originem accipitris narrat Anton. Liberalis 3. Hierax, vir justus et nobilis inter Mariandynos, quum Teucris a Neptuno vexatis opem tulisset, mutato corpore, mutatisque moribus accipiter factus est. *Μέγιστα γὰρ ὑπ' ἀνθρώπων φιληθέντα πλεῖστον ἐποίησεν (Ποσειδῶν) ὑπὸ τῶν ὀρνέων μισηθῆναι, καὶ πολλοὺς ἀνθρώπους ἀποθανεῖν κωλύσαντα, πλείστους ἐποίησεν αὐτὸν ὀρνίθων ἀποκτεῖναι.*

344. *Nullis satis æquus.* Vulgo (et in Regiis nostris) *nulli.*

346. *Quæ dum Lucifero* etc. Fabula altera de lupo. Secundum Nicandrum apud Anton. Peleus, interfecto Eurytione, Iri filio, ad Acastum fugit, et inde ad Chirona. Hinc, ovibus et bobus collectis, ad Irum pergit, eaque cædis nomine mulctæ offert ; quum recusaret Irus, Peleus ea oraculo monitus libera mittit : lupus armenta invadit. — *Consors*, frater, ut XIII, 663, Tibul. II, v, 24 : *consors sanguis*, fraternus sanguis, VIII, 445. De uxore est VI, 94 ; de sorore III Pont. II, 48. —

Advolat armenti custos Phoceus Anetor.
« Heu, Peleu, Peleu! magnæ tibi nuntius adsum
» Cladis, » ait: quodcumque ferat, jubet edere Peleus.
Pendet, et ipse metu trepidat Trachinius heros.
Ille refert: « fessos ad litora curva juvencos
Adpuleram, medio quum Sol altissimus orbe
Tantum respiceret, quantum superesse videret.
Parsque boum fulvis genua inclinarat arenis,
Latarumque jacens campum spectabat aquarum:
Pars gradibus tardis illuc errabat et illuc;

Miracula de consorte, miram fratris conversionem.—*Festinus*, festinans. Vocem hanc ab Ovidio primo usurpatam esse contendit Schirachius male; occurrit enim apud antiquiores, v. c. Virgilium, Æn. IX, 488.—*Cursu festinus anhelo*, currens tam festinanter, ut anhelaret. — *Phoceus*, e Phocide.

349. *Heu Peleu*. Tres *O Peleu*; unus Vossii *en Peleu*; quinque *heu*, quod placuit Heinsio qui tamen conjicit *et Peleu*, *heu Peleu*. — Regii nostri ambo *et Peleu*, *Peleu*.— *Heu Peleu*, *Peleu* satis lugubrem sonum habet, in primis in ore agresti.

351. *Pendet, et ipse* etc. Hic quoque amabilem et humanum se ostendit Ceyx. *Pendere* et *suspensus* eleganter dicitur animus, quum versatur incertus inter spem et metum, hinc quum anxius est et sollicitus de eventu rei. Sed Heinsius, qui paratus nimis est ad delendos versus, hunc quoque spurium judicat, improbante Burmanno, qui e multis MSS recte legi vult, *Pendet et ipse metu trepidus* etc. Vulgo *trepidi Trachinius oris*; hic versus servatur, Heinsius conjicit *trepidus Trachinius hæres*.—Regius Codex A, *trepidi .... oris*; Regius B, *trepidat heros*.

352. *Ille refert*: etc. Prolixitas et nimia diligentia hujus narrationis male convenit perturbationi et festinationi pastoris. Meridianum tempus tribus modis declarat; varias boum recreationes eleganter quidem, alieno tamen loco, enarrat, neque templi descriptio hic locum suum habet. — *Fessos* a via et æstu solis. — *Adpuleram*, adegeram. Absolute sic *appellere* Cic. I, Div. 44.— *Tantum* viæ aut cæli *respiceret*, post se relictum haberet. II, 187 sqq.

355. *Inclinarat*. Unus Mediceus *incurvarat*.—Regii nostri *inclinarat*. — Bene boum quiescentium habitum notat; *inclinatis* enim illi *genibus*, et capite fere immoto eumdem semper locum spectant, ut nunc *latarum campum aquarum*. latum mare: Vulgo (et in nostris Regiis) *campos aquarum*. Quum autem gramina carpunt, et *tardis gradibus* procedunt, et modo in hanc, modo in illam partem vestigia ferunt, quod verbo *errare* exprimitur.—Pro *illuc... et illuc* (quod habent nostri Regii) nonnulli dant *illuc .... et istuc*. — Etiam tertium recreationis genus suavi imagine exornavit, *celsoque exstant* etc.—Regius noster B habet *instant*; sed recentior paulo, ut e

Nant alii, celsoque exstant super æquora collo.
Templa mari subsunt, nec marmore clara, nec auro;
Sed trabibus densis, lucoque umbrosa vetusto:
Nereides Nereusque tenent: hos navita templi
Edidit esse Deos, dum retia litore siccat.
Juncta palus huic est, densis obsessa salictis,
Quam restagnantis fecit maris unda paludem.
Inde, fragore gravi strepitans, loca proxima terret,
Bellua vasta, lupus; silvisque palustribus exit,
Oblitus et spumis, et spisso sanguine rictus

scriptura videtur, alia manus bene supra inscripsit *ex*. Ed.

359. *Templa*, pro, *templum*. *Subsunt*, prope sunt, ut vers. 234. Lensius vero monet, domum Nerei et Nereidum sub mari intelligi; etenim et alios poetas lucos memorare in fundo maris. At ita custos pecoris domum illam non vidisset; neque poeta sic elocutus esset illam domum.—Bene judicat *Gierig*; sic et glossator aliquis supra τὸ *subsunt* scripsit *vel juncta* in nostro Codice B. *Ed.*—*Marmore clara*. Unus Gronovianus (at non Regii nostri) *marmore tecta*. *Clara* est, splendentia, ut II, 2. —*Umbrosa*, unus Heinsii *obscura*. — Regii nostri *umbrosa*.— *Trabibus umbrosa*, obscura arborum umbra. Quia in lucis sacris arbores cædere non licebat; hinc fere semper eorum *vetustas*, quæ et ipsa aliquid sanctitatis habet, commemoratur.—*Tenent* templum, qui in eo coluntur.—*Navita templi*. Codex Regius B, *navita ponti*; ita et in uno antiquiore Ciofani, in utroque Maffei et tribus aliis, testante Burmanno. *Ed.*—*Navita*, piscator. Pro, in litore versans, maluit specialem et gratam ideam, *dum retia* (in) *litore siccat*.—*Edidit*, scilicet mihi.

363. *Densis*. Plurimi (et noster Regius A) ex veteribus *raris*: vide Heinsium et Burmannum. *Obsessa densis*, cincta salictis, in quibus latere commode et commorari lupus poterat. — *Quam* ... *paludem*. Solet ita substantivum præcedens post relativum repeti, etiam ubi oratio minime ambigua.

365. *Inde*, *fragore gravi* etc. In vastitate lupi et feritate augenda non nimius est, immo præclare imitatur sermonem hominum portento aliquo obstupefactorum. Conf. Horatius, I, Od. XXII, 13 sqq, et Noster VIII, 282 sqq.—*Inde*, ex istis latibulis prodiens.—*Strepitans* pro *strepitus* dedit Constantius Fan. approbante Heinsio; alii *gravis*, vel *gravi strepitu*; Excerpta Calandræ *crepitans*.—Codex Regius A, *gravis strepitus*; Codex B, *gravi strepitu*.— *Fragore gravi strepitans*, et plurima et crassiora ligna frangens, ut strepitus longius audiretur. Audiri poterat, non videri propter salictorum densitatem. — *Silvisque palustribus*. Burmannus negat salicta nunc satis apte *silvas* vocari; de suo igitur dedit *ulvisque*: duo *fulvis*; alii *niveisque paludibus*.—Regii Codices ambo *silvis*.—*Oblitus*. Ciofanus in suis re-

Fulmineos; rubra suffusus lumina flamma.
Qui, quanquam sævit pariter rabieque fameque,
Acrior est rabie : neque enim jejunia curat
Cæde boum diramque famem satiare, sed omne
Vulnerat armentum, sternitque hostiliter omne.
Pars quoque de nobis funesto saucia morsu,
Dum defensamus, leto est data : sanguine litus
Undaque prima rubent, demugitæque paludes.
Sed mora damnosa est, nec res dubitare remittit.
Dum superest aliquid, « cuncti coeamus, et arma,
» Arma capessamus, conjunctaque tela feramus; »
Dixerat agrestis : nec Pelea damna movebant;
Sed, memor admissi, Nereida colligit orbam

perit *obsitus*, quod placet Heinsio. — Regii nostri *oblitus*; et mox pro *spisso* dant *crasso*. — *Spisso*, concreto.—*Rictus fulmineos*; vide ad X, 550. Supra IV, 96, *Venit ecce recenti Cæde leæna boum spumantes oblita rictus.*—Oculi suffusi *rubra flamma*, rubore igneo, furoris signo.

369. *Sævit*, omnia vastat et trucidat, incitatus *fame*, quæ multum vexat lupum, unde *improba ventris rabies* apud Virgilium, Æneid. II, 356. Sed hic, tanquam tigris, *acrior*, sævior et iracundior est, *rabie*, propter furorem a Nereidibus ei immissum. — *Jejunia* id quod *famem*. — *Satiare*, sedare : olim edebatur *famem finire*. Primus Regius *lenire*; multi *sedare*; Cantabr. pro diversa lectione *saturare*; octo *satiare*, quod elegit Heinsius. — Regius Codex A, qui et numero est primus inter plurimos in catologo Bibliothecæ Reg. Parisinæ, habet etiam *lenire*; nescio an idem sit qui a *Gierig* ex Burmanno notatur : Codex B, *finire*. Ed.—*Cæde*, carne boum cæsorum: *non curat satiare*, non vult, non id agit, ut famem sedet, cui rei sufficeret vel unus bos cæsus. — *Omne* habent Florentinus S. Marci, et unus Heinsii. Cæteri (et Regii nostri) *omnes*.

374. *Defensamus* : de hoc verbo vide ad XII, 376.—*Undaque prima*. Quod est principium undarum, quod litus lambit. *Ed.* — *Rubent*. Vulgo (et in Regiis nostris) *rubet*. — *Demugire*, singulariter dictum, mugitu implere.

376. *Res*, vastatio lupi. — *Dubitare*, dubium et fluctuantem cunctari, consilia conferre. — *Remittit*, sinit, permittit, ut X, 330.—*Coeamus*, ut vers. 24. *Coeamus, et arma*; olim *coeamus ad arma*.—Regius A, *coeamus, et arma*; B, *coeamus et omnes*. — *Arma* bis ita poni solet in illa formula; vide Heinsium.—*Conjuncta* pro, conjunctim.

379. *Nec... sed*, non tam, quam, ut recte Burmannus contra Tanaq. Fab. qui corrigit *et Pelea*. — *Admissi*, cædis fraternæ perpetratæ.—

Damna suo inferias exstincto mittere Phoeo.
Induere arma viros, violentaque sumere tela
Rex jubet Œtæus, cum quìs simul ipse parabat
Ire : sed Halcyone conjux excita tumultu
Prosilit, et nondum totos ornata capillos,
Disjicit hos ipsos ; colloque infusa mariti,
Mittat ut auxilium sine se, verbisque precatur,

Nereis, Psamathe, Nerei filia, ex qua Æacus Phocum genuerat. — *Colligit*, judicat, existimat. — *Suo*, filio suo. Non igitur assentior Heinsio *damna sui*, id est, damna sua, e MSS nonnullis vetustioribus præferenti. — Regius noster Codex A, *damna sui;* Codex B, *sua*, quod alii quoque habent. — *Inferiæ*, sacra Diis Manibus placandis facta, quæ proprie dicuntur *mitti* et *ferri*. Quum cædes facta morte aut insigni parricidæ clade compensatur, Dii dicuntur interfectorem aut illa damna *inferias mittere* interfecto; Horat. II, Od. I, 27, Juno *victorum nepotes Rettulit inferias Jugurthæ*.

382. *Induere arma viros* etc. Hic quoque mores suos amabiles servat Ceyx. — *Arma*, galeam, loricam, clypeum, quæ vestimentorum instar, *induuntur*, namque etiam clypeis loro aut ansæ insertatur sinistra. *Tela*, gladium, jacula, sagittas, quibus vis infertur. — *Œtæus*, quia Trachinia vicina Œtæ monti. Multi MSS *ætherius*, quod explicant, sidereum, splendidum : imo, qui ætheream, scil. cælestem originem habet: vide vers. 271. Sic etiam vers. 445, *sidereus* capi debet.

384. *Sed Halcyone conjux* etc. Apta hæc ingenio muliebri : *exciri* et *excitari* dicuntur qui aut vocati aut perterrefacti de sella sua repente prosiliunt. — *Tumultu*, strepitu virorum ad arma concurrentium. Prosilit ut Semiramis apud Valerium, IX, 3: « Quum ei circa cultum capitis occupatæ nuntiatum esset, Babylona defecisse, altera parte crinium adhuc soluta, protinus ad eam expugnandam cucurrit ; nec prius decorem capillorum in ordinem, quam tantam urbem in potestatem suam redegit. » — *Totos ornata capillos*. Multi *tortos*. — Nostri Regii *totos*. — *Disjicit* libri veteres (et nostri Regii) magna ex parte habent ; quod nonnulli approbarunt, idque pro *dissecat* voluerunt usurpatum : quinque *discutit* ; quatuor *dissipat* ; tres *discidit*. Sed de turbatis solemne esse *disjicere* exemplis docent Heinsius et Burmannus. — *Infusa* de amplexante, etiam Heroid. II, 93. Similiter *adfusus* IX, 366. Schirachius vero defendit, *infixa*, ut elegans sit imago ardenter petentis, et amantis fervide. Certe qui divelli ab aliqua re nolunt, *infixi* et *adfixi* dicuntur : *infusa* dederat Ciofanus ex tribus ; cæteri *infixa*. — Regii nostri *infusa*. — Disputatur, an recte dicatur, *mittere auxilium*. Historici sane dicunt *auxilia*, quum copias auxiliares indicare volunt, sed poetæ licuit singularem pro plurali ponere. — *Animasque* etc. quia, si Ceyx in illo certamine periisset, amantissima ejus conjux noluisset ipsi superstes esse ; III, 473, *Nunc*

Et lacrymis; animasque duas ut servet in una.
Æacides illi, « pulchros, Regina, piosque
» Pone metus : plena est promissi gratia vestri.
» Non placet arma mihi contra nova monstra moveri.
» Numen adorandum pelagi est. » Erat ardua turris,
Arce patens summa; fessis loca grata carinis.

duo concordes anima moriemur in una; Tibullus, IV, IV, 21, *in uno Corpore servato restituisse duos.*—*Ut servet.* Optimus Thuaneus et unus Vossii *conservet.*— Regii Codices *ut servet.*

389. *Æacides illi*, etc. Brevis et urbana responsio Pelei. Metus *pii* de salute conjugis, sunt *pulchri*, reginæ decori sunt et gloriæ. Mox Burmann. dubitat, an *plena est* etc. recte sit dictum pro, concedo in tuam sententiam et obsequor. Sane hoc verba minime dicunt. *Plena* est plurima, maxima. Promissum vestrum, studium vestrum me adjuvandi militibus, plurimum gratiæ habet. *Plenum* ita dici, docui ad X, 290.—Pro *promissi* unus Moreti habet *permissi*; et pro *vestri*, undecim *nostri*. Heinsius notaverat *permissi gratia voti.* — Regii nostri *promissi gratia vestri*; quæ lectio est defendenda ; nempe *permissi* e compendio scripturæ haud dubie fluxit. *Ed.* — *Non placet* e formula solemni sententiam dicentium. — *Nova monstra,* lupus et inusitatæ magnitudinis et diri furoris.—*Moveri.* Plurimi libri scripti et nonnulli editi, *movere.* — Bene ex nostris Regiis *moveri.*

392. *Numen Pelagi.* Psamathe: vide versum 398. — Hi versus valde vexarunt Heins. et Burmannum. Quum antea legeretur, *Arce locus summa*, quod sane ferri nequibat tum propter sensum, tum quia mox seq. *loca*: Heinsius ex ingenio emendabat, *focus*, et eamdem se postea lectionem in primo Vaticano reperisse adfirmat. Conjiciebat et *pharus* ductu alterius Twisdenii, ubi a manu prima erat, *phocus*. Quanquam putaret præstare *focus*, tamen non rejiciebat *foci* vel *faces*. Burmannus recte dubitat, an *focus* pro pharo poni possit, sed sine causa durum ei videbatur, *focus*, *loca grata carinis*. Itaque ampliandum hic censet, quanquam ipse ex uno Basil. egregiam lectionem profert, quam, Schirachio etiam probatam, amplexus sum, *Arce patens summa.* Lenzius autem præfert *focus*, et intelligit aram, in qua nautæ vota pro salute solverint. Sed non puto, aram in monte recte *focum* dici.— Regii nostri Codices *arce locus summa* : et si *locus* et mox *loca* male sonant, tamen consensus Codicum cum lectione antiqua mirus videtur. *Ed.*—Cacumina montium poetis *arces* dici, supra vidimus. In cacumine montis igitur erat *ardua turris*, pharus, *patens*, quæ longe lateque conspiciebatur, quo sensu eleganter *patere.* Eaque turris nautis *fessis*, diuturnitate itineris tempestatumque sævitia defatigatis, *locus gratus*. Nisi igitur hæc lectio profecta est ab ipso Ovidio, certe eo non indigna videtur. Carinæ ipsæ e longinquis terris redeuntes etiam VI, 519, *fessæ* vocantur, ut I, 582, *fessæ erroribus undæ.*

cendunt illuc, stratosque in litore tauros
ı gemitu adspiciunt, vastatoremque cruento
ferum, longos infectum sanguine villos.
e manus tendens in aperti litora ponti,
uleam Peleus Psamathen, ut finiat iram,
t, opemque ferat: nec vocibus illa rogantis
titur Æacidæ. Thetis hanc pro conjuge supplex
epit veniam: sed enim revocatus ab acri
le lupus perstat, dulcedine sanguinis asper;
ıec inhærentem laceræ cervice juvencæ
more mutavit: corpus, præterque colorem

{. *Adscendunt.* Multi *descen-*, quod Burmannus ex *escendunt* n putat, quam vocem Livio reddiderit Gronovius.—Regii i *ascendunt.*—*Ore ferum.* Potest substantive capi, ut apud Virg. hædr. de equo, cervo, leone etc. c *vastator ferus* dictum foret, ut 40, *raptores lupi.* — *Apertus*, conspectus late patet, ut *aper-mpus*, non obsitus arboribus, longe conspiciendus, *apertum* , non obductum nubibus, oculis longe lateque patens.
o. *Æacidæ.* Codex Regius B, a forma, *Æacidos.* — *Flecti-* tc. Sed Thetidis precibus miti-est, ut veniam daret Peleo. auctore Heinsio e vetustioribus sque MSS prætuli, *revocatus.* tra diu revocabatur a Nereide , donec etc. Ita bene notatur r et sanguinolentia lupi. Qui *vcatus* tuentur, explicant irre-bilem.—Ambo Regii nostri *re-tus* habent.—*Acris cædes.* sæva, ma.—*Asper*, ardens, incitatus, irg. Georg. III, 434, serpens *r siti*, et IX, 62, lupus *asper et obus ira Sævit.* Non modo ira, quanquam ea potissimum, cum *asperitate* comparatur, sed omnis etiam animi impetus.—*Inhærere* de mordente bestia etiam I, 535. Verbo *hærere* et compositis ablativus interdum additur, nisi malis hoc loco dictum pro, *hærentem in cervice.*—*Laceræ*, quam lacerare parabat. Ingeniose vastatorem in ipso lacerationis actu fingit mutatum. — *Cervice juvencæ..... Omnia servavit.* Micyllus conjicit *Nomina servavit.* Unus Mediceus *cervice gerenti.* Inde Burmannus faciebat, *vaccæ, cervice gerenti*, scil. lupum. Gronovii et Menardi *niveæ juvencæ.* Basileensis *lata cervice.* Tres, *mutavit corpus Psamateque colorem.* Multi, *corpus pariterque colorem, Cætera servavit*, ex quibus varias posse emendationes excogitari, Burmannus monet. — Regius noster B solus variam lectionem affert; habet *Marmore mutavit Psamete, præterque colorem Omnia servavit.*—*Marmore*, in marmor; vide ad IX, 81. Mutatus autem ille non in marmor informe, sed *corpus*, formam lupi, *omniaque*, omnes ejus partes, servavit. Laborare tamen hic sensus visus est post Mi-

Omnia servavit : lapidis color indicat illum
Jam non esse lupum, jam non debere timeri.
Nec tamen hac profugum consistere Pelea terra
Fata sinunt : Magnetas adit vagus exsul, et illic
Sumit ab Hæmonio purgamina cædis Acasto.

VIII. Interea fratrisque sui, fratremque secutis
Anxia prodigiis turbatus pectora Ceyx,
Consulat ut sacras, hominum oblectamina, sortes,

cyllum Burmanno qui e tribus MSS legit, *inhærentis .... mutavit corpus*, aut, ut concursus genitivorum vitetur, *inhærenti*, ut est in uno MS Puteaneo.—Anton. Liberalis de hoc saxeo lupo, *καὶ ἄχρι πλείστου διέμεινε μεταξὺ Λοκρίδος καὶ τῆς Φωκίδος γῆς.* Inde colligas, saxum quoddam, illius loci formam lupi utcumque referens, fabulam peperisse.

407. *Consistere.* Heinsius malebat *considere.* Regii nostri *consistere*, et bene contra scriptos omnes nihil mutavit Burmannus. *Ed.*— Observat Burm. præeunte Servio ad Virg. Æn. VIII, 10, *consistere* dici de iis, qui post vagos errores in certis sedibus quiescant. — *Purgamina sumit*, purgatur, lustratur, *καθαίρεται.* Neque enim ei, qui cæde, adulterio similique facinore se polluerat, sacris interesse licebat, aut templa adire, nisi lustratus antea esset, quæ lustratio aqua viva aut marina, sulphure, flamma fiebat. Secundum alios bis Peleus lustratus est, propter fratris cædem ab Eurytione, et, Eurytione interfecto, ab *Acasto*, Iolci rege. Apollodorus, III, XIII, 1 sq.

410-748. *Ceyx* et *Halcyone.* Ceyx ad Apollinis Clarii templum proficiscens perit naufragio. Halcyonæ de salute mariti sollicitæ Morpheus apparet in somnis, indicatque periisse eum. Illa quum ad litus decurrisset, in volucrem vertitur, eamdemque transformationem patitur corpus Ceycis exanime. Conf. Hyginus, fab. 65, et Lucianus Halc. tom. I, p. 129, qui eosdem cum Nostro auctores secuti videntur, quanquam paucis rem attingunt. Alii in multis dissentiunt. Vid. Apollodorus, I, VII, 4; Schol. Homeri ad Il. I, 558; Schol. Aristophanis, p. 552; Schol. Theocriti ad Id. VII, 57; Tzetzes ad Lycophronem. p. 69; Servius ad Virgilium, Georg. I, 399; Lutatius ad Statium, IX, Theb. 361. Etiam Hesiodus hæc forsan tractaverat : certe Athenæus, II, p. 49, carmen ejus laudat Κήϋκος γάμος inscriptum. Noster exornavit hanc fabulam copiosissimis tempestatis, Somni, Morphei descriptionibus. Et est in elaboratissimis hujus operis partibus, in quibus Auctor vel maxime ingenium ostentavit. Elegit traditionem eam, quæ ipsos commendat. — Consilium Ceycis. Mutatio fratris in accipitrem (vers. 291 sqq), et paulo post lupus Pelei armenta trucidans vim prodigiorum habebant, quibus *turbatus*, perterrefactus Ceyx Apollinem consultum abit. — *Hominum oblectamina*, quibus oblectantur homines in malis, quibus pellunt malorum mo-

arium parat ire Deum : nam templa profanus
cum Phlegyis faciebant Delphica Phorbas.
.ii tamen ante sui, fidissima, certam
it, Halcyone : cui protinus intima frigus
receperunt, buxoque simillimus ora
obit, lacrymisque genæ maduere profusis.
onata loqui, ter fletibus ora rigavit;
ltuque pias interrumpente querelas,
e mea culpa tuam, dixit, carissime, mentem
tit? ubi est, quæ cura mei prius esse solebat?

V Trist. XII, 1, *oblectare* *acrymabile tempus*. Male igi- leinsius ex uno MS Sixiano *homini lactamina*, quia ora- mines spe vana lactaverint, iim credat, ridere h. l. Ovi- acula voluisse?) et Tan. Fa- endat, *solamina*, metuens, *tamina* satis ex dignitate ora- n dictum sit. — Regii nostri *oblectamina*.—De *Clario Deo* I, 515.

Profanus.... *Phorbas*. Basi- *rofani*.... *Phryxi*; *faciebant* s ex Vossiano et uno Basi- ecepit ; cæteri *faciebat*. — ostri *profanus*... *faciebat*... r. — *Phlegyæ*, gens Orcho- um, et strenui erant bella- Homerus, Il. N, 301), et s insolentissimi atque rapa- , qui Apollinis adeo Delphici m diripuerunt. Hinc omnes bus missis, terræ motibus et itia absumti sunt. Pausanias . 782.—*Phorbas*, non Argi- , Argi filius, cujus stemma ias Corinth. p. 145, et Schol. lis ad Orest. vers. 930, exhi- s enim antiquior Ceyce, sed ubie Phorbas Olenius, Ceyci , qui in pugna Lapitharum infra XII, 322, memoratur.—*Profanus*, contemtor Deorum, qui non modo obvios cogebat, ut pugilatu secum certarent, victosque necabat, sed Deos adeo ipsos provocando lacessebat. Occisus est ab Apolline. Schol. Hom. ad Il. Ψ, 660.—*Invium*, ad quod via non tuta. Dixit *faciebant*, quia præfert pluralem, ubi de pluribus agitur per *cum* conjunctis; vide I, 320, ibique Burmannum.

416. *Halcyone*, Æoli et Ægiales aut Enaretes filia; Hyginus, Apollodorus. Ea jam et dolet, et metuit, et deterret.—*Buxo simillimus*. Vid. ad IV, 134.—*Pallor obit;* Sixi et tres alii *pallor habet;* vide ad IX, 291; unus *adit:* sed *obit* est occupat, ut I, 532.—Regii nostri *pallor obit*.

420. *Singultuque pias*. Moreti *singultuque suas;* Gronovianus *singultu medias :* et pro *querelas*, Leidensis *loquelas*.— Regii nostri *singultu que pias*.... *querelas*. — *Quæ mea culpa*, etc. Dolorem exprobrationibus et suspicionibus declarat, verissime quidem e natura amantium. — *Vertit*, mutavit, abalienavit a me. Heinsius suum *Eia* (vide ad VI, 640) hic quoque inserere volebat : quum in versu superiore pro *dixit* Florentinus haberet *vertit*, hoc recipien-

» Jam potes Halcyone securus abesse relicta;
» Jam via longa placet; jam sum tibi carior absens.
» At puto per terras iter est, tantumque dolebo;
» Non etiam metuam; curæque timore carebunt.
» Æquora me terrent, et ponti tristis imago:
» Et laceras nuper tabulas in litore vidi;
» Et sæpe in tumulis sine corpore nomina legi.
» Neve tuum fallax animum fiducia tangat,
» Quod socer Hippotades tibi sit, qui carcere fortes
» Contineat ventos, et, quum velit, æquora placet.
» Quum semel emissi tenuerunt æquora venti;

dum putabat et deinde legendum *Eia ubi jam quæ*, etc. — *Ubi est*, *τὸ est* omittit codex Regius A.—*Cura* est amor.—*Securus*, sine cura, quid fiat relictæ conjugi.

425. *At puto*: vide ad II, 566. — *Curæ*, desiderium. — *Imago*, cogitatio ponti, quem mihi ante oculos pono, in quo sæpe, etiam nuper, naufragia facta cognovi. Tacitus, Hist. IV, 58, *Horret animus tanti flagitii imagine;* Virgilius, Æn. IV, 405, *pietatis imago*. Ita et supra VIII, 508. Metus hic muliebri in primis animo convenit. — In *laceris tabulis* non debebat hærere Saffitius, qui vertit, *die verstümmelten Gemaehlde von Schiffbrüchen*. Quis enim non videt, esse fractas navis tabulas et in litus ejectas? Naufragis, omninoque mortuis, quorum corpora reperiri non poterant, *tumuli* inanes exstrui solebant: vide VI, 568. Præfert Heinsius ex primo Mediceo *in titulis*. Sine causa; tumuli habebant titulos, ergo etiam *nomina*. Laudat Burmannus e Quintil. Inst. VII, 3, *Nomen tumulo, quem* (in litore) *exstruxerant, inscripserunt*. Sed Noster quoque exempla suppeditat similia. Mox vers. 706: *In sepulcro... junget nos litera;* XII, 2, *tumulo quoque nomen habenti*. Accedit, quod additur *sine corpore*. Heinsius malit etiam *sine nomine corpora*, ut intelligantur naufragi post in litus ejecti et in ignota ora terræ mandati. Sed reclamant omnes Cod. et durum foret, *corpora legi*. Illud autem nos morari non debet, quod istis temporibus nondum tituli inscribebantur tumulis. Centies Noster confundit tempora.

430. *Neve tuum fallax*, etc. Accommodate hæc de ventis ad personarum rationem dicta. Namque et *fiducia* illa facile tangere poterat *Hippotadæ* scil. Æoli generum, nec melius quisquam eam refellere, quam ejusdem Dei filia. Fiducia illa virili animo convenit, sollicitudo hæc muliebri. — De *carcere Hippotadæ* confer. IV, 662.—*Fortes*, rapidi aut feroces. Irati, quibuscum comparatur mare turbidum, et *placari* dicuntur et *pacari*. Itaque hæc duo verba ubique fere, etiam hoc loco in MSS permutantur: vid. Bentleius ad Horat. Art. Poet. 197.

433. *Tenuerunt*, incubuerunt. —

» Nil illis vetitum est, incommendataque tellus
» Omnis, et omne fretum: cæli quoque nubila vexant,
» Excutiuntque feris rutilos concursibus ignes.
» Quo magis hos novi, nam novi, et sæpe paterna
» Parva domo vidi, magis hos reor esse timendos.
» Quod tua si flecti precibus sententia nullis,
» Care, potest, conjux, nimiumque es certus eundi,
» Me quoque tolle simul: certe jactabimur una;
» Nec, nisi quæ patiar, metuam; pariterque feremus
» Quidquid erit; pariter super æquora lata feremur. »
Talibus Æolidos dictis lacrymisque movetur
Sidereus conjux; neque enim minor ignis in ipso est;

Quia *venti* et *æquora* præcedunt, Heins. suadet *tenuerunt cærula* aut *aera fratres*, ut alterum e glossa natum sit. — Regii nostri nihil mutant. — *Nil illis vetitum est*, nil pro vetito habent. Graviter eos hoc nomine increpat Æolus apud Virgilium Æn. I, 132. — *Incommendata*. Alii *incommutata*; Thuaneus *inconservata*. — Regii codices *incommendata*. Quæ *commendata* habemus, eorum curam præcipuam gerere debemus. Hinc *incommendatus*, cui non parcimus, quem impune violare licet; nove dictum. *Nubila vexant*. Basileensis *nubila verrunt*, ut infra 499. *Vexant*, contorquent. Respexit autem h. l. Lucret. I, 279: *Venti corpora cæca, Quæ mare, quæ terras, quæ denique nubila cæli Verrunt, ac subito vexantia turbine raptant*. Fulgura et tonitrua excitabant, e Democriti, Stoicorum aliorumque sententia, venti cum nubibus *concurrentes*: vid. Lucretius VI, 95 sqq; 172 sqq. Confer. supra VI, 693 sqq. Pro *concursibus* Regius (et noster codex A; de qua similitudine vide quæ jam ad versum 371 monuimus) *incursibus*; Basileensis *occursibus*; duo *concussibus*; Boxh. *congressibus*.

438. *Magis hos reor*. Plures *magis hoc*, quod probat Burmannus, quia jam dixit *hos*. — Regii nostri *hoc*, quod recte probavit Burm. Id est, ob hoc, ex hoc, etc. *hos* glossa est. *Ed.*

441. *Tolle*, scil. nave aut in navem, navi impositam fac comitem itineris. Cic. ad Q. Fratrem II, 10, *ut te proficiscens non tollerem* in rhedam. Plenius Horatius, II, Serm. VI, 42, *quem tollere rheda vellet, iter faciens*. — *Jactari* proprie et de periculis navigantium, et de corporibus eorum, qui naufragio perierunt. — *Nec, nisi quæ patiar*, etc. Nempe metus multa mala temere fingit. Seneca Epist. 13, « Nescio quomodo » vana magis perturbant. Vera enim » modum habent; quidquid ex in» certo venit, conjecturæ et licen» tiæ paventis animi traditur. » — *Feremur*. Mallet Heinsius *vehemur*, vel *trahemur*, quia præcessit idem verbum. — Cod. nostri *feremur*; tamen Heins. libenter adhæream. *Ed.*

445. *Sidereus* sæpe apud poetas ad præstantiam eximiam referendum,

Sed neque propositos pelagi dimittere cursus,
Nec vult Halcyonen in partem adhibere pericli;
Multaque respondit, timidum solantia pectus;
Nec tamen idcirco causam probat : addidit illis
Hoc quoque lenimen, quo solo flexit amantem :
« Longa quidem nobis omnis mora; sed tibi juro
» Per patrios ignes, si me modo fata remittent,
» Ante reversurum, quam luna bis impleat orbem. »
His ubi promissis spes est admota recursus;
Protinus eductam navalibus æquore tingi,
Aptarique suis pinum jubet armamentis.
Qua rursus visa, veluti præsaga futuri,
Horruit Halcyone; lacrymasque emisit obortas;
Amplexusque dedit; tristique miserrima tandem

sed nunc ad originem Ceycis; vid. vers. 271. — *Ignis*, ardor amoris. — *Nec vult Halcyonen* unus Mediceus; judice Burmanno, numerosius *nec tulit* : vide ad XIII, 460 : et mox tres *adhibere laboris*. — Regii nostri *nec vult... adhibere pericli*.

449. *Causam* ei *probat*, facit, ut consilium suum bonum ei videatur; vid. Ernesti Clav. Cic. h. v. Phædr. IV, XXIV, 11, *Opus approbavit*. — *Flexit*, solatus est.

453. *Per patrios ignes*. Per patrem meum Luciferum stellam lucidissimam. *Ed.* — *Remittent*. Codex Regius A *remittant;* alterum ex melioribus recepit Heinsius. — *Luna bis*. Regii nostri *bis luna;* quod discrimen parum movere debet, nisi quod ante vocalem *bis* sæpius corripiatur. *Ed.* — *Luna bis impleat orbem*. Heroid. II, 3, *Cornua quum Lunæ pleno quater orbe coissent, Litoribus nostris ancora pacta tua est.*

454. *Spes est admota*. Argent. *addicta;* Junianus *admissa*. — Regii nostri ambo *admota;* sed codex B supra habet *vel addicta*. — *Spes est admota recursus*, spes est facta celerioris reditus. Curtius IX, IX, 7, *quo propius spes admovebatur*. Eleganter enim spes dicitur *admoveri*, propius adduci, quum sit spes celerioris eventus. Opp. *longa* et *lenta spes* Heroid. II, 9; XVII, 108. — *Recursus*, reditus navigantium. — *Navale*, locus in litore, ubi lignis suppositis stabant naves siccæ; III, 661. Quum iis opus est, lignis teretibus subjectis retrahuntur in mare, quod proprie *deduci* dicitur VI, 445; sed h. l. *educi*, quia additur navalibus. — *Aptari*. Quidam *armari* : sed *armari armamentis* Burmannus non censet Ovidianum esse; addit posse legi *ornari*, quod verbum in hac re proprium sit. — Regii nostri *aptari*. — *Armamenta*, vela, remi, rudentes et omne instrumentum nauticum. Iis (casu sexto) *aptatur* navis, id est, instruitur, ornatur; Virgilius Æn. III, 472, *classem velis aptare*

Ore, vale, dixit; collapsaque corpore tota est.
Ast juvenes, quærente moras Ceyce, reducunt
Ordinibus geminis ad fortia pectora remos;
Æqualique ictu scindunt freta : sustulit illa
Humentes oculos; stantemque in puppe recurva,
Concussaque manu dantem sibi signa maritum
Prima videt, redditque notas : ubi terra recessit
Longius, atque oculi nequeunt cognoscere vultus,
Dum licet, insequitur fugientem lumine pinum.
Hæc quoque ut haud poterat spatio submota videri,
Vela tamen spectat summo fluitantia malo.

jubebat. Cæterum Quintil. Inst. IX, 4, 65, placet, si clauditur versus quadrisyllabo, quale *armamentis.*

460. *Collapsa :* vide ad X, 186; Heroid. II, 130, *Linquor, et ancillis excipienda cado.* — *Corpore tota est.* Codices nostri Regii *corpore toto est*, non male. *Ed.*

461. *Juvenes*, remiges : etiam Homer. sic, κοῦροι. — *Quærente moras*, ut solent, qui ægre ab aliquo divelluntur. Confer Heroid. II, 93; Tibullum I, III, 15. — *Reducunt... freta :* graphice describit laborem remigum. Lucanus III, 543 : *Tum cærula verrunt, Atque in transtra cadunt, et remis pectora pulsant.* — *Ordinibus geminis*, quia nave biremi utuntur; nam triremes serius inventæ : vid. Heinsius et Burmannus. Similiter Virgilius Æn. V, 119, triremem describit, *triplici pubes quam Dardana versu Impellunt; terno consurgunt ordine remi.* — *Æquali*, ad numerum : modum iis dabat musicus nauticus, de quo Silius VI, 212. — *Scindunt freta.* Duo *findunt :* Thuaneus *tundunt.* — Regii nostri *scindunt.*

464. *Puppe recurva.* Multi, ut Florentinus S. Marci, et Cantabr. *puppe relicta ;* unus Mediceus *redicta*, unde Heinsius conjiciebat *reducta*, vel *redunca.* — Regii nostri *recurva.* — *Concussaque manu.* Unus Palatinus *complosaque;* ita Gebhard. etiam Crepund. III, 2, et ita aliquoties Petronius; sed, ait Burmannus, ex longinquo signa dare quum volumus, magis jactamus et concutimus, quam complodimus manus. — Regii nostri *concussa*, quæ sola est vera lectio. *Ed.* — *Concussa manu*, jactatis manibus; in Heroid. X, 438, Ariadne Theseo : *Jactatæ late signa dedere manus, Candidaque imposui longæ velamina virgæ.* Supra V, 596, *Excussa brachia jacto.* — *Notas reddit*, signa vicissim dat, signis respondet. — *Recedere* loca suaviter dicuntur a quibus ipsi celeri cursu abimus; Virgilius, Æn. III, 72; Silius II, 157. Cæterum confer Heroid. XIII, 1-25, ubi idem Laodamiæ sensus.

469. *Submota.* Nonnulli *semota ;* mox pro *fluitantia*, Cantabr. *volitantia*, ut Valerius Flacc. I, 620. — Regii nostri *submota* et *fluitantia* habent. — *Fluitantia*, in aere moto,

Ut nec vela videt, vacuum petit anxia lectum;
Seque toro ponit : renovat lectusque locusque
Halcyonæ lacrymas; et quæ pars, admonet, absit.
Portubus exierant; et moverat aura rudentes.
Obvertit lateri pendentes navita remos;
Cornuaque in summa locat arbore, totaque malo
Carbasa deducit, venientesque excipit auras.
Aut minus, aut certe medium non amplius æquor
Puppe secabatur, longeque erat utraque tellus,

tanquam in fluctibus. Hoc elegantius, quam *volitantia*. Etiam Plinius, Pan. cap. 81, *Non ille fluitantia vela oculis sequitur*, et Propertius III, 17, de velis theatrorum, *Pleno fluitantia vela theatro*. Art. Amat. III, 148, capillis motis tribuuntur *similes fluctibus sinus*. Præiverat Lucretius IV, 75, vela *trementia flutant*.

471. *Vacuum:* vide ad X, 438. — *Se ponit toro*, recumbit in toro, cubitum it.—*Lectus* et *torus* differunt: *lectus* curarum nutritor; vide VIII, 655, et infra versu 608. — *Lectusque locusque*. Basileensis et Heinsii unus *torusque;* quæ repetitio Ovidio familiaris non displicet Burmanno, quanquam nihil mutare audet propter IV Trist. III, 23.— Regii nostri habent *locusque*.—*Pars*, alter conjugum; I Trist. II, 44, de conjuge sua, *Si peream, Dimidia certe parte superstes ero*. — *Absit*. Multi *abstit*, quod etiam Priscianus in suo reperit, qui interpretatur *abstitit*. Priscianum secuti sunt recentiores quidam; sed ridicule; vide Heinsium.—*Absit* in nostris Regiis.

474. *Moverat aura rudentes*. Id quod admonebat nautas, ut velorum ope uterentur.— *Obvertunt* ergo *lateri*, etc. hoc est, remigare desistunt. Tunc enim remos, antea *pendentes*, transversos ponunt, ne frangantur ab undis, idque *inhibere remos* dicitur. — *Cornua* etiam vers. 482; antennæ, ad græc. κέρατα et κεραῖαι, quarum extremitates ἀκροκέρατα. Antennas funibus, quos anginas dicebant, *locabant*, alligabant, *in suprema arbore*, in suprema mali parte. — De *deducit* vide ad III, 663.— *Venientes*, orientes, flare incipientes. — *Excipit*. Notat Heinsius meliores omnes habere *accipit;* sed Burmannus tuetur *excipit* propter hæc Quintiliani, Declam. XII, 16, *omnes excipe auras*. — Regii nostri etiam habent *accipit*, quod verum esse docet consensus codicum meliorum. *Ed.*

478. *Aut minus, aut* etc. Sequitur horrendæ tempestatis descriptio, quæ singula diligenter, apteque ad horrorem injiciendum recenset, sed etiam luxuriantis ingenii ineptos lusus nonnullos habet, nec modum servat. Præivit Nostro Virgilius, Æn. I, 81 sqq; III, 193. Conf. I Trist. II, 14 sqq; IV, 5—16; Silius XVII, 250 sqq. — *Longe erat*, longe aberat, remota erat, (vide Schwarz. ad Plinium Pan. cap. 25) *utraque tellus*, et Trachinia et Asia, ut adeo ne tabulis quidem insidentes unus et alter salutem petere possent. — *Sub noc-*

Quum mare sub noctem tumidis albescere cœpit
Fluctibus, et præceps spirare valentius Eurus.
« Ardua, jamdudum, demittite cornua, rector
» Clamat, et antennis totum subnectite velum. »
Hic jubet : impediunt adversæ jussa procellæ;
Nec sinit audiri vocem fragor æquoris ullam.
Sponte tamen properant alii subducere remos;
Pars munire latus; pars ventis vela negare:
Egerit hic fluctus, æquorque refundit in æquor;
Hic rapit antennas : quæ dum sine lege geruntur,
Aspera crescit hiems, omnique e parte feroces
Bella gerunt venti, fretaque indignantia miscent.
Ipse pavet, nec se, qui sit status, ipse fatetur

tem aut *sub nocte*, ingruente nocte, ut *sub sole*, oriente sole. Noctu tanto atrocior talis tempestas. — *Albitudo*, spuma alba aquarum, quam efficit primus ventus, futuræ tempestatis indicium. Virgilius, Æn. VII, 528. — *Eurus* adversus est e Græcia in Asiam navigantibus.

482. *Ardua demittite* etc. Studia nautarum summa cum concursatione sibi navique consulentium. Conf. Claudianus, B. Get. vers. 274 : *Nunc instare manu, toto nunc robore niti Communi pro luce decet; succurrere velis, Exhaurire fretum, varios aptare rudentes, Omnibus et docti jussis parere magistri.* — *Jamdudum*, continuo, ut XIII, 457, et Virg. Æn. II, 103, *jamdudum sumite pœnas*, ubi vide Burmannum. — *Totum subnectite*. Heins. malebat *tortum*, quia supra versu 470, duo habent *tortaque malo* etc. — Sed hoc loco nullo codice probatur. *Ed.* — *Subnectite velum*, velum involutum alligate antennis. Id quo pacto factum sit, ostendit tab. 20, in Potteri Archæol. tom. II.

486. *Subducere*, retrahere remos, ne frangantur fluctibus. — *Munire latus*, obstruere foramina, ne aqua intrare possit. — *Æquor*, aqua æquorea, ut *mare* III, 686; et *fretum* apud Claudianum d. l. Sed jocus ille et lusus verborum, *æquor refundit in æquor*, et in se puerilis est, et ab hac tempestatis notatione alienissimus.

489. *Rapit*, raptim detrahit. — Augetur interea tempestas. — *Sine lege*, sine ordine (ut I, 477; II, 204), quum nec rectoris vox audiri posset, nec metus consilium admitteret. *Lex* omnino modus et ratio certa aliquid efficiendi. — *Hiems*, χειμών, tempestas. — *Aspera*, vehemens. *Crescit*, validior fit; Plin. pan. 82, *crescentia laboribus membra.* — *Omni ex parte*, omnibus e cæli regionibus. Sic *pars* etiam II, 160. — *Feroces* (vide ad vers. 291), et supra *fortes*, quia cum bellatoribus comparantur. — *Miscent*, commovent freta, quibus tunc *indignatio* tribuitur.

492. *Ipse* periculi augendi causa repetitum videtur. Hinc etiam epi-

Scire ratis rector, nec quid jubeatve, vetetve:
Tanta mali moles, totaque potentior arte est!
Quippe sonant clamore viri, stridore rudentes,
Undarum incursu gravis unda, tonitribus æther.
Fluctibus erigitur, cælumque æquare videtur
Pontus, et inductas adspergine tinguere nubes:
Et modo, quum fulvas ex imo verrit arenas,
Concolor est illis; Stygia modo nigrior unda;
Sternitur interdum, spumisque sonantibus albet.

phonema additur, *Tanta mali moles* etc. Hoc certe malim, quam ex Heinsii emendatione, *Ecce pavet* legere; *ecce* enim hic non habet suum locum. *Pavor* autem ipsius rectoris quum sit summi periculi indicium, commemorari fere solet in tali descriptione. Homerus, Od. E, 297; Virgil. Æn. I, d. l.; I Trist. II, 31, *Rector in incerto est: nec quid fugiatve petatve Invenit; ambiguis ars stupet ipsa malis.* — *Qui sit status.* Saſſtius, *dass er nicht wisse, wo das Schiff sey.* Sed *status* latius patet, omnemque exprimit navis atque navigantium conditionem.—*Jubeatve, vetetve*: vulgo et in nostris codicibus Regiis *jubeatve, velitve*; sed *vetet* præferendum, quia melius τῷ *jubeat* opponitur. *Ed.*—Mox docta quidem est Burmanni emendatio, *doctaque potentior arte*; Claudianus dicto loco, *doctus magister*; (vide ad IX, 742) sed minime erat necessaria: vulgo legebatur *tantaque*; Heinsius conjecit *cautaque*. — Regii nostri codices *totaque*.

495. *Sonant clamore viri* etc. Sonus varius et mixtus obtundebat auditum, perturbabatque animum rectoris. Virg. d. l. *Insequitur clamorque virum, stridorque rudentum.*—*Undarum incursu.* Gronovianus *impulsu*. —Regii cod. *incursu*. — *Undarum... unda*, fluctuum collisione sonabat unda. — *Æquare*, nempe altitudine. Copiosius hæc exornata sunt I Trist. II, 19: *Quanti montes volvuntur aquarum! Jamjam tacturos sidera summa putes* etc.—*Tinguere* recte Burmannus ex uno Moreti prætulit τῷ *tangere*: hoc revocavit Mitscherl.—Regii nostri habent *tangere*, quod bene cum *adspergine* jungitur. *Ed.*—*Adspergine tinguere*, adspergere, etiam III, 86: supra I, 572, *adspergine silvas impluit.*—*Ex imo verrit.* Vulgo (et in Regiis nostris) *ex imo vertit.* *Verrere* passim de ventis arenas tollentibus, ut VI, 706: hinc etiam de fluctibus commotis, I Trist. IV, 6, *Erutaque ex imis fervet arena vadis*; Virgilius, Æn. III, 557, *æstu miscentur arenæ*: sed talia debentur ingenio poetarum. Motus enim ille aquarum, quem faciunt venti, non pertinet, nisi forte in litore aut in locis vadosis, ad fundum maris.—*Sterni*, στορεῖσθαι, solemne de mari tumido, quum sedatur, et fluctus quiescunt. — *Spumisque sonantibus.* Palatinus, *spumisque tumentibus*, quod Heinsius ex VII, 263, repetitum judicat; Moreti *stridentibus*; Gronovii *sonantibus ardet*. — Regii nostri *sonantibus albet*.

Ipsa quoque his agitur vicibus Trachinia puppis:
Et modo sublimis, veluti de vertice montis,
Despicere in valles, imumque Acheronta videtur:
Nunc, ubi demissam curvum circumstetit æquor,
Suspicere inferno summum de gurgite cælum:
Sæpe dat ingentem fluctu latus icta fragorem;
Nec levius pulsata sonat, quam ferreus olim
Quum laceras aries ballistave concutit arces;
Utque solent, sumtis in cursu viribus, ire
Pectore in arma feri prætentaque tela leones.
Sic ubi se ventis admiserat unda coortis,

503. *Et modo sublimis* etc. Conf. Virgilius, Æn. I, 105; et III, 564. — *Demissam curvum*. Menard. *demissam pinum*. — Regii codices *curvum*; cæteroquin haud ingrata foret Menardi emendatio, si codicibus firmaretur. *Ed.* — *Curvum æquor*, in altum sublatum, montis instar; Virgilius, Georg. IV, 361, *Curvata in montis faciem circumstetit unda*; vide et infra XV, 507: et ita ubique *curvum* et *curvatum* mare apud poetas; Homerus κυρτὸν aut κυρτωθὲν κῦμα: vide Od. Λ, 242.

508. *Nec levius pulsata* etc. Oppugnatur navis a fluctibus non aliter ac urbs a militibus, quam similitudinem servat usque ad vers. 535. — *Olim*, fere; vide ad IX, 170. — *Arces*, turres murorum. — *Laceras*, ut eas lacerent, perfringant. Eadem similitudo I Trist. II, 47: *Nec levius tabulæ laterum feriuntur ab undis, Quam grave ballistæ mœnia pulsat onus.*

510. *In cursu*. Quatuor *in cursus*; unus *cum cursu*. — Regii nostri *incursu*. — Non vim undarum illustrare vult, sed causam auctæ violentiæ: *sumtis viribus*; vide ad X, 373. Mox conjunge, *feri leones*, qui *eunt*, ruunt, feruntur, *in arma*, nempe in *prætenta tela*. venabula, quæ proprie dicuntur *prætendi*. quum iis excipitur bestia irruens; III, 83; VIII, 341. Hoc loco vulgo *protenta*. — Regius noster Codex B etiam habet *protenta*: de ista lectione sicuti de aliis ejusdem generis, ubi *præ* vel *pro* scribentur, difficile est, uti jam admonuimus, distinguere, propter scripturæ compendium. *Ed.* — *Ire in aliquem* de hostili impetu; vide ad VIII, 403. — *Se admiserat*, concitato cursu ferebatur; *Admissæ aquæ*, Amor. I, VIII, 50, ut *admissus equus* passim: Virgilius, Æn. XI, 272, *admissis petierunt æthera pennis*. Vulgo *se ventis commiserat*, quam lectionem non movendam censet Schirachius. At nunc de auctis viribus sermo est; itaque præstat utique *admiserat* (quod habent ambo nostri Regii). — *Ventis coortis*, concursibus ventorum interruptis interdum et deinde majore vi redintegratis, ut solet fieri in tempestate. Confer I, Trist. II, 27. Frustra hic hæsit Burmannus. « Licet hoc verbo, inquit, tanquam proprio utantur

Ibat in arma ratis, multoque erat altior illis.
Jamque labant cunei, spoliataque tegmine ceræ
Rima patet, præbetque viam letalibus undis.
Ecce cadunt largi resolutis nubibus imbres;
Inque fretum credas totum descendere cælum;
Inque plagas cæli tumefactum adscendere pontum.
Vela madent nimbis; et cum cælestibus undis
Æquoreæ miscentur aquæ : caret ignibus æther;
Cæcaque nox premitur tenebris hiemisque suisque.
Discutiunt tamen has, præbentque micantia lumen
Fulmina : fulmineis ardescunt ignibus undæ.

Lucretius et alii de ventis, tamen huic loco parum convenire mihi videtur. Nam jamdudum *coorti* erant venti; quare cum secundo Palatino et Francof. præferrem *coactis*; ingruente enim procella, ut in turbine fieri solet, coibant venti, et ab omni parte impugnabant navem. » — Regii nostri *coortis*. — *In arma*, in armamenta.

514. *Cunei*, χιλύσματα, ligna quædam crassiora, quæ inferebantur navibus, quo minus, si in saxa incurrerent, attererentur rimasve contraherent; vid. Scheffer. de Milit. Nav. I, 6.—*Ceram* pro pice positam putant Regius et Glareanus. Certe pice oblini naves solebant, ut essent munitæ contra vim aquarum. Hinc μίλαιναι vocantur ab Homero. Sed picis loco *cera* interdum adhibebatur; Heroid. V, 42, *cærula ceratas accipit unda rates*. Utraque materiá conjungitur infra XIV, 532.—*Rima patet* etc. Virgil. Æn. I, 122, *laxis laterum compagibus omnes Accipiunt inimicum imbrem, rimisque fatiscunt*. — *Totum descendere cælum*. Virg. ibid. 129, *cæli ruinam* vocat; Georg. I, 318, *ruit æther*. — *Cadunt largi imbres*. Codex Regius A, *cadunt late* etc. quæ lectio non displicet. *Ed.* — *Descendere cælum*. Duo veteres *discedere*, unde Heinsius conjicit *desidere*, ut Virgilius, Æneid. III, 565, *ad manes imos desidimus unda*. —Regii nostri bene habent *descendere*. — *Plagæ cæli*, regio cælestis, cælum. — *Adscendere*. Plurimi (et nostri Regii) *scandere*; quidam *surgere*; Gebhard. Crep. III, 23, vult *escendere*.

519. *Vela madent nimbis*. Post tam horribilia phænomena male additur, *vela* etiam *maduisse*, male etiam post superiora, *cum cælestibus undis Æquoreæ miscentur*.—*Ignibus*, stellis, quæ jam nubibus obductæ. *Ed.* — *Cæca*. Obscura.—*Premitur*, quia tenebræ onus quasi, incubans terræ et ponto.—*Micantia*. Multi (et nostri Regii *minantia*; Primus Palatinus, secundus Mediceus, Urbinas, Berneggerianus, Spirensis et alii *minacia*; hinc Heinsius conjicit *micacia*. — *Ardescunt*. Primus Erford. *candescunt*, quod impensius arridet Heinsio. *Ardescunt* (quod habent nostri Regii), igneo colore esse et ipsæ videntur. Ingeniose quidem et

Dat quoque jam saltus intra cava texta carinæ
Fluctus : et, ut miles, numero præstantior omni,
Quum sæpe adsiluit defensæ mœnibus urbis,
Spe potitur tandem; laudisque accensus amore
Inter mille viros, murum tamen occupat unus.
Sic ubi pulsarunt acres latera ardua fluctus,
Vastius insurgens decimæ ruit impetus undæ :
Nec prius absistit fessam oppugnare carinam,
Quam velut in captæ descendat mœnia navis.
Pars igitur tentabat adhuc invadere pinum,

hoc observatum, sed in tam horribili tempestatis descriptione inepte commemoratum.

524. *Intra cava*. Duodecim *inter*. —Regii nostri habent quoque *inter*, sed breviatim. — *Cava texta*. *Texere* tropo facili de viminibus nexis, hinc porro de trabibus junctis, maxime navium, dici cœptum. Jam Pacuvius apud Cic. I de Div. 31, *Jamque mari magno classis cita texitur*. Itaque *texta* pro nave ponuntur; XIV, 531, I Trist. IV, 9. Similiter πλέκειν de curribus; vid. Grævii lect. Hesiod. cap. XVII. *Cava*, adeoque recipiendis fluctibus apta.—*Numero præstantior omni*, fortior cæteris commilitonibus omnibus. — *Adsiluit* : *adsiliit* (quod habet noster Regius A) deterior est scriptura. — *Defensæ*, quæ defenditur.—*Spe potitur*, potitur eo, perficit id, quod speraverat. Vide ad 454.

529. *Acres*. Vulgo *celsi*. — Codex noster Regius A, *celsi*; Codex B, *cæli*, sed in margine *s. puppis*, ab eadem manu, quantum videre licet: lectio notabilis quæ sola genuina videtur; nam *acres* vel *celsi* epitheta sunt otiosa; *cæli* sensu eget; itaque *puppis* hic optime reponi posset. *Ed*. —*Acres*, vehementes, impetuosi.— *Vastius insurgens*. Pincierus volebat *validius*; Palatinus secundus *altius*. —Regii nostri *vastius*.—*Vastius*, vehementius, terribilius : crebro cum *impetu* conjungitur hoc verbum; vide Burmannum ad VIII, 359. — *Decima unda*, fluctus decumanus, id est, maximus, qui aliis minoribus ipse major succedit; I Trist. II, 49, *Qui venit hic fluctus, fluctus supereminet omnes; posterior nono est, undecimoque prior*; Lucanus, V, 672, *decimus fluctus*. Apud Silium, XIV, 122, Boreas *decimo volumine pontum expulit in terras*. Græci autem talem fluctum maluerunt τρικυμίαν dicere. — *Ruit impetus undæ* pro, unda ruit cum impetu. — *Mœnia*, latera navis, quibus muniti sunt navigantes contra vim aquarum. Nota sunt *mœnia lignea* e Corn. Nep. II, 2. Et commode hoc loco tam *mœnia*, quam *capta* navis (quibus etiam emolliendi voculam *velut* addidit) dicta, quia navis cum urbe expugnata comparatur.

533. *Tentabat*. Duo veteres *tendebat*, ut apud Virgilium, Æneid. II, *tendit divellere nodos*, et X, *locum tendunt superare* : vide Heinsium ad

Pars maris intus erat : trepidant haud secius omnes,
Quam solet urbs, aliis murum fodientibus extra,
Atque aliis murum trepidare tenentibus intus.
Deficit ars, animique cadunt; totidemque videntur,
Quot veniant fluctus, ruere atque irrumpere mortes.
Non tenet hic lacrymas; stupet hic; vocat ille beatos,
Funera quos maneant; hic votis numen adorat,
Brachiaque ad cælum, quod non videt, irrita tollens
Poscit opem; subeunt illi fratresque parensque;
Huic cum pignoribus domus, et quod cuique relictum est.
Halcyone Ceyca movet; Ceycis in ore
Nulla nisi Halcyone est : et, quum desideret unam,
Gaudet abesse tamen : patriæ quoque vellet ad oras
Respicere, inque domum supremos vertere vultus :

Claudianum in Eutrop. I, 15.—Regii nostri *tentabat*. — *Pars igitur.... intus erat*. Hæc quoque melius resecuisset poeta. — *Trepidare*, discurrere, huc illuc se vertere præ pavore. — *Secius* debemus Heinsio, pro *segnius* (quod habent Regii codices).

538. *Veniant*. Vulgo (et in nostris Regiis) *veniunt*.—*Irrumpere mortes*; plurimi (sed non Regii codices) *montes*; male. *Mortes*, mortis pericula. Sic *mortes* et θάνατοι sæpe ; vide Burmannum.

539. *Non tenet hic* etc. Angor navigantium varie se prodens. Bentleius ad illud Horatii, I, Od. III, 18, *Qui siccis oculis monstra* etc. putat, in magno pavore, præsentique consternatione nullum *lacrymis* locum esse, ne in puella quidem infante, sed stuporem et pavorem. Bene; sed ubi animus e prima consternatione se colligit, utique sequuntur lacrymæ, ut vers. 418; Heroid. X, 43; Propert. III, v, 9; Curt. IX, 2.—*Vocat ille beatos* etc. ut Ulysses, Od. E, 299; Æneas Virg. I, 93 sqq; et Ovidius ipse I Trist. II, 53-56.—*Funera quos maneant*, qui in terra moriantur, ubi rite sepeliri possint, quum naufragi aut inhumati in litore jaceant, aut piscibus esca natent, quæ tristissima sors antiquis visa; vide I Trist. d. l. : *funus* nunc exsequiæ, pompa funeralis, ut I Trist. III, 89. Cic. Or. II, 55.—*Subeunt*, in memoriam redeunt. — *Fratresque parensque*. Vulgo *materque parensque*.—*Pignora*, liberi.

544. *Halcyone Ceyca* etc. Confer Propert. III, 5, ubi similis affectus Pæti, deprensi in Ægæo, describitur. Ibi Brouckhusius alia loca comparavit. Cæterum hic quoque ingeniosus esse Ovidius voluit, *quum desideret unam, Gaudet abesse tamen*.—*Patriæ...oras*. Heinsius malit *patrias...oras*.—Sed nullus consentire codex videtur. *Ed*. — *Vertere vultus*. — Regius codex A in mar-

Verum ubi sit nescit : tanta vertigine pontus
Fervet; et inducta piceis e nubibus umbra
Omne latet cælum, duplicataque noctis imago est!
Frangitur incursu nimbosi turbinis arbos;
Frangitur et regimen; spoliisque animosa superstans
Unda, velut victrix, sinuatas despicit undas;
Nec levius, quam si quis Athon, Pindumve, revulsos
Sede sua, totos in apertum everterit æquor,
Præcipitata ruit; pariterque et pondere et ictu
Mergit in ima ratem : cum qua pars magna virorum
Gurgite pressa gravi, neque in aera reddita, fato
Functa suo est : alii partes et membra carinæ

gine tantum *flectere*, quod in Gronovio et Mentel. esse Burmannus docet. *Ed.*

550. *Omne latet cælum.* Idem jam dixerat versu 520, *caret ignibus æther*, etc. — *Noctis imago*, nox. Multi (et Regii nostri) *mortis.*

552. *Spoliis... unda.* Unda, quæ malum et regimen fregerat, *spoliis*, armis istis detractis, *animosa*, (alibi *superbus* de victore) elata erat, et, ut victores occisis hostibus, aut feræ dejectæ prædæ *superstare* dicuntur, sic illa *superstans* victæ navi, ex altitudine sua *despicit undas sinuatas*, flexas, curvatas circa navem. Fluere hæc non potuerunt nisi ex ingenio fecundissimo. Sine causa Burmanno displicet *Unda despicit undas*, nec multum interest, utrum *superstans* legas, an *superstes* cum aliis, quum hæc duo promiscue usurpentur. Hoc vulgatæ est lectionis; quidam *superstat.* — Regius noster A *superstat*, B *superstes.* — Mox Burmannus malit *despicit alas*, ut de antennis jam vi venti curvatis agat, super quas unda surgebat. — Regii nostri habent *sinuataque despicit undas*, ut τὸ *sinuata* ad prius *unda* referatur : sed male. *Ed.* — *Revulsos... totos.* Hæ voces non placent Heinsio; suadet *Pindumve, vel Ossan, Sede sua motos.* Burmannus auctoritatibus confirmat et *sede motos* et *revulsos.*—Non necessarium est vulgatam cum Heinsio sollicitare; quæ enim bene se habet. *Ed.*—*Præcipitata ruit.* Vulgo *cadit.*—Regii nostri hoc habent; at codex A supra *præcipitata* dat ab eadem manu *tanda.* —*Nec levius* etc. Non minore pondere, *præcipitata ruit*, præcipitat se, *quam si quis Athon* etc. quæ comparatio inde fluxit, quia fluctus maximi *montes aquarum* dici solent; vid. Heinsius ad vers. 538. Ridiculus est Jac. a Cruce, qui alludi hic existimat ad facinora Xerxis et Herculis, quorum ille Athon a continente abscidit, hic Thessaliam stagnantem aperuit. Immo *Athon* et *Pindum* posuit pro montibus quibuscumque altissimis.

558. *In aera reddi*, iterum emergere, prodire. *Se reddere* Virg. Æn. IX, 122.—*Membra carinæ*, ut *membra ædificii*; Plinius, II, Epist. 17,

Trunca tenent : tenet ipse manu, qua sceptra solebat,
Fragmina navigii Ceyx; socerumque patremque
Invocat, heu! frustra : sed plurima nantis in ore
Halcyone conjux; illam meminitque refertque;
Illius ante oculos ut agant sua corpora fluctus,
Optat; et exanimis manibus tumuletur amicis.
Dum natat, absentem, quoties sinit hiscere fluctus,
Nominat Halcyonen, ipsisque immurmurat undis.
Ecce super medios fluctus niger arcus aquarum
Frangitur; et rupta mersum caput obruit unda.
Lucifer obscurus, nec quem cognoscere posses,
Illa nocte fuit; quoniamque excedere Olympo
Non licuit, densis texit sua nubibus ora.
  Æolis interea tantorum ignara malorum
Dinumerat noctes : et jam, quas induat ille,
Festinat vestes; jam quas, ubi venerit ille,

dormitorium membrum; Cic. ad Q. Fr. III, 1, *cubicula et ejusmodi membra*. — *Manu, qua sceptra* etc. Nec regia dignitas ei profuit, nec affinitas consanguinitasque Deorum, quin æque ac cæteri jactaretur. — *Fragmina*. Etiam Seneca Herc. Œt. 115, *puppis laceræ fragmina*. — *Navigii*. Gronov. *remigii*, ut Virg. X, 306, *fragmina remorum*. Regius codex A *naufragii*, quod exquisitius mihi videtur; malim *navigii* quod habet codex B. *Ed*.—*Refert* i. q. meminit. Sic etiam XV, 450; vid. Heinsius ad Heroid. V, 113.—*Tumuletur*, sepeliatur, ut VII, 361; VIII, 610. *Intumulatus* II, Heroid. 136.

566. *Absentem ... nominat* etc. Hoc jam vers. 544, et rursus inde a vers. 561 dixerat.—*Ipsis ... undis*. Schepperus conjicit *ipsamque immurmurat undis*.—Regii nostri *ipsis*.—*Immurmurat*; vide ad versum 53.

569. *Mersum obruit*, obruit et deinde mersit; vide ad I, 32.—*Lucifer obscurus* etc.; vide ad X, 448. Lenzius monet, *Luciferum* jam supra vers. 520 aut 550 nominandum fuisse. Immo, *Lucifer* hic non commemoratur ut sidus, sed ut pater Ceycis. Ergo recte h. l. ejus fit mentio, et a luctu ejus jam transitur ad conjugis sensus. Luctum tamen non bene notavit verbis *densis texit* etc. quandoquidem totum cælum duplicata nocte obscurum erat. — *Excedere Olympo*, statione in cælo relicta, in solitudinem, more mœrentium, secedere.

573. *Æolis interea* etc. Non male sensus et studia mulieris piæ reditumque mariti exspectantis hic notata habes.—*Dinumerat noctes*. Heroid. II, 7, *Tempora si numeres, bene quæ numeramus amantes*. *Dinumerare* i. q. numerare. — *Festinat*,

Ipsa gerat; reditusque sibi promittit inanes.
Omnibus illa quidem Superis pia tura ferebat:
Ante tamen cunctos Junonis templa colebat;
Proque viro, qui nullus erat, veniebat ad aras;
Utque foret sospes conjux suus, utque rediret,
Optabat, nullamque sibi præferret: at illi
Hoc de tot votis poterat contingere solum.
At Dea non ultra pro functo morte rogari
Sustinet; utque manus funestas arceat aris;
« Iri, meæ, dixit, fidissima nuntia vocis,
» Vise soporiferam Somni velociter aulam;
» Exstinctique jube Ceycis imagine mittat
» Somnia ad Halcyonen, veros imitantia casus. »

festinanter texit; vide ad IX, 586. —*Inanis reditus*, quem falso nobis promittimus, speramus.—*Pia tura*, quæ animo pio adolentur, quorum oblatio pietatem declarat. Sic *blanda tura* Tibul. III, III, 2; *far pium* III, IV, 10. Ea, ne quid sua ipsius culpa marito accideret, mulier sollicita dabat *omnibus Superis*, sed imprimis *Junoni*, quæ præerat matrimonio, (*toris quæ præsidet alma maritis* Heroid. II, 41). Pro *Junonis* Heinsius malebat *Junonia*. — *Colere templa*, adire templa ibique et preces et sacra facere. *Venerari templa* dixit Virgilius, Æn. III, 84.—*Qui nullus erat*, qui mortus erat. Sic supra, *Quam nollem nulla forem*; et mox vers. 684.

581. *At illi hoc ... solum*. Maximopere improbandus talis jocus in re tam tristi.

583. *At Dea non ultra*. Juno somnium mittit Halcyonæ. Sed hoc commode ita tractavit, ut Somni Somniorumque mythologiam intexeret, totamque narrationem mirifice animaret. In longiore autem hac Somni descriptione suum ingenium secutus esse videtur Ovidius, eumque expressit Statius Theb. X, 79 sqq. Ab aliis notatur ut juvenis aut Genius vel alatus, vel sine alis, e pleno cornu somnum in hominum oculos demittens. Vid. Lessingius in libro, *Wie die Alten den Tod gemahlt*, et Winkelmannus Mon. ined. p. 147. Conf. Lucian. Ver. Hist. tom. IV, p. 291-94, ubi Somni insula obscura et urbs copiose, sed aliter ac h. l. describitur.—*Pro functo morte*. Plurimi (et noster Regius B, a secunda manu) *pro functi morte rogari*.—*At Dea... aris*. Duabus causis movebatur Dea, ut certiorem faceret Halcyonen de morte mariti, primum ne diutius falleretur pia conjux, deinde ne aræ suæ polluerentur *manibus funestis*, hoc est, conjugis ejus, cujus maritus mortuus erat. Quod posterius justo argutius dictum est.

588. *Veros imitantia casus*. Miror, nec ab Heinsio nec a Burmanno *narrantia* mutatum esse in *imitantia*, quod novem MSS auctoritate se

Dixerat : induitur velamina mille colorum
Iris, et arquato cælum curvamine signans
Tecta petit jussi sub rupe latentia regis.
Est prope Cimmerios longo spelunca recessu,
Mons cavus, ignavi domus et penetralia Somni;
Quo numquam radiis oriens, mediusve, cadensve
Phœbus adire potest : nebulæ caligine mixtæ
Exhalantur humo, dubiæque crepuscula lucis.

tuetur, ubique fere de somnis adhibetur (IX, 480. Infra vers. 613 et 626; I Pont. II, 45, *Somnia me terrent. veros imitantia casus*), atque etiam melius convenit τῷ *veros*; VIII, 195, *ut veras imitentur aves*; II ex Ponto I, 37, *veros imitantia muros*. — Regii nostri habent *narrantia*; sed bene *imitantia* recepit *Gierig*. Ed.

589. *Induitur.... iris*. Virgilius, Æn. IV, 700, *Iris croceis per cælum roscida pennis, mille trahens varios adverso sole colores, Devolat* : vid. etiam Jul. Scaliger exercit. 80. *Ed.* — *Arquato*. Nonius inter *arcum* et *arquum* distinguit, quod alter fornicem designet, alter Iridem. Hac auctoritate ductus Heinsius *arquato* recepit, quum cæteri MSS habeant *arcato*, *arcuato* aut aliter. Sed illud discrimen finxerunt Grammatici, veterum enim alii *arcus* scribebant, alii *arquus*. Sic *Arquitenentes Diana et Apollo* apud Arnobium adv. Gent. I, p. 20. *Arquatus* igitur sive *arcuatus* est in formam arcus flexus; Virgilius, Æn. V, 609, *Illa viam celerans per mille coloribus arcum, Nulli visa, cito decurrit tramite virgo*. — Codex Regius A *arcato*; codex B *arcuato*.—*Tecta petit*; unus Heinsii *tecta subit*.— Regii nostri *petit*.

592. *Est prope Cimmerios* etc. Aula Somni loco caliginoso sita erat, carebat omnibus, quæ strepitum facerent; habebat ea, quæ somnum conciliarent. *Cimmerii*, populus fabulosus, quem æternis tenebris et nebulis involutum ad fines Oceani habitare canit Homerus, Od. Λ, 13 sqq, qui est fons hujus fabulæ. Conf. Tibullus, IV, I, 64; Valerius Flac. III, 398. Hinc *Cimmeriæ tenebræ* dicuntur. Specus subterraneos inter Bajas et Cumas, prisca ætate ab hominibus habitatos, originem fabulæ dedisse, monuerat Ephorus Cumanus; vide Strabon. lib. V, p. 374. Quidquid sit, commode in tam caliginosa loca translata Somni aula. —*Longo.... recessu*. Unus Gronovii *longi spelunca recessus*, quod Heinsius rectius judicat. — Regii nostri *longo recessu*.

594. *Quo numquam radiis* etc. Expressit Homeri dictum locum : οὐδέ ποτ' αὐτοὺς Ἠέλιος φαέθων ἐπιδέρκεται ἀκτίνεσσιν, Οὐδ' ὁπότ' ἂν στείχῃσι πρὸς οὐρανὸν ἀστερόεντα, Οὔθ' ὅταν ἂψ ἐπὶ γαῖαν ἀπ' οὐρανόθεν προτράπηται. Conf. Virgilium, Georg. III, 537. Etiam Hesiodus, Th. 755, qui Somnum et Mortem, Noctis liberos, in Erebo ponit, iisdem fere, quibus Homerus, verbis usus est. — *Crepuscula* non *exhalantur*. Itaque rursus, more poetarum, de quo sæpe jam vidi-

Non vigil ales ibi cristati cantibus oris
Evocat Auroram; nec voce silentia rumpunt
Sollicitive canes, canibusve sagacior anser.
Non fera, non pecudes, non moti flamine rami,
Humanæve sonum reddunt convicia linguæ.
Muta quies habitat : saxo tamen exit ab imo
Rivus aquæ Lethes ; per quem cum murmure labens
Invitat somnos crepitantibus unda lapillis.

mus, duo diversa vocc. uni verbo addidit : *dubiæ lucis*, vide IV, 400 seq. Multi *crepuscula noctis*. — Sed justius est *lucis* quod habent nostri Regii. *Ed.*

597. *Ales*, gallus gallinaceus, qui sæpe simpliciter ὄρνις et *ales* dicitur. — Pro *cristatus ales* dixit *cristati cantibus oris*, quia *ales* jam ornatus est suo epitheto. Lucianus ibi ponit galli gallinacei templum, et in silva magnam vespertilionum vim. Apud Statium atra boum armenta in gramine quiescunt.—*Evocat* e mari *Auroram*, quæ sequitur ejus cantum. Virgilius, Georg. I, 388, *vocat pluviam cornix*. — *Solliciti*, vigilaces; etiam Livius, V, 47, *Canes sollicitum ad nocturnos strepitus animal.* Eodem nunc redit *sagax*, qui facile animadvertit strepitus. Neque vero hic respexit ad solos Capitolii anseres tempore Manlii, tunc enim importune hoc esset additum, sed omnino ad naturam anserum. Vide ad VIII, 684.

600. *Non fera* etc. Post hunc versum plures (et noster Regius B solus, et inter lineas) subjungunt istum, *Garrula nec Procne stertentia pectora, aut corpora, mulcet.* Pessime. Recte Heinsius, si mulcet, inquit, Procne stertentia pectora, nihil causæ est, cur hinc ablegetur. — *Convicia*, voces. Notat Burmannus Paulinum, Epist. I, ad Auf. expressisse h. l. *Dum levia humanæ metuit convicia linguæ.*

603. *Rivus aquæ Lethes*. Quia dormientes obliviscuntur curarum, propterea *rivus Lethes* ante Somni aulam. A Callimacho h. Del. vers. 234, ληθαῖον πτερὸν ei tribuitur. Apud Virg. Æn. V, 854, *Lethæam aquam* inspergit in oculos Palinuri. Ipse *Somnus lethæus* Georg. I, 87. Apud Orph. H. 84, 8, Somnus est frater Lethes.—*Per quem cum murmure* etc. Barthius ad Statium Theb. X, 96, legit *querulo cum murmure labens*. Burmannus mallet, *querulo quæ murmure*, vel *Rivus aquæ Lethes, leni quæ murmure labens* : unus Moreti *Rivus aquæ lenis*.—Regii nostri nihil mutant; et bene : vide quæ mox cl. *Gierig*. Ed. — Noli cum Barthio et Burmanno offendi *unda per rivum labente*, nam fert hoc sermo Roman. poeticus, qui sæpe *rivum aquæ* dicit, ubi *ripas* exspectasses, ut apud Tibullum, I, 1, 28. Licuit etiam Virgilio, Georg. II, 460, dicere, *Tellus fundit humo victum*, ubi vide Heyn. Idem Georg. IV, 457, *fugere per flumina* pro, in ripa fluminis. *Rivus* sæpe est alveus ; Horatius, II, Od. III, 11, *laborat lympha fugax trepidare rivo*; I, Ep. X, 21, aqua *per pronum trepidat cum murmure rivum.* — *Crepitantes lapilli*, quorum

Ante fores antri fecunda papavera florent,
Innumeræque herbæ, quarum de lacte soporem
Nox legit, et spargit per opacas humida terras.
Janua, quæ verso stridorem cardine reddat,
Nulla domo tota; custos in limine nullus.
At medio torus est ebeno sublimis in antro,
Plumeus, unicolor, pullo velamine tectus,
Quo cubat ipse Deus, membris languore solutis.

objectu undæ crepitum, murmur faciunt. Hujusmodi autem murmur facillime somnum conciliat, III Fast. 17; Horat. Epod. II, xv, 27. Hinc *somnifera lympha* apud Silium. Apud Statium contra fluvius taciturnus labitur.

605. *Papavera*, nigra imprimis, vim habent soporificam. Virgilius, Georg. I, 78, *lethæo perfusa papavera somno*, ubi vid. Martin. Fast. IV, 547, *somnique papavera causas Dat tibi cum tepido lacte bibenda puer.* Hinc Somnus pingebatur cum papavere. Circa *antra* feliciter et sua sponte proveniunt virgulta. Lucianus in Somni insula silvam ponit procera papavera habentem.

608. *Janua, quæ.* Ante Heinsium edebatur *Janua, ne.* Sed *quæ* approbavit etiam Burmannus; nam si *fores*, inquit, sunt ante antrum, intus januas fuisse verisimile est, sed minime sonoras. — Quanquam *fores* sint ante antrum, non idcirco necessario fuerunt intus januæ, vel minime sonoræ; sed contra nullæ fuerunt; quapropter *custos in limine nullus*: τὸ *ne* igitur posse defendi ex nostris codicibus Regiis existimo. In codice B manus secunda bene restituit *reddat*, pro *sonat* quod sensui et magis etiam metro repugnat. *Ed.* — *Custodes* Statius facit Quietem, Oblivionem, Silentium.

610. *At medio torus est* etc. Frustra hic hæserunt interpretes. In *medio* erat *torus plumeus*, pulvinus plumis confertus, (quum pauperiores haberent torum de ulvis) impositus spondæ sublimi ex ebeno, adeoque *sublimis* et ipse magnificentiæ causa, tectus præterea *pullo velamine*, stragulo atro, ut adeo totus lectus esset *unicolor*, quod ita compositum est ut *bicolor*, *versicolor*, *atricolor* etc. Confer VIII, 655-659. Pro *in antro* Heinsius dedit *in atro*; et pro *unicolor* malit *atricolor* (quod vocabul. ex Plinio defendit), aut *æquicolor*, æqui cum ebeno atra coloris, ebeno concolor, sine causa. — *Gierig* tamen noluit *atro* rejicere; quod, sicut et *atricolor*, sive *æquicolor*, mera est conjectura ex Heinsiana officina profecta; quam servare non potui. *Ed.* — *Unicolorem* et quidem atrum habebat torum, ut omnia essent tristia, aulæaque Somni ostentarent, quum ditiores Romani versicoloribus lectis, spondis ex terebintho, auroque ornatis, stragulis purpureis, pictis delectarentur: Propertius, III, v, 63; Virgilius, Æn. I, 697; Cicero Tusc. V, 21: vide Salmas. ad Solin. p. 417. — *Pullo velamine* autem non debebat verti, *mit dunkeln Vorhaengen umgeben.* — *Membris solutis*; vid. ad VII, 186.

circa passim, varias imitantia formas,
a vana jacent totidem, quot messis aristas,
;erit frondes, ejectas litus arenas.
imul intravit, manibusque obstantia virgo
a dimovit, vestis fulgore reluxit
domus; tardaque Deus gravitate jacentes
:ulos tollens, iterumque iterumque relabens,
aque percutiens nutanti pectora mento,
sit tandem sibi se; cubitoque levatus,
veniat, cognorat enim, scitatur; at illa:
me, quies rerum; placidissime, Somne, Deorum;
animi, quem cura fugit; qui corda diurnis
a ministeriis mulces, reparasque labori;
mia, quæ veras æquent imitamine formas,

'assim, dispersa sine ordine. *messis* etc. vulgaris compa- electiora habet Seneca Œd. o sqq. A Luciano memoran- :era et humilia, formosa et a, jucunda, aurea, alata, omnia.—*Gerit*, fert, habet. ı, II, ıv, 56, *Quidquid et* *Thessala terra gerit.*

Manibusque... dimovit, ut qui a virgulta incedunt. Sed si *t* somnia, non commode po- manibus dimoveri. —*Sacra*, mnus Deus. Heinsius con- *ra domus*: male, monente urmanno.—Regii nostri *Sa- culi*, quibus obrepit somnus, i retineri nequeant, *graves* r, et victi tandem *gravitate* si Deus jacebat in toro, non *percutere nutanti pectora men-* uod non nisi iis evenit, qui s dormiunt: nisi fingas, eum ulis et superiorem corporis tollere identidem voluisse. ta cepit Rode: *sinkt, indem* *er sich aufrichten will, zu wieder- holten Mahlen wieder zurück.* Quoniam expergiscentes *somnum excu- tere* sibi dicuntur, non potuit Noster ab ingenio suo impetrare, quin adderet, *excussit sibi se*, fere ut VIII, 819, de Fame, *Seque viro inspirat.* Neque vero surgit, sed *cubito* tantum *levatur* Deus sommo tardus, hinc vers. 649 *caput* solum *languore solutum deponit.*

623. *Somne, quies rerum*, etc. Conf. cum hac compellatione Orpheus, Argon. 1002 seqq, et hymn. 84; Seneca Herc. Fur. 1065. Sed hoc loco paucioribus verbis defungi potuisset festinans Iris. Conf. Silius, X, 342 sqq.—*Qui corda diurnis* pro *corpora duris* Heinsius ex Basileensi recepit; IV, 214; VIII, 83: alii quatuor, *membra diurnis.*— Regii nostri *corpora duris*; felix quidem Basileensis lectio, sed auctoritas alia desideratur. *Ed.* — *Qui corda* etc. Eamdem vim iisdem verbis supra alimentis tribuit, IV, 215.

» Herculea Trachine jube, sub imagine regis
» Halcyonen adeant, simulacraque naufraga fingant.
» Imperat hoc Juno. » Postquam mandata peregit
Iris, abit; neque enim ulterius tolerare vaporis
Vim poterat; labique ut Somnum sensit in artus,
Effugit, et remeat per quos modo venerat arcus.
At pater e populo natorum mille suorum
Excitat artificem, simulatoremque figuræ,
Morphea : non illo jussos solertius alter
Exprimit incessus, vultumque sonumque loquendi;
Adjicit et vestes, et consuetissima cuique
Verba; sed hic solos homines imitatur : at alter
Fit fera, fit volucris, fit longo corpore serpens.
Hunc Icelon Superi, mortale Phobetora vulgus
Nominat : est etiam diversæ tertius artis

627. *Herculea Trachine.* Vulgo *Herculeam Trachina.* Monet Burmannus accidisse hanc rem ante Herculis obitum, a quo Trachin denum *Herculea* dicta sit. Itaque licentia poetarum esse Nostrum usum, qui epitheta etiam imponunt a personis vel rebus posterioris ævi.

630. *Vaporis vim.* Vulgo (et in Regiis nostris) *soporis vim.* Florentinus S. Marci et Spirensis *vaporem vi*, unde Heinsius conjicit *vaporam vim*, ut *vaporus ardor* apud Prudentium: recepit tamen ex uno *vaporis vim. Vaporis,* qualis solet esse in dormitoriis, Somni in primis. Statius Theb. X, 108, in Somni descriptione, *corpore pigro Strata calent, supraque torum niger efflat anhelo Ore vapor.* — *Sentit* somnum, ut VIII, 812, Nympha famem.—*Per quos... arcus.* Duodecim *per quas ... auras.*— Regii codices *per quos arcus.*

633. *At pater e populo* etc. Locus classicus de Somniis : *populus natorum*, ut VI, 198, de quatuordecim Niobes liberis; Virgilius, Georg. I, 382, *exercitus corvorum;* Plinius, pan. 23, *populus occursantium*; infra XII, 499, *populus superamur ab uno.* — E plebe innumera somniorum evocat Morphea, qui primipilus, tribunus, ceu dux somniorum, quæ humanam formam personamque sustinere possunt. *Ed.*—*Excitat,* jacebat enim, vers. 614. — *Artificem* in simulandis figuris. — A figura, μορφῇ, dictus *Morpheus.* — *Solertius.* Codex Regius B *solertior;* non male. *Ed.* — *Exprimit.* Heinsius malit *exprimat.* Abest autem auctoritas. *Ed.* — Mox Palatinus secundus et unus Heinsii *modumque loquendi*, quod impugnat Burmannus. — Regii codices *sonumque loquendi;* bene.

640. *Icelon .... Phobetora.* Admodum variant MSS in his nominibus. —Regius codex A *Itacon*, et *Phebe-*

Phantasos: ille in humum saxumque undamque trabemque,
Quæque vacant anima, feliciter omnia transit.
Regibus hi, ducibusque suos ostendere vultus
Nocte solent: populos alii plebemque pererrant.
Præterit hos senior; cunctisque e fratribus unum
Morphea, qui peragat Thaumantidos edita, Somnus
Eligit: et rursus molli languore solutus,
Deposuitque caput, stratoque recondidit alto.

tona; codex B, *Itecon* et *Phebetora*: vide alias varias lectiones apud Burmannum. *Ed.*—Etiam apud Homerum iisdem personis et rebus aliud nomen a Diis tribuitur, aliud ab hominibus. Sic quem Dii Briareum vocant, eum homines Ægæona dicunt; Il. A, 403. Idem fluvius Diis Xanthus, hominibus Scamander dicitur; Il. Υ, 74. Quid hoc sibi velit, quæritur. Schol. ad priorem locum docet, divinum nomen de antiquiore, humanum de recentiore esse intelligendum. Clarkius malit, Diis tributa nomina, quæ eruditioribus usitata fuerint; quæ vulgo magis trita, hominibus. *Icelos*, ἴκελος et εἴκελος, similis, quia simulat figuras. *Phobetor*, φοβήτωρ, quia perterrefacit homines. Lucianus, *Taraxion*, quod eodem redit: etiam *Phantasion* ab eo memoratur.

643. *Quæque vacant anima*; Spirensis *animi*, in secundo casu; codex S. Marci *animo*. Regii nostri *anima*. — *Feliciter* non habent nisi unus Palatinus, unus Heinsii, unus Moreti. Reliqui (et Regii nostri) *fallaciter*. Unus *velociter*.

645. *Populos*, inprimisque eorum partem eam, quæ *plebs* dicitur. Cæterum ita etiam Amorum munera divisa sunt. Claudianus, X, 75: *Ille Deos cælumque et sidera cornu Temperat, et summos dignatur figere reges; Hi plebem feriunt.* Aliter autem Somniorum mythologiam exponit Homerus, Od. T, 562 sqq, quem secutus est Virgilius, Æn. VI, 893, et unde pendent multi alii scriptores.

647. *Morphea, qui* etc. Hunc versum spurium judicabat Barthius ad Statium, Theb. X, 131, quia *edita* pro mandatis parum latine dici putat. Tamen Curtius, X, 8, *edere mandata*. Et frequens hujus verbi usus de responsis Deorum, quæ proferuntur. Pluribus exemplis id docet Burm. contra Barthium. *Peragere edita* ut *peragere jussa*, mandata.—Hic versus legitur in nostris Regiis, et bene eum defendunt Burmannus et *Gierig*. Ed.—Insuper Homerum confer, Il. B, init. ubi Jupiter perniciosum somnium Agamemnoni mittit.—*Molli languore*. Rod. vertit *in süsser Müdigkeit*. Sic sane *mollis* somnus apud poetas, sed eo sensu non convenit *languori*. Immo *mollis*, quatenus resolvit corpus, agilitatem ejus frangit. — *Solutus*. Duo veteres *solutam* quod Heinsius rectius judicabat. Recepit Mitscherl. sed vide Burmannum. — Regii nostri *solutus*. — *Deponere caput* etiam Amor. III, v, 20, pro recumbere capite. — *Alto*. Heins. conjicit *atro*: sed deest auctoritas. *Ed.* — *Alto* additum dignitatis causa, quia Somnus Deus. Virgil. Æneid. II, 2.

Ille volat, nullos strepitus facientibus alis,
Per tenebras, intraque moræ breve tempus in urbem
Pervenit Hæmoniam : positisque e corpore pennis
In faciem Ceycis abit, formaque sub illa
Luridus, exsangui similis, sine vestibus ullis,
Conjugis ante torum miseræ stetit : uda videtur
Barba viri, madidisque gravis fluere unda capillis.
Tum lecto incumbens, fletu super ora refuso,
Hæc ait : « Agnoscis Ceyca, miserrima conjux?
» An mea mutata est facies nece? respice; nosces,
» Inveniesque tuo pro conjuge conjugis umbram.
» Nil opis, Halcyone, nobis tua vota tulerunt :
» Occidimus : falsæ tibi me promittere noli.
» Nubilus Ægæo deprendit in æquore navim

650. *Ille volat* etc. Non modo Somnus, sed etiam Somnia *alas* habebant; Euripid. Hec. 71, Πότνια χθὼν μελανοπτερύγων μᾶτερ Ὀνείρων. Secundum Lucian. d. l. in Somniis erant etiam πτερωτοί τινες. — *Nullos strepitus*, ne excitaret dormientem. Apud Silium vers. 354, *per tacitum allabitur* somnus. — *Moræ breve tempus* pro, brevis temporis mora, id est, breve tempus; vide ad IX, 134. — *Urbem ... Hæmoniam*. Scaliger malebat *urbem ... Œteam*.—Regii nostri *Hemoniam*. Ed.

653. *In faciem Ceycis*. Conf. Virgilius, Æn. II, 268 sqq, ubi etiam Hector tam fœdo habitu apparet, quo e vita excesserat; vide ad X, 49: adde Tibullum, II, VI, 39. — *Abire* de transformatione, ut I, 236. —*Formaque sub illa* dedit Heinsius ex primo Basileensi, Arondel. primo Moreti et decem aliis : nostri Regii habent *sumptaque figura*, quæ lectio propter simplicitatem recentioribus displicuit; quare emendarunt et alteram dederunt. *Ed.* — *Exsangui*. Codex B *exanimi*, prius præstat.

655. *Uda*. Mitsch. *unda*.—Proprie capilli *graves* referti *unda*; hinc aqua ipsa inde defluens *gravis*, copiosa.

658. *Hæc ait*. Heinsius malebat *huncne, ait, agnoscis*, ut VI, 273, *hæc Niobe*. Paulo ante plurimi *profuso*. — Regii nostri ambo *profuso*. *Hæc ait*; sed codex B a secunda manu habet *refuso*.

660. *Tuo pro conjuge*. Arondel. *toto pro corpore*. Heinsius *noto pro corpore*; Burmann. conjiciebat *toto pro corpore corporis umbram*.

662. *Falsæ* emendavit Heinsius pro *falso* (hoc habent nostri Regii). *Tu*, quæ falleris votis tuis, noli sperare me tibi rediturum. — *Deprendere* proprie de subita tempestate, quæ navigantes opprimit. — *Ægæo in æquore*, in mari Ægæo, quod e sinu Maliaco sub Heraclea, seu Trachine solventi trajiciendum est in Ioniam naviganti; supra vers. 478. Namque Ægæum mare duo alluit

,uam
·et.
· absens;
:pso
nitar
dolori.
·unde, relinquam;
. inque sepulcro
.itera : si non
.·omine tangam. »
· intervenit omni

· ··
:os
·no-
·am
ejus
ıbsen-
.. ponto
· similem
· *Vado*.
M. pontus
ius putat,
ctus intel.
:terpungit:
habet. Plu-
pontus habet.
·tionem ha-
gii; sed alia,
·liano ingenio
igitur eam de-
.um poetæ acu-
enim in his ar-
es inferioris no-
mquam. *Ed.*

702. *Vitam ducere*, vitam producere, prolongare, ut *ducere bellum* apud historicos.—*Nitar*. Unus Ciofani *quæram* : vide ad 734. — Regii nostri *nitar*. — *Pugnant* et *nituntur* vitam prolongare, qui omnia avertunt a se, quæ mortem accelerent, omniaque faciunt, quibus recta valetudo conservetur. Hunc sensum omnibus animantibus insitum exstinguere vult, atque adeo ipsa sibi mortem adsciscere, ne morte divellatur a conjuge. Quod ni faceret, *crudelior esset ipso pelago*. Has voces autem non modo summus dolor expressit, sed opinio etiam veterum suggessit. *Crudeles* enim et *impii* habebantur, atque adeo in monumentis vocabantur, qui liberis et conjugibus superstites esse sustinebant. *Impiam vivacitatem* vocat Quintil. Inst. Or. VI, proœm. 3, ubi vid. Gesnerus, et Gruterus Inscript. pag. 762, 2.

706. *Si non urna* etc. vide ad vers. 428.—*Nomen nomine tangam*. Junianus et unus Heinsii *nomine nomina tangam*.—Regii nostri *nomen nomine*.

708. *Verboque* etc. ad singula verba

Plangor, et attonito gemitus e corde trahuntur.
Mane erat : egreditur tectis ad litus, et illum
Mœsta locum repetit, de quo spectarat euntem.
Dumque, « Moratus ibi, » dumque, « hic retinacula solvit,
» Hoc mihi discedens dedit oscula litore, » dicit,
Dumque notata oculis reminiscitur acta, fretumque
Prospicit; in liquida, spatio distante, tuetur
Nescio quid, quasi corpus, aqua ; primoque, quid illud
Esset, erat dubium : postquam paulo adpulit unda,
Et, quamvis aberat, corpus tamen esse liquebat;
Qui foret, ignorans, quia naufragus, omine mota est :
Et, tamquam ignoto lacrymas daret, « Heu! miser, inquit,
» Quisquis es, et si qua est conjux tibi! » Fluctibus actum
Fit propius corpus : quod quo magis illa tuetur,
Hoc minus et minus est amens sua : jamque propinquæ
Admotum terræ, jam quod cognoscere posset,

percussit pectus. — *E corde.* Codex Regius A, *a corde :* ita et codex B a secunda manu ; alii, teste Heinsio, *de corde.* Ed.

710. *Mane erat* etc. Sequitur figmentum ad commiserationem faciendam aptum, quo feliciter etiam usi sunt Gesnerus in Idyll. et Gellertus in fabulis.—*Egreditur ad litus,* licuit poetæ fingere, licet Trachin non sita fuerit in litore.

712. *Moratus* dedit e conjectura Heinsius, ut Halcyones sint verba, sed forte sine causa ; MSS *moratur.* —Hoc habent nostri codices Regii, et mox pro *hic*, *hinc* forsan rectius. *Ed.* — *Retinacula*, πείσματα. Vide ad VIII, 102.— *Notare oculis*, ut XV, 660, *visu notare.* Sed *acta* vix ferri potest; neque tamen propterea cum Heinsio totum versum deleam, adhibeam potius lenem Burmanni medelam, *reminiscitur* *ante.* Lenzius dubitans, an *ante* facile mutari in *acta* potuerit, suadet *acten*, id est litus. Verum non apparet, cur Ovidius græco hoc vocabulo usus sit. — In nostris Regiis est *acta.* Ed.

719. *Qui foret, ignorans.* Oblitus sui esse videtur Ovidius. Jam edocta erat Halcyone certissimo somnio mortem mariti; cur ergo nunc demum *omine* movetur ? Melius statim de marito suo cogitasset. Apud Lucianum oberratis terris omnibus, non potuit maritum reperire ; quare etiam mutata circumvolat maria.

723. *Est amens sua* etc. Ita de suo codice Heinsius constituit versum ; vulgo (et in nostris codicibus) *est mentis jam, jamque propinquæ;* multi *mentis sua, jamque propinquæ;* octo *mentis suæ ;* Oxoniensis *jam mens sua.* De *est sua*, vide III, 689, ad *vix meum.* — Cic. III Tuscul. 10,

Cernit : erat conjux ! « Ille est ! » exclamat, et una
Ora, comas, vestem lacerat ; tendensque trementes
Ad Ceyca manus ; « Sic, o carissime conjux,
» Sic ad me, miserande, redis ? » ait : adjacet undis
Facta manu moles, quæ primas æquoris iras
Frangit, et incursus quæ prædelassat aquarum.
Insilit huc ; mirumque fuit potuisse ; volabat ;
Percutiensque levem modo natis aera pennis,
Stringebat summas ales miserabilis undas.
Dumque volat, mœsto similem, plenumque querelæ
Ora dedere sonum, tenui crepitantia rostro.
Ut vero tetigit mutum, et sine sanguine corpus ;
Dilectos artus amplexa recentibus alis,
Frigida nequicquam duro dedit oscula rostro.
Senserit hoc Ceyx, an vultum motibus undæ
Tollere sit visus, populus dubitabat ; at ille
Senserat : et tandem, Superis miserantibus, ambo
Alite mutantur : fatis obnoxius îsdem
Tunc quoque mansit amor ; nec conjugiale solutum
Fœdus in alitibus : coeunt, fiuntque parentes ;

« Nec minus illud acute, quod ani-
» mi affectionem lumine mentis ca-
» rentem nominaverunt amentiam,
» eamdemque dementiam. »

728. *Adjacet undis Facta* etc. Portus manu et arte facti notatio, quam Juvenal. Sat. XII circumscribit : *positas inclusa per æquora moles, Tyrrhenamque Pharon, porrectaque brachia rursum, Quæ pelago currunt medio, longeque relinquunt Italiam.* Ed. — *Æquoris iras.* Vulgo *æquoris undas.* — Ita et in nostris Regiis codicibus, sed bene mutavit Heinsius ex quatuor, ut vitetur repetitio *undis undas.* — *Prædelassat*, ut VII, 489, *præconsumere vires*, et VIII, 7, *prætentare vires.* Hæc moles undarum impactarum impetum debilitat, quem litora penitus frangunt. Lucanus, VI, 265, *mare lassatur, quum se tollentibus Euris Frangentem fluctus scopulum ferit.* Similiter *cautes maria fatigant* apud Silium I, 208.

731. *Insilit huc.* Nonnulli *huic* ; duo Leidenses *hunc* ; Heins. putat *hanc*, quem vide ad VIII, 142. — Regii nostri habent *huc.* — *Stringebat*, leviter contingebat, more avium super aquam volitantium ; IV, 561. Mutatur nempe *Halcyone* in avem sui nominis.

739. *Senserit.* Codex Regius A male habet *senserat*, quod e versu 741

Perque dies placidos, hiberno tempore, septem
Incubat Halcyone pendentibus æquore nidis.
Tum via tuta maris : ventos custodit, et arcet
Æolus egressu, præstatque nepotibus æquor.
XI. Hos aliquis senior circum freta lata volantes

ante captum videtur. *Ed.* — *Conjugiale.* Vulgo (et in nostris Regiis) *conjugale:* vide ad V, init.—*Halcyon* (Nostris *Europaeischer Eisvogel*, Linnæo Alcedo Ipsida) avis marina, paulo amplior passere, *rostro* longo et *tenui.* Quoniam mas cum una femella vivit, eaque exstincta cælebs manere credebatur, propterea a poetis in amoris perpetui, conjugiique honesti exemplis numeratur. Eum autem instinctum Noster rursus e fabulis repetit vers. 743. Pariunt illæ aves *tempore hiberno* (recentiores tradunt ineunte Aprili) per *septem*, aut secundum alios quatuordecim *dies;* Plinius, X, 32 : « Faciunt » autem septem ante brumam die- » bus nidos, et totidem sequentibus » pariunt, » qui dies halcyonides dicebantur aut halcyonia, iisque mare erat *placidum;* Theocritus Id. VII, 57 ; Hyginus, fab. 65 ; Seneca Agam. 670. Tunc Æolus *præstat* iis *æquor,* concedit iis, permittit, ut ibi nidos faciant; Phædrus, II, VIII, 16, *præstare hospitium*, ubi vid. Scheffer. Etiam *præbere* sic usurpatur.— Paulo ante *via tuta maris;* Heinsius malit *mari est;* Florentinus et duo alii habent *Tunc jacet unda maris.*— In nostris Regiis *Tum via tuta maris.*—*Nepotibus*, ut VI, 138. Nidos faciunt in cavernis vel scopulorum (Propert. III, V, 15), vel litorum. Inde quum sæpe a fluctibus auferantur, aves ipsæ eos imponere aquæ (*pendentibus æquore nidis*) credebantur.—Cæter. etiam versus 736-738 deletos malebat Heinsius, medium certe otiosum judicabat, quum præcesserit *modo natis pennis.* Recte tamen eos tuetur Burmannus ex luxuria Nasonis, qua sibi toties indulget in variandis narrationibus et sæpe ultra modum extendendis. Addit, si ejiciantur hi versus, non apparere, quo sequentia illa, *senserit hoc Ceyx*, referri possint; nam ad sonum hæc non pertinere, sed ad oscula; si quem τὸ *recentibus* offendat, illum posse cum uno Mediceo legere, *trementibus.*

749-795. *Æsacus*, Priami filius, amat *Hesperien* nympham, eamque fugientem insequitur. Vulnerata latentis serpentis veneno quum periisset, Æsacus vitæ perosus in mare se mittit, sed a Tethyde mutatur in *mergum.* Adjecta videtur hæc fabula superiori maxime propterea, ut transitus facilis esset ad res Trojanas; et commode adjecta, quia et mergi aves marinæ. Confer Apollodorum, III, XII, 5, unde apparet, hæc quoque varie olim esse tradita. — *Circum freta* etc. Mihi quoque satis placet MS Florent. S. Marci lectio, *junctim freta lata volantes*, quo *servati* eorum etiam post transformationem *amores* bene, et ita ut Noster solet, notantur. Sic IV, 599, Cadmus et Harmonia in serpentes mutati *juncto volumine serpunt.* Sic etiam XI, 64, Orpheus et Eurydice apud inferos *conjunctis spatiantur passibus ambo.* Elegantior etiam est illa lectio, quam ut a librario pro-

Spectat, et ad finem servatos laudat amores.
Proximus, aut idem, si fors tulit; « Hic quoque, dixit,
Quem mare carpentem, substrictaque crura gerentem,
Adspicis, ostendens spatiosum guttura mergum,
Regia progenies: et si descendere ad ipsum
Ordine perpetuo quæris, sunt hujus origo
Ilus, et Assaracus, raptusque Jovi Ganymedes,
Laomedonque senex, Priamusque novissima Trojæ
Tempora sortitus: frater fuit Hectoris iste;
Qui nisi sensisset prima nova fata juventa,
Forsitan inferius non Hectore nomen haberet;
Quamvis est illum proles enixa Dymantis.
Æsacon umbrosa furtim peperisse sub Ida
Fertur Alexirhoe, Granico nata bicorni.

fecta videatur. Ea recepta *volare freta* dictum erit, monente Burmanno, ut *ire, currere maria* et similia.

751. *Si fors tulit*, forte, fortasse, nil aliud: vide ad I, 297. — *Mare carpere*, sicut *carpere campum, aera*. Et celeriter admodum super superficiem maris volare traditur *mergus*, Linnæo *Mergus Merganser*, Nobis *Seerabe* et *Tauchergans* ut III, 216. —*Substricta* (ita in nostris Regiis); duo *subtracta*; quidam *succincta*: sed *substricta crura gerere*, ut III, 216, *substricta ilia gerere*; vide ad IV, 135.— *Spatiosum guttura*; vulgo (et in nostris Regiis) *in guttura*; plerique *in gutture* vel *gurgite*. *Guttura* dedit Heinsius, et nescio an jure mutarit; nam etiam X, 538, *celsus in cornua*.

755. *Quæris*, cupis, vis descendere.—*Perpetuo*, non interrupto.— *Sunt hujus origo* pro vulgari, originem ducit ab his: *origo* etiam auctor est, auctor generis. Ab hoc tamen ordine perpetuo abesse possent *Assaracus* et *Ganymedes*, fratres Ili, filii Trois. *Ilus* autem *Laomedontem* genuit, cujus filius *Priamus*.—*Tempora* etiam hic de calamitatibus accipienda, de excidio. Sed melius hoc additamentum omisisset, quia seq. demum libro transitur ad bellum Trojanum.

759. *Sensisset*. Florent. S. Marci *Cui nisi cessisset* (ita et nostri Regii); Heinsius conjicit *cessissent*, obtigissent; verum *sensisset* non mutandum est. *Sentire* dicitur quis ea, quæ experitur, quibus adficitur et adfligitur. — *Illum*, Hectorem, cujus mater Hecuba vel *Dymantis*, vel Cissei filia. Illud sequitur Homerus, hoc Euripides. Apud Apollodorum d. l. Priamus ex Arisba, Meropis filia, gignit hunc Æsacum, mox, spreta illa, ducit Hecubam. — *Umbrosa*. Heinsius conjicit *undosa*, propter quod fontibus etiam Ida celebris fuit, sic et XIII, 324; alii *sine fontibus Ide*, pro *frondibus*: sed *umbrosa* commune montium

Oderat hic urbes; nitidaque remotus ab aula
Secretos montes, et inambitiosa colebat
Rura; nec Iliacos cœtus, nisi rarus, adibat.

epitheton, οὔρεα σκιόεντα sæpe apud Homerum. Accedit, quod Ida magnas silvas habuisse traditur: vide Burmannum, et conf. not. ad XIII, 324.—Mox negotium facessunt verba *Granico nata bicorni*. MSS plerique, *Gracili conata bicorni*. Raph. Regius monet, *bicorne* esse instrumentum rusticum. Audio; sæpe enim *furcæ bicornes* in supellectile rustica commemorantur, ut VIII, 650. Hinc potuit Noster *bicorne* substantive dicere, ut *crinale* V, 53. Addit Glareanus parturientes solere, si nemo iis adsit, ad aliquid fulciri: id quoque potest credi. Et *furtim*, in solitudine, pariebat Alexirhoe, ut olim Latona, in cujus partu truncus palmæ vices sellæ obstetricariæ præstabat; Callimachus, h. Del. vs. 210. Ita describeretur hic actus mulieris parientis, quæ furcæ bicornis ministerio levata sit: atque hoc vult etiam Schirachius: sed de verbo *conata* silent omnes. Quid enim hoc est, mulier pariens *conatur gracili bicorni?* Facilius forte expediri posset, *connixa bicorni*. Sed præcedit *enixa;* et *levata*, quod proprie de parientibus usurpatur, versus respuit. Heinsius igitur recepit, quod et Pierius Valer. lib. III Hierogl. cap. 9, suaserat, *Granico nata bicorni*. Quod cur merum versus complementum a Schirachio dicatur, non video: sæpe enim ita additur nomen patris: neque negari potest, *Granicum*, nobilem Phrygiæ fluvium, etiam in mythologia occurrere. *Cornua* vero fluviis tribui ipsi docuimus ad IX, 1. Sed hoc me offendit, quod pro arbitrio, nulla probabili causa allata, locus ita mutatus est. Eodem enim jure alius aliud fluvii nomen hic intrudere possit. Certe Burmannus suadet, *Sagari cognata bicorni; Sagarium* aut *Sagarim* fluvium dictum esse a Sagari, Myndonis et Alexirhoes filio, qui potuerit filiam habuisse ex matris suæ nomine Alexirhoen dictam. Sagarim porro dici *bicornem*, forte quia duobus ostiis in mare exierit.—Quamquam vir doctiss. *Gierig* non viderit cur Heinsii emendatio merum versus complementum a Schirachio fuerit dicta, attamen ejusdem ipsius *Gierig* sententiam secutus, pro arbitrio et nulla probabili causa allata mutatum hunc locum puto; et quum plerique codices, et nostri etiam Regii in id unum *gracili conata bicorni* consentiant, hæc sola lectio servanda mihi videtur. *Ed.*

764. *Oderat hic urbes*. Confer versum 146.—*Colebat* hoc loco ita sumsisse videtur Lactantius ut ibi monui; nam in Argum. hæc habet: *urbanum apparatum cultumque quum silvis et labori postposuisset*. Erat idem interpres somniorum, qui Paridem fratrem exponi jussit; Apollodorus.—*Nitorem* aularum post Lucret. II, 24 sqq, præclare describit Virgilius, Georg. II, 463, et Cul. 61. *Nitere* passim de ornatu ædium et divitiis; Tibullus, IV, 1, 183, *quum magnis opibus domus alta niteret*.—*Inambitiosa*, ubi nemo ambit honores gratiasque potentum: quo voc. quod ab ipso Ovidio factum observant, bene natura et simplicitas agricolarum notatur; Horatius, II, Serm. VI, 16, *Ergo ubi me in mon-*

Non agreste tamen, nec inexpugnabile Amori
Pectus habens, silvas captatam sæpe per omnes
Adspicit Hesperien patria Cebrenida ripa,
Injectos humeris siccantem sole capillos.
Visa fugit Nymphe, veluti perterrita fulvum
Cerva lupum, longeque lacu deprensa relicto
Accipitrem fluvialis anas : quam Troius heros
Insequitur, celeremque metu celer urget amore.
Ecce latens herba coluber fugientis adunco
Dente pedem strinxit, virusque in corpore liquit.
Cum vita suppressa fuga est : amplectitur amens
Exanimem, clamatque, « Piget, piget esse secutum :
» Sed non hoc timui; nec erat mihi vincere tanti.
» Perdidimus miseram nos te duo : vulnus ab angue,
» A me causa data est : ego sim sceleratior illo,
» Ni tibi morte mea mortis solatia mittam. »
Dixit; et e scopulo, quem rauca subederat unda,
Se dedit in pontum : Tethys miserata cadentem
Molliter excepit, nantemque per æquora pennis

tes et in arcem ex urbe removi, Non mala me ambitio perdit.

767. *Agreste*, durum et invenustum.—*Captare* puellam, eam ubique quærere, omnem operam dare, ut eam videre, et cum ea colloqui possis: vide VI Fast. 334 sqq.—*Hesperien*. Sic vulgo; Planudes Ἑσπερίην.—Regii nostri *Eperien*; ita et plurimi vet. teste Heinsio. *Ed.*—*Cebrenia*, pars Trojanæ terræ, ubi fluvius *Cebrenis*. Secundum Apollodorum duxit Asteropen aut, ut alii exhibent, Steropen, Cebrenis filiam.

772. *Cerva*. Quidam *agna*.—Regii nostri *cerva*. — Hoc recte se habet, nam et *cervi*, *luporum præda rapacium* Horat. IV, Od. IV, 50; I, Od. XV, 20, ubi eadem similitudo. *Celeremque* etc. I, 539 sq. Sequentia aliter habet Apollodorus : duxit enim eam uxorem, et τεθνεῶσαν ἀποθανοῦσαν ἀπορνιώθη, lugens mortuam in avem mutatus est.—*Strinxit*...*liquit*. Multi *stringit* et *linquit*. quod Burmannus librariis imputat, qui rythmum amarint.—Codex Regius A solus *stringit*... *linquit*.—*Suppressa fuga*. Mediceus *suspensa*.—In nostris Regiis *suppressa*.

781. Vide ad 702.—*Mittere solatia*, ut *mittere inferias*, *munera umbris*.

783. *Rauca*, raucum sonum faciens, ut *raucum æs*. — *Se dedit in pontum*. Vulgo (et in nostris Regiis) *decidit in pontum*; multi *desilit* : *se*

Texit; et optatæ non est data copia mortis.
Indignatur amans invitum vivere cogi,
Obstarique animæ, misera de sede volenti
Exire: utque novas humeris adsumserat alas,
Subvolat, atque iterum corpus super æquora mittit.
Pluma levat casus: furit Æsacos, inque profundum
Pronus abit, letique viam sine fine retentat.
Fecit amor maciem; longa internodia crurum,
Longa manet cervix; caput est a corpore louge.
Æquor amat, nomenque tenet, quia mergitur illo.»

dedit, se præcipitavit; plenius Virgilius, Georg. IV, 828, *se jactu dedit æquor in altum.* — *Texit;* alter Strozzæ *vexit;* Heinsius malebat *vestit:* mox idem emendat *ut optatæ.*— Regii nostri *Texit, et optatæ:* Heinsio deest auctoritas. *Ed.*

788. *Sedes*, corpus. Cic. Tusc. I; 24, *domicilium*; Lactant. II, 3, *receptaculum*; Æschines, Socr. III, 5, σκῆνος.— *Adsumere alas* etiam XII, 1, pro simplici *sumere*; Art. Amat. III, 142, *adsumta lyra;* Velleius, I, XI, 1, *adsumtis regni insignibus.*— Mox ingeniose explicatur natura mergi. Pro *subvolat*, Cantab. habet *evolat;* utrumque verbum significat in altum volare. — Regii nostri *subvolat*, quod rectius censeo; nam ex eo quod Cicero, Tusc. I, 40, dixerit: *si hæ sursum rectis lineis in cælestem locum subvolant*, non inde sequitur apud omnes bonæ notæ alios scriptores verbum *subvolare* esse idem quam sursum volare: et hoc loco mergi volatum submissum, et frequentes immersiones significat. *Ed.* —*Furere* de motibus et lusibus mergi in aqua capiendum.— *Pronus*, quia primum capite et collo mergitur.

794. *Caput est a corpore longe.* Heinsius conjicit, *caput exstat a corpore longum.* — Regii nostri nihil mutant et bene; nam Heinsius, mutato textu, sensum corrumpit. *Ed.*

795. *Tenet* e multis MSS recepit Burmannus quod ego non improbo, quia *manet*, quod est in reliquis, præcessit, et quia *nomen tenere* phrasis perquam usitata. Sed tunc etiam *illi* mutandum erat cum interpunctione. MSS habent *illo* et *illic*. Prius prætuli, præsertim quum etiam Lactant. in Arg. ubi h. vers. inseruit, ita legit. — Regii nostri codices habent *tenet*...*illo.* Ed.

P. OVIDII NASONIS

METAMORPHOSEON

LIBER DUODECIMUS.

N. B. Argumentum hujus Libri duodecimi Metamorphoseon relatum invenies in serie CANTERI, tom. III, pag. 40.

FAB. I. NESCIUS adsumtis Priamus pater Æsacon alis
Vivere, lugebat: tumulo quoque nomen habenti
Inferias dederat cum fratribus Hector inanes.
Defuit officio Paridis præsentia tristi,
Postmodo qui rapta longum cum conjuge bellum

1–38. *Græci* in *Aulide*, ubi congregata eorum classis diu detinebatur, et *ostento*, belli moram portendente, obstupescunt, et Dianam *Iphigenia* mactata placare volunt.—*Adsumtis*. Heinsius conjecerat *at sumtis*; tamen lectionem vulgatam ferri posse fassus est.—Codices Regii *assumtis*.

2. *Tumulus nomen habet*, ut XI, 429, ubi vide notam. — *Inferias... inanes*. Florent. S. Marci, et unus Mediceus *inani*; Heinsius male suadebat, *inane*, scil. *nomen*. Proprie sepulcrum *inane*, in quo nullum corpus conditum. Sed poetæ licet etiam *inferias inanes* dicere, sacrificia, quæ Diis Manibus ad sepulcrum inane offeruntur: vide ad VI, 568. Conf. Virg. Æn. III, 301 sqq. Alio sensu supra II, 340, *inania munera!* Burmannus etiam cum codice Leidensi tertio mallet, *Inferias tulerat*, ut ad *inferias* alludatur, quæ ab *inferendo* dictæ sunt, sine causa. *Dare* et *ferre* promiscue usurpantur de sacris. Servius ad Virgilii, VIII, 106, verba, *tura dabant*, hæc notat: « Verbo sacrorum usus est; nam dici » solebat in sacris: Da quod debes » de manu dextera aris; » vide et Brisson. de Form. I, p. 25. *Inferias mittere* legimus XI, 381. — Regii codices habent *inanes*.

5. *Longum*. Basileensis *durum*, quod eleganter dictum putat Bur-

Adtulit in patriam : conjuratæque sequuntur
Mille rates, gentisque simul commune Pelasgæ :
Nec dilata foret vindicta, nisi æquora sævi
Invia fecissent venti, Bœotaque tellus
Aulide piscosa puppes tenuisset ituras.
Hic patrio de more Jovi quum sacra parassent,
Ut vetus accensis incanduit ignibus ara,
Serpere cæruleum Danai videre draconem

mannus ; Heinsius tamen conjicit *dirum* ; sed *longum* minime mutandum, quia longitudine, scil. diuturnitate memorabile inprimis hoc bellum : vide vers. 20 ; *spatiosum bellum* XIII, 206.—In nostris Regiis est *longum*.—*Conjuratæ*, quarum duces conjuraverant ; apud Horatium, I, Od. xv, 5, Nereus vaticinatur Paridi, *Mala ducis avi domum, Quam multo repetet Græcia milite, Conjurata tuas rumpere nuptias*.—In numero navium definiendo non erimus cum Ciofano anxii. Noster, more poetarum, et hic et infra numerum indefinitum posuit, *mille*. atque ita et alii poetæ, etiam Liv. XLV, 27 ; vide Drakenb. ad Silium, III, 229 ; Barnes. ad Euripidem, Androm. 106 ; Homerus habet MCLXXXVI. Vulgo MCC numerantur.—*Gentis commune Pelasgæ*, universa gens græca, conjunctæ Græcorum opes, quam formam loquendi bene illustrat Heinsius qui laudat ex Herodoto, τὸ κοινὸν τῶν Σαμίων, e Dionysio Halic. τὸ κοινὸν τῶν Λατίνων, e Cicerone, *commune Meliadum*, *commune Siciliæ* etc. infra XIII, vs. 199, *communis Græcia*. *Pelasgi* Achivi post Homerum dici cœperunt a serioribus poetis.

8. *Nec dilata foret* etc. Fuere et aliæ causæ vindictæ dilatæ, eæque graviores, apparatus nempe classis etc., sed illæ nihil ad consilium poetæ. — *Tenuisset* simplex, pro composito *detinuisset*. — *Piscosus* commune epitheton insularum urbiumque maritimarum. De hac mora in Aulide cf. Euripidem, Iphig. Aulid. principio.

11. *Hic patrio de more* etc. Hæc usque ad vers. 23 sumpta ex Homero, Il. B, 229 sqq, ubi ab Ulysse facunda cum simplicitate narrantur. Comparatione instituta superior Homerus reperitur Ovidio : namque 1° scena ibi suavius descripta. In medio umbrifera platanus, unde limpida aqua profluit : sub platano est ara, quam Græci sacris intenti circumstant : 2° ostentum ipsum et ad stuporem injiciendum et ad commiserationem faciendam aptius narratum. Erat horribilis draco, ab ipso Jove signi loco missus, qui prosiliens ab ara ad arborem tendebat. Passeris pulli, νήπια τέκνα, sub foliis latebant. Hos draco stridentes miserabiliter devorabat, quum mater quiritans circumvolaret, donec ipsam implicans ala prehenderet draco. Etiam Stasinus, poeta antiquus, in Cypriis carminibus hæc tractaverat. —*Patrius*, gentilis, ut πατρώϊος. Lenzius conjungit *patrio Jovi*. Immo *patrii moris* sacra passim, ut VI, 648. —*Incandescere*, valde incalescere, inflammari, ut II, 729, et *recandes-*

In platanum, cœptis quæ stabat proxima sacris:
Nidus erat volucrum bis quatuor arbore summa;
Quas simul, et matrem circum sua damna volantem,
Corripuit serpens, avidaque recondidit alvo.
Obstupuere omnes: at veri providus augur
Thestorides; « Vincemus, ait: gaudete, Pelasgi.
» Troja cadet; sed erit nostri mora longa laboris: »
Atque novem volucres in belli digerit annos.
Ille, ut erat, virides amplexus in arbore ramos,
Fit lapis, et servat serpentis imagine saxum.
Permanet Aoniis Nereus violentus in undis;

cere I, 435. — *Platani* illius partem Pausaniæ adhuc ætate in templo ostendebant, et juxta fontem. Vide Bœot. pag. 478.

16. *Circum sua damna* eleganter, circum pullos suos, quibus cummaxime privabatur: *damnum* interdum res amissa, aut quæ amittitur; XI, 381, *damna*, pecora trucidata. Laudat Burmannus Phædri, I, 28, ubi vulpes aquilæ dolorem miscet *damno sanguinis*, sed ibi *damnum* est jactura ipsa. — *Recondidit alvo*; novem in quibus Francof. *avidoque recondidit ore*; Florentin. S. Marci, *udo quas condidit ore*. *Recondi* et *condi alvo*, tamquam sepulcro, dicuntur devorati cibi; XIV, 176; XV, 88: *et alvus* cum *busto* comparatur VI, 665. — Regius codex A, *avidaque recondidit alvo*; codex B, *avido... ore*.

19. *Thestorides*. De Chalcante, Thestoris filio, augure longe excellentissimo, qui monitis suis Græcos ad Trojam adjuvabat, vide Homerum, Il. A, 68 sqq. *Veri providus*, ut *læti providus augur* I Sab. 93. — Mox Burmanno placet Leid. MS lectio, *Troja jacet*, quia vates futura vident tamquam præsentia. Sed si hoc voluisset Noster, dixisset etiam, *Vicimus* et *fuit*. — In Balliol. erat *fuerit nobis mora longa laboris*, quod nec venere sua caret, Burmanno judice; Heinsius malebat etiam *nostro labori*. — Regii codices nostri habent *sed erit nobis* etc. — De *mora belli* vide ad IX, 134. — *Digerere*, cuique rei suum locum assignare. Hinc *volucres novem in belli annos digerere*, cuique anno unam avem assignare, atque ita docere, novem annos duraturum bellum pro numero avium. Hinc *digerere* omnino, interpretari. Virgilius, Æn. II, 182, *Ita digerit omina Calchas*. Clarius hæc elocutus est Homer. dicto loco. Exagitat Thestoridæ interpretationem Cicero de Div. II, 30. — *Servat*. Unus Leidensis *signat*; Excerpta Calandræ *format*. — In nostris Regiis *servat*. — *Saxum*, saxeam naturam servat, manet saxum. Lenzius putat, vim fontis saxificam formam serpentis saxeam addidisse cortici platani; inde fabulam enatam.

24-38. *Iphigeniæ* mactatæ fabula, post Homerum demum adscita, varie narratur. Mactatam esse virgi-

Bellaque non transfert : et sunt, qui parcere Trojæ
Neptunum credant, quia mœnia fecerat urbi.
At non Thestorides : nec enim nescitve, tacetve
Sanguine virgineo placandam virginis iram
Esse Deæ : postquam pietatem publica causa,
Rexque patrem vicit, castumque datura cruorem
Flentibus ante aram stetit Iphigenia ministris :

nem volunt Lucretius, I, 85 sqq; Cicero Offic. III, 25; Virgilius, Æn. II, 116; Horatius, II, Sat. 3; Propertius, III, v, 64. Et solitos interdum esse Græcos sacrificare homines ostendit Potterus Archæol. tom. I, p. 520, edit. Ramb. Cervam esse suppositam, virginem autem a Diana in Tauros, Scythiæ urbem, translatam, ut ibi sacra sibi faceret, præeunte Euripide Iph. Aul. et in Taur. tradunt Pausan. Bœot. p. 748, ubi et aliæ traditiones; Anton. Liberalis, cap. 27; Hyginus, fab. 98 et 261; Servius ad Virg. d. l. Nihil hic transformationis.

25. *Bellaque non transfert*; Heinsius, invitis omnibus libris (et nostris Regiis), malebat *velaque*; idque postea in Vossiano reperit Burmannus, et recepit Mitscherlich. *Bella non transfert*; belligerantes transire non patitur. Plinius, pan. XII, 3, *duratus glacie tergo bella transportat*; Cicero pro lege Man. 12, *belli impetus navigavit*; Florus, II, II, 17, *bellum in Africam navigabat.* — De *mœnibus* Trojanis vide XI, 202 sqq.

27. *Nec enim nescitve* etc. Dianæ iram irritaverat Agamemnon, interfecta cerva ipsi sacra. Aliter tamen Cicero Offic. III, 25 : « Agamem- » non quum devovisset Dianæ, quod » in suo regno pulcherrimum natum » esset illo anno, immolavit Iphige- » niam (adeoque vix anniculam), » qua nihil erat eo quidem anno na- » tum pulchrius. Promissum potius » non faciendum, quam tam tetrum » facinus admittendum fuit. » Hinc etiam a declamatoribus olim hæc fabula tractari solebat. — *Placandam*; Ambrosianus *pacandam*; et mox Cantabr. *numinis iram Esse decet.* — Regii nostri bene habent *placandam virginis iram Esse Deæ.*

29. *Publica causa*, commodum, utilitas gentis, ut *causa imperii*, *reipublicæ* apud Ciceronem. — *Rexque patrem vicit*; Ciofanus inepte conjiciebat *Resque patrem*; novem *vircit.* — In nostris Regiis *Rexque patrem vicit.* — *Rex*, officium regis, *patrem*, animum paternum, per metonymiam subjecti pro adjuncto. XIII, 187, *in rege tamen pater est*; Valerius Max. V, VIII, 1, de Bruto, *exuit patrem, ut consulem ageret*; supra VI, 629, *ex nimia matrem pietate labare sensit*, ubi vid. Heinsius. Persuasus precibus Menelai accessivit Iphigeniam.

30. *Dare*, effundere. Sequentia pulcherrime tractavit Lucretius d. l. qui locus dignus est, qui cum nostro comparetur : « Cui simul infula » virgineos circumdata comptus Ex » utraque pari malarum parte pro- » fusa est, Et mœstum simul ante » aras adstare parentem Sensit, et » hunc propter ferrum celare mi- » nistros, Adspectuque suo lacry-

Dea est, nubemque oculis objecit; et inter
am turbamque sacri, vocesque precantum,
osita fertur mutasse Mycenida cerva.
ubi, qua decuit, lenita est cæde Diana,
riter Phœbes, pariter maris ira recessit;
iunt ventos a tergo mille carinæ;
que perpessæ Phrygia potiuntur arena.
Orbe locus medio est, inter terrasque, fretumque,
tesque plagas, triplicis confinia mundi;

ffundere cives: Muta metu a genibus submissa petebat: iiseræ prodesse in tali tem- quibat, Quod patrio prin- onarat nomine regem etc.» t illam immolationem Ti- s, de quo Quintilianus, Inst. XIII, 13: « Quum in Iphi- immolatione pinxisset tris- Calchantem, tristiorem Uli- addidisset Menelao, quem um poterat ars efficere, mœ- : consumtis adfectibus, non ens, quo digne modo patris a posset exprimere, velavit iput, et suo cuique animo æstimandum. » Conf. Ci- r. 22; Plinius, XXXV, 10. *ctum turbamque* etc. Res di- narratur apud Euripidem, 11 sqq: *turba sacri*, strepitus qui sacro intererant; codex . habet *cæptumque sacri*, einsius pro *cætum* suspicatur). Regii nostri codices *tur- Supposita ... cerva.* Thuan. *um ... cervam*, sed tum *My-* oret dicendum, monente irmanno: vide ad VII, 60. codices nihil mutant.—*Mu- ermutasse.* Ipsam virginem ejus loco supposuit vel *cer-* plurimi tradunt, vel tau-rum, ut vult Nicander apud Anton. Liberalem.

35. *Ergo ubi, qua decuit* etc. Quidam *qua licuit*: τὸ *ubi* abest a Zulichemiano, τὸ *est* a fragmento Boxhornii: unus Leidensis *lenitaque*. Heinsius censet scribendum, *Ergo, qua decuit, lenita cæde Diana, Ut pariter Phœbes, pariter maris ira recessit.*—Regii nostri codices habent vulgatam.—*Potiri* dictum ut XI, 55.

39-145. *Cycnus invulnerabilis.* Trojani quum *fama* adventum Græcorum cognovissent, armati hostem exspectant. Primo statim congressu quum Achilles Cycnum, qui nullo telo interimi poterat, impulsum super lapidem necasset, hic a Neptuno mutatur in avem sui nominis. Conf. Q. Calaber, IV, 467 sqq: tractaverat et Stasinus in Cypriis. — *Orbe locus medio* etc. Locus classicus de Fama et de ejus domicilio. Neque Noster concertasse videtur cum Virgilio, Æn. IV, 173-188, sed suum ipsius ingenium secutus: eique ex more indulsit loquacitate. Conf. de Fama Valerius Flaccus, II, 116 sqq; Statius Theb. III, 426; Noster supra IX, 137 sqq. *Fama* Dea jam apud Hesiodum, Ἔργ. fin. Ingeniose autem domicilium Famæ excogitatum.—*Cælestes plagæ*, cælum in cer-

Unde, quod est usquam, quamvis regionibus absit,
Inspicitur, penetratque cavas vox omnis ad aures.
Fama tenet, summaque domum sibi legit in arce;
Innumerosque aditus, ac mille foramina tectis
Addidit, et nullis inclusit limina portis.
Nocte dieque patet: tota est ex ære sonanti;
Tota fremit, vocesque refert, iteratque quod audit;

tas plagas divisum. — *Triplex mundus*, id est, constans tribus partibus, sive elementis, e disciplina quidem Lucretii, V, 94 sqq: « Principio » maria ac terras cælumque tuere: » Horum naturam triplicem, tria » corpora, Memmi, Tres species » tam dissimiles, tria talia texta etc. » quem locum disertis verbis Noster respicit II Trist. 426, et ad Liviam, 362, ubi mundus *triplex opus* vocatur. Male Lenzius monet, *fretum* non esse separatim capiendum, sed *terras fretumque* esse omnino terram. Adversatur huic interpretationi quod subjicitur, *triplex mundus*. In confiniis *terræ* et *freti* mons eminebat versus *cælum*. Inde prospectat Fama, etiam quod in *freto* geritur, vers. 62. — *Quamvis regionibus absit*. Barthius ad Statium, I Theb. 200, corrigit *quantis regionibus*. — Non ingrata illa emendatio, sed auctoritas codicum abest. *Ed.* — *Inspicitur*, ut apud Plinium, VI, ep. 31, *Quid jucundius, quam Principis justitiam... inspicere?* et Panegyr. cap. 83.

43. *Domum* multum præstat τῷ *locum*, quia Fama Dea est, cui, ut XI, 593, Somno, recte *domus* tribuitur, quæ *foramina* et *atria* etiam habet, vers. 53: *locum* huc translatum ex I, 27, ubi idem versus de igne. Ea domus erat *summa in arce*, in cacumine montis e terra surgentis in confiniis istis. — *Et nullis* pro, *nec, sed non* addidit portas. — *Inclusit* pro simplice, clausit.

46. *Est ex ære sonanti*; ita vulgo. *Est ex ore sonanti* pro, est os sonans, tota indesinenter blaterat, habent non nisi duo MSS unde, postquam Gruterus ad Plaut. Aul. III, VI, 18, probaverat, recepit Burmannus, partim quia rectius dicatur *os sonans*, quam *auris*, partim quia Virgilius, d. l. habet de Fama, *totidem ora sonant*. Exquisitiorem hanc lectionem esse vulgata *ære*, etiam Lenzius judicat; sed quinque MSS habent *ex aure*, quod equidem non spreverim præ illo altero. Namque 1° etiam auris plena sonoribus, ut loquitur Lucretius, VI, 1183, recte dici potest *sonans*: 2° jam supra admonui, Nostrum h. l. parum expressisse Virgilium, multoque minus credendus est tam pueriliter vestigia illius secutus esse, ut, quoniam ille dixerat, *totidem ora sonant*, et ipse *oris sonantis* mentionem faceret. Idem Virgilius etiam *totidem aures* Famæ tribuit: « Cui quot sunt corpore plumæ, Tot vigiles oculi subter, mirabile dictu, Tot linguæ, » totidem ora sonant, tot subrigit » aures; » 3° In notanda hac Famæ loquacitate Noster ipse, etiam sine verbis illis, de quibus quæritur, in loquacitatis ineptissimæ vitium incidit: eamdem enim rem ad tædium

Nulla quies intus, nullaque silentia parte :
Nec tamen est clamor, sed parvæ murmura vocis;
Qualia de pelagi, si quis procul audiat, undis
Esse solent; qualemve sonum, quum Jupiter atras
Increpuit nubes, extrema tonitrua reddunt.
Atria turba tenent : veniunt leve vulgus, euntque;
Mixtaque cum veris passim commenta vagantur

usque lectoribus inculcat : *Tota fremit, voces refert, iterat quod audit*; nondum satis : *Nulla quies intus*; nec hoc satis : *nullaque silentia parte*; et ne hic quidem desinere poterat; *Nec tamen* etc. Multo igitur intolerabiliorem eum reddunt, qui etiam *ore sonanti* defendunt et de auditu nihil relinquunt ; sed fateor nec hanc lectionem mihi satisfacere : durum enim videtur, *tota est ex aure* aut *ore sonanti* : deinde tota loci series ostendit, hic non de Fama ipsa, sed de domo ejus sermonem esse : tamen et *Rode* hæc ad Deam retulit. Sed inepta foret Dea indesinenter fremens. Quid ipsa agat potius vers. 62 seq memoratur. Sequitur *nulla quies intus*; quorsum τὸ *intus* referes, si hæc verba de ipsa Dea agunt? Proxime præcedit in tribus MSS *Nocte dieque patent*, scil. limina; igitur præstat vulgata lectio, *patet*, scil. domus : eadem *tota est ex ære sonanti*. Ita *audit* dictum erit pro, perfertur ad ejus foramina : *fremit*, audiuntur promiscue multorum voces.—Regius noster A habet *Nocte dieque patet; tota est ex ære sonanti* : quæ duo ad *domum* sunt referenda : codex B *patet; tota est ex aure sonanti* (cum glossa) id est, *percipiente sonum*; quod non male conveniret cum sequentibus *iteratque quod audit*. Ed.

49. *Parvæ*, submissæ, ut III ex Ponto, III, 10, *parvus sonus*. Parvam autem vocem finxit, quia rumusculi ab initio clam propagantur.—*Atras nubes*; multi *altas*; Leidensis a manu prima *actas*, non improbante Burmanno. — Regius codex A *altas*; codex B *atras*; epitheton *altas* languere videtur; *actas* præstantius crediderim. *Ed.* — *Increpuit*, concussit : verba enim orationis sæpe transferuntur ad rem. — *Extrema tonitrua* egregie, quorum sonus jam fractus est atque debilitatus, et mox desinet; sic II, 117, *extrema luna*, quæ mox evanescet e conspectu; Plinius, II, Epist. 17, *sonus* maris *desinens*, et ibid. *fracti et novissimi fluctus*.

53. *Atria turba tenent*. Regii nostri habent *tenet*; *tenent* catalogus sequens exigere mihi videtur. *Ed.* — *Vulgus*, quod delectatur et ducitur rumoribus, eamque ob causam *leve* est, frequentant *atria*, et rumorum cognoscendorum, et Deæ colendæ causa. Ibi *commenta rumorum*, commentitii rumores, *vagantur*, tamquam personæ, *confusaque verba volutant*, quod præclare de magna et simul loquente turba dictum, ut Virg. Æn. I, 725, de convivis loquacibus, « vocemque per ampla volutant Atria. » *Volvere verba*, pronuntiare, dixit Cicero Or. III, 47, Brut. 70. — Paulo ante pro *passim* liber Strozzæ habet *pariter*.—Regii nostri

Millia rumorum ; confusaque verba volutant.
E quibus hi vacuas implent sermonibus aures :
Hi narrata ferunt alio, mensuraque ficti
Crescit, et auditis aliquid novus adjicit auctor.
Illic Credulitas, illic temerarius Error,
Vanaque Lætitia est, consternatique Timores,
Seditioque repens, dubioque auctore Susurri.
Ipsa quid in cælo rerum, pelagoque geratur,
Et tellure, videt, totumque inquirit in orbem.
Fecerat hæc notum, Graias cum milite forti
Adventare rates ; neque inexspectatus in armis

passim.—*Vacuas aures*, quidam (et noster Regius B), *auras : vacuas*, non occupatas audiendis rebus gravioribus, sed vacantes rumoribus, ut IV, 41 ; et *vacua Juno* III, 319. —*Ferunt alio*, relata referunt aliis : et quidem permulti (et noster Regius B) habent *aliis.* — *Mensura*, magnitudo ; Virgilius : « Mobilitate » viget, viresque adquirit eundo, » Parva metu primo, mox sese ad» tollit in auras, Ingrediturque solo, » et caput inter nubila condit. » Confer supra IX, 137 sqq.—*Novus auctor*, qui aliis refert relata.

59. *Illic Credulitas .... Error* etc. Προσωποποιεῖται ea, quæ vel rumores gignunt aluntque, vel ab iis gignuntur. Quintilianus Inst. V, 3, de Fama, esse *sermonem, sine ullo certo auctore dispersum, cui malignitas initium dederit, incrementum credulitas.*—*Repens* de suo dedit Heinsius pro *recens.*—Hoc habent nostri Regii.—*Seditio repens* Safftius, *der herumschleichende Aufruhr*, quasi esset a verbo *repere* : sic etiam Rodius et Lenzius. Immo *repens* est repentina, ut passim *repens tumultus*, *discordia* etc. vide Heinsium. Conjuratio clam serpere potest ; sed quando illa in *seditionem* erumpit, manifesta est : et omnis seditio erumpit repente.—Pro *Susurri* (quod est in Regiis nostris) Neapolitanus solus, ut videtur, *Susurra.*

62. *Ipsa quid in cælo .... videt.* Megaronides in Plauti Trinummo : « sciunt id, quod in aurem rex re» ginæ dixerit : sciunt, quod Juno » fabulata est cum Jove : sciunt quæ » neque futura, neque facta sunt ; » tamen illi sciunt etc. » Juvenalis, Sat. VI, de filia famigerationis : « Hæc eadem novit quid toto fiat » in orbe ; Quid Seres, quid Thra» ces agant. » *Ed.* — *Inquirit in orbem.* Eadem syntaxis I, 148, *patrios inquirit in annos* ; et apud Lactantium Inst. III, xv, 8, MSS habent, *si quis in mores eorum inquirat.*

65. Auxiliares arcessiverat, et cum potentissimis Asiæ regibus societatem inierat Priamus. Græci appulerunt ad litus Sigæum, ubi Trojani eos *aditu prohibebant* (phrases solemnes *aditu*, *litore*, *portu prohibere* : vide Heinsium), sed cruento prælio repulsi sunt ; Thucydides, I, 11. — *In* aut *sub armis*, ut apud

Hostis adest : prohibent aditu, litusque tuentur
Troes ; et Hectorea primus fataliter hasta,
Protesilae, cadis : commissaque prælia magno
Stant Danais, fortisque animæ nece cognitus Hector.
Nec Phryges exiguo, quid Achaia dextera posset,
Sanguine senserunt : et jam Sigæa rubebant
Litora : jam leto, proles Neptunia, Cycnus
Mille viros dederat : jam curru instabat Achilles,

Græcos ἐφ' aut ὑφ' ὅπλοις, armatus, sæpissime.

67. *Fataliter*, ex decreto fati. Græcis responsum erat, qui primus Trojana litora attigisset, periturum. Cæteris cunctantibus, prosilit fraude Ulyssis *Protesilaus* Thessalus, quem fata jam olim designaverant, imposito ei Protesilai nomine ; Homerus, Il. B, 697 ; Noster, Heroid. XIII, 93 ; Hyginus, fab. 103 ; Ausonius, epigr. XII, ubi inter alia : « Fatale » adscriptum nomen mihi Prote- » silao.... Hoc letum jam tum mea » fata canebant, Tale mihi nomen » quum pater imposuit. » — Is Protesilaus fuit Laodamiæ Acasti filiæ maritus : illius pater Iphiclus cursus velocitate celebris. *Ed.* — *Commissa* (ita in nostris Regiis) ; Leidensis tertius *præmissa* : sed recte *commissa prælia*, prælium, quo initium belli et præliorum factum : vide Burmannum. — *Magno stant* ; vide ad X, 547. — *Fortisque animæ* e correctione Zulichemii receperunt Heinsius et Burmannus pro *fortesque*. — Codicum lectionem truncam refert *Gierig* : teste Heinsio libri constanter habent *fortesque animæ, neque cognitus Hector* ; ita est in nostris Regiis : quæ lectio paululum quidem contorta ; at altera conjecturæ tantum Zulichemii debetur. *Ed.* — *Fortis animæ* de Protesilao intelligendum. — *Cognitus* interdum in laudem dicitur, ut *spectatus* alibi, qui virtutis suæ speciminibus inclaruit.

70. *Achaia*. Vulgo *Achaica* ; sed *Achaia*, ut *Troia*, *Panchaia* : vide Heinsium. — Regius cod. A *Achaia* ; codex B *Achaica*. — *Exiguo sanguine* profuso. *Sentire* dicuntur qui damno suo discunt, quid alter valeat ; infra XIII, 864 ; Cic. Catil. II, 12, *Sentiet in hac urbe esse consules vigilantes*. — Repetitio τοῦ *jam* festinationi declarandæ inseruit, ut X, 523 seq. — *Sigæa rubebant litora*. Plurimi (inter quos Regii nostri) *signata rubebant litora*. Ita solent poetæ prælia acerrima describere ; Lucanus, II, 713, *Tum primum rubuit civili sanguine Nereus*.

72. *Proles Neptunia, Cycnus*. Supra II, 367, alium *Cycnum* habuimus. Hunc nostrum, Neptuni filium, Colonarum in Troade regem (vide Pausaniam Phoc. p. 831), quidam confundunt cum tertio Cycno, Martis filio, ab Hercule occiso, de quo Apollodorus, II, v, 11. — *Mille viros*. Q. Calaber, d. l. πολλῶν θυμὸν ὀλόντα. Et erat Cycnus πρῶτος ἀριστήων. — *Curru instabat*. Regii nostri *curru stabat* ; quam lectionem vulgatam insipidam judicat recte Farnabius ; altera magis Virgiliana ; Æn. enim I, 468, *instaret curru cristatus Achilles*. Ed. — *Curru* vectus *insta-*

Troaque Peliacæ sternebat cuspidis ictu
Agmina, perque acies, aut Cycnum, aut Hectora quærens,
Congreditur Cycno : decimum dilatus in annum
Hector erat : tum colla jugo candentia pressos
Exhortatus equos, currum direxit in hostem;
Concutiensque suis vibrantia tela lacertis,
« Quisquis es, o juvenis, solatia mortis habeto,
» Dixit, ab Hæmonio quod sis jugulatus Achille. »
Hactenus Æacides : vocem gravis hasta secuta est.
Sed quamquam certa nullus fuit error in hasta,
Nil tamen emissi profecit acumine ferri :

bat, irrumpebat aut persequebatur Trojanos. — *Troaque* pro *totaque* ex Mediceo chartaceo Heinsius recepit, quia Τρῴς et Τρωὸς et Τρωϊὸς et Τρoϊκὸς dicitur.—Regii nostri *Tota-que*, quod præferre non dubitaverim, nisi Heinsius obstaret, Mediceo suo fretus, quem ex veterrimo descriptum dicit. *Ed.* — *Peliaca cuspis*, mobilis Achillis hasta, tanta magnitudine et pondere, ut nemo reliquorum Græcorum eam vibrare posset. *Peliaca* et *Pelias* vocatur quia ex Pelii montis vertice eam resecuerat Chiron ; Homerus, Il. Π, 140 ; Q. Calaber, V, 118.

76. *Dilatus Hector.* Hectoris nex demum secuta decimo anno; scilicet Hector fato aut Deorum voluntate reservatus in decimum annum. Rarius homines dicuntur *differri*, quam res; vide Schwarz. ad Plinium, panegyr. 26.

77. *Colla candentia*; plurimi (et nostri Regii) *canentia*; sed canus color non commendatur in equis, candens autem passim laudatur; vide Heinsium. *Colla jugo candentia pressos equos* pro vulgari, candentes equos et currui junctos. — *Exhortari* incitare, ut V, 421, et alibi, *hortari* et *monere canes*.—*Vibrantia tela*. Unus Vossianus *Vulcania tela*, quæ Vulcanus fabricaverat; sed Pelias hasta donum erat Chironis, quamquam a Vulcano armata ferro credebatur : vide Burmannum. — Nostri Regii *vibrantia*. — Non modo qui hastam movet, sed hasta etiam ipsa, quæ movetur, *vibrare* dicitur; sæpe linguæ *vibrantes* serpentum. Igitur pro *vibrans tela* e copia poetica maluit *concutiens vibrantia tela*. — *Solatia* etc. vide ad IX, 7. Vulgo (et in Regiis nostris) legitur, *dixit*, *solamen habeto Mortis*; alterum ex tribus antiquis rotundius visum Heinsio. — *Solatia* vel *solamen mortis* ex illo Virgiliano, Æn. X, 829, *Hoc tamen infelix miseram solabere mortem. Æneæ magni dextra cadis*. Ed.—*Jugulatus*; Heinsius suadet *qui sis jugulandus*, sine causa.

83. *Error*, ut V, 90, et *errare* mox vers. 122.—*Certa* vide ad I, 519.— *Emissi ferri*; quinque *admissi*, quod elegantius Burmanno videtur, ut *admissæ aquæ*, *admissi equi*.—Similitudines, quas Burmannus refert,

Utque hebeti pectus tantummodo contudit ictu;
« Nate Dea, nam te fama prænovimus, inquit
» Ille, quid a nobis vulnus miraris abesse? »
Mirabatur enim; « non hæc, quam cernis, equinis
» Fulva jubis cassis, nec onus cava parma sinistræ
» Auxilio mihi sunt; decor est quæsitus ab istis.
» Mars quoque ob hoc capere arma solet: removebitur omne
» Tegminis officium; tamen indestrictus abibo.
» Est aliquid, non esse satum Nereide, sed qui
» Nereaque, et natas, et totum temperet æquor. »
Dixit; et hæsurum clypei curvamine telum

hic locum suum habere mihi non videntur; itaque præfero *emissi*, quod est in Regiis codicibus. *Ed.*—*Hebes ictus* paulo audacius, ictus, qui tamquam cuspis hastæ *hebes* esset, nullum infligit vulnus.

88. *Equinis... cassis*, κόρυς ἱπποδασεῖα, λόφος ἱπποχαίτης, galea, cujus cono setæ jubarum equinarum inserebantur, quæ ornamenta variis coloribus imbuebantur.—*Cava*, quia curvata.— *Onus sinistræ* ut II, 681. *Onus* ut *gestamen* et φόρημα, quidquid gestatur; sic *onus inguinis* pro inguine IV Fast. 241.—*Auxilio* Gronovianus primus *auxilium*, ut Remed. Amor. 528, ubi vide Burmannum.— Nostri Regii *auxilio.*—*Decor... istis*, ut decorem mihi adderem, compararem, ista sumsi: *ab istis* elegantius, quam, *istis*. Lucret. V, 1039, *a pennis tremulam petere auxiliatum.*

91. *Ob hoc.* Francius malebat *ob hunc;* quinque libri *ab hoc.* Regii nostri *ob hunc.* — Pro *removebitur omne* (quod habent nostri) septem *removebitur ecce.* — *Tegminis officium*, arma, quæ aliis id officii præstant, ut corpus tegant; I, 744, *pedum officium.*—*Destringitur* corpus, quum hasta missa leviter cutem percutit, exiguamque notam relinquit. —Pro *ero* melius, *abibo ;* Sallustius Cat. 61, 7, *graviter vulneratus discesserat :* ex eodem genere sunt, *impunitum dimittere*, *ruptum jacere*, quibus verbis actio, aut status sequens exprimitur.

93. *Est aliquid*, maximus honor est mihi, *es ist nichts geringes :* vide Schewbel. ad *L. Bos Ellipses*, p. 190. —*Non esse satum Nereide, sed qui* etc. sed ex Neptuno, cui famulatur Nereus matris tuæ pater. *Ed.*—*Nereide*, Thetide, cujus filius Achilles. Non erat, cur tam contemtim de Achille loqueretur; nam nec ille, nisi in calce, vulnerari poterat.—*Temperet.* Vulgo (et in Regiis nostris) *temperat.*

95. *Clypei curvamine*, in clypeo curvo. Clypeus Achillis secundum Homerum, Il. Υ, 269 sqq, quinque constabat laminis, quarum duæ exteriores æreæ, duæ interiores stanneæ, media aurea. Sed Ovidio placuit ei clypeum dare lamina ærea et decem boum coriis obductum, forte quia Ajax septem coria habebat; vide ad XIII, 2. Præeunte Ho-

Misit in Æaciden, quod et æs, et proxima rupit
Terga novena boum, decimo tamen orbe moratum.
Excutit hoc heros, rursusque trementia forti
Tela manu torsit: rursus sine vulnere corpus,
Sincerumque fuit; nec tertia cuspis apertum,
Et se præbentem valuit destringere Cycnum.
Haud secus exarsit, quam circo taurus aperto,
Quum sua terribili petit irritamina cornu,
Pœniceas vestes, elusaque vulnera sentit.
Num tamen exciderit ferrum, considerat, hastæ?
Hærebat ligno: « Manus est mea debilis ergo;

mero, Il. H, 247; Y, 269, etiam latini poetæ, ut Virgilius, Æneid. X, 783, commemorare solent, quot laminas et coria (πτύχας Homerus vocat) telum missum penetraverit. — *Tergum* amant poetæ pro vulgari *corium*. — *Decimo orbe*. decimo corio. Sæpe *clypei orbis*, hinc etiam coria circa clypeum ducta *orbes*. Pro *orbe* Cantabrigiensis et unus Heinsii *ære;* Vossianus et Menardi *orbe resistit* (in Regiis nostris *orbe moratum est*). Expressit autem Nostrum et inprimis Vossian. et Menard. codicis lectionem Statius, Theb. IX, 104: *Intorquet jaculum, duro quod in ære moratum, Transmissumque tamen clypei stetit orbe secundo.*

98. *Excutit.* Ante Heinsium edebatur *excipit.*—Regius noster A *excutit;* Regius B *excipit. Decutere* dixit Virgilius in re simili. *Ed.* — *Excutere* dicuntur homines et feræ hastas, tela, venabula infixa: vide Heinsium et Burmannum. — *Sincerum* Burmann. interpretatur non tinctum, fœdatum sanguine. Malim illæsum, ut I, 191, *pars sincera;* Lucretius, III, 717, *membra sincera. Sincerum* enim omne id, quod vitio caret. — *Apertum*, inermem, nudatum casside et parma. — *Se præbet* qui se attractari; hoc loco, qui se feriri sinit.—Virgilius, Æn. X, 314, *latus haurit apertum*, id est non tectum clypeo. *Ed.*

102. *Haud secus exarsit* etc. Apta et Romanis grata comparatio. Taurorum genus quoddam, quum puniceum rubrumque colorem ferre non posset, vestibus et pilis hujus coloris in circo expositis irritari solebat; Martialis Spectac. 19 et 22.—*Circo*, claustris circi, cavea, in quam conclusa animalia.—Ut gladiatores ictus adversarii et *vulnera eludunt* declinatione corporis, ita etiam ab istis incitamentis, dum cedunt irruenti tauro, *vulnera eluduntur*, non infliguntur vulnera.—Pro *sentit* Regius noster codex B habet *sensit;* male, propter τὸ precedens *petit.*—De voc. *Pœniceas*, id est purpureas, jam non semel dictum. *Ed.*

105. *Num tamen exciderit* etc. Admirationem Achillis bene exprimit. Simul rerum ab eo gestarum indiculus additur, ut IX, 182 sqq. Conf. XIII, 171 sqq, et Quint. Calaber, IV, 150 sqq. Apud Homerum, Il. I,

[redacted]

» Quasque, ait, ante habuit vires, effudit in uno.
» Nam certe valuit, vel quum Lyrnesia primus
» Mœnia disjeci; vel quum Tenedonque, suoque
» Eetioneas implevi sanguine Thebas;
» Vel quum purpureus populari cæde Caycus
» Fluxit, opusque meæ bis sensit Telephus hastæ.
» Hic quoque tot cæsis, quorum per litus acervos
» Et feci, et video, valuit mea dextra, valetque. »
Dixit: et, ante actis veluti male crederet, hastam
Misit in adversum Lycia de plebe Menœten,

328, ipse gloriatur, se duodecim urbes inter navigandum, et undecim in continente excidisse. Sed has urbes serius expugnavit. — *Lyrnesus* aut *Lyrnessus*, et *Thebæ* seu *Thebe*, urbes Mysiæ, quæ regio postea Æolis dicta est; vide Burmannum. — *Eetioneas*. Regius noster codex A *Solus Echionias implevi sanguine Thebas*; codex B *Sithioneas*, et in margine *vel Echionias*; ad hæc haud male retulerimus ea quæ dixerit Regius: « Corrupte quidem sic legitur » (*Solus Echionias*) culpa eorum » qui sibi omnia permittunt in iis » invertendis, quæ in priscis exem» plaribus descripta non percipiunt: » quum enim quasnam Ovidius *Ee*» *tioneas Thebas* vocaret minus in» telligerent homines imperiti et te» merarii, non solum *Eetioneas* in » *Echionias* inverterunt, sed et *so*» *lus* commodo suo adscripserunt, » ignorantes *Echionias Thebas* in » Bœotia esse, quæ pro Græcis con» tra Trojanos steterunt; quas au» tem se jactat expugnasse Achilles » in Cilicia, sunt *Eetioneæ* dictæ ab » *Eetione*, patre Andromaches et » rege, cui Thebe paruit; hunc ab » Achille interfectum, urbemque » depopulatam apud Homerum An» dromache ipsa conqueritur; Il. A, » 364; Z, 395. » Legitur etiam *Etioneas*; sed male, Homerus enim locis dictis habet Ἠετίων. *Ed.* — Quum *disjicere* proprie sit ita destruere, ut fragmina sparsa jaceant, de excisis mœnibus, urbibus, arcibus adhibetur; vid. Heinsius et Burmannus. — *Populari cæde*, cæde popularium. Fluvii enim *populares* habentur accolarum; vide IX, 20. — *Caycus*, Mysiæ fluvius; ad eum fluvium Achilles hasta sua vulneravit *Telephum*, Herculis et Auges filium, quum Græcos prohibere litore auderet. Quo ex vulnere quum summis doloribus cruciaretur, et oraculum ei respondisset, ὁ τρώσας καὶ ἰάσεται, Achilles robigine hastæ derasa eum sanavit. Atque ita bis *sensit*, expertus est *opus*, vim et vulnificam et salutarem istius hastæ; Hyginus, fab. 101; Plinius, XXV, 19.

113. *Per litus*, dispersos in litore. —*Hastam*, Florentinus et Francof. *hastæ*, unde Heinsius conjicit *et ante actæ veluti male crederet hastæ*, ut *agere fulmina*, *tela* etc.—Regii nostri nihil mutant. — *Misit in adversum* etc. Centies, et in hac ipsa fab. sæpius homines, et membra, quæ alter petiit telis, *adversi* et *adversa*

Eripiunt animæ : victum spoliare parabat :
Arma relicta videt : corpus Deus æquoris albam
Contulit in volucrem, cujus modo nomen habebat.
II. Hic labor, hæc requiem multorum pugna dierum
Adtulit, et positis pars utraque substitit armis.
Dumque vigil Phrygios servat custodia muros,
Et vigil Argolicas servat custodia fossas,
Festa dies aderat, qua Cycni victor Achilles
Pallada vittatæ placabat sanguine vaccæ.
Cujus ut imposuit prosecta calentibus aris,

eripiant.—*Spoliare*, σκυλεύειν, jacenti arma detrahere, ex noto more veterum. — *Arma relicta videt*; Langermannus *arma relicta loco*, ut *restare loco* XIII, 946; *loco manere* XIV, 70; *loco ponere*, Fast. II, 207. — Regii nostri *relicta videt.*

145. *Contulit*, transformavit; Cicero, Offic. III, 20, *ex homine se conferre in belluam*; supra IX, 347, *Lotis in hanc contulerat versos vultus.* — *Albam in volucrem*, ut superior Cycnus, II, 367.—Fuere autem tres Cycni de quibus apud poetas fit mentio : primus Neptuni filius, quem occidit hic Achilles : alter Stheneli filius, Ligurum rex : tertius Martis filius fuit, quem Hercules singulari certamine ad Peneum amnem superavit et occidit. *Ed.*

146-535. *Pugna Centaurorum*, cujus narrandi occasio hic perquam commoda offertur. Ei enim interfuerat *Cæneus*, Cycno et natura et fatis simillimus. Namque non modo e femina in marem conversus, sed etiam invulnerabilis factus erat Neptuni munere, et, quum necaretur, in avem transformatus; Apollonius, I, 57, ibique schol. Anton. 17; schol. Homeri ad Il. Λ, 264; Hyginus, fab. XIV, pag. 34; Servius ad Æn. VI. De *Cæneo* ipso agitur 171-219 et 459-534, quibus pugna Centaurorum interjecta. Sed his omnibus præmittitur convivii descriptio, quod occasionem dedit antiquiorem hanc fab. repetendi. De *Centauris* vide ad vers. 210.—*Labor* notanter de præliorum molestiis. — *Substitit*, quievit.—*Servat* pro observat, ut V, 631. —*Fossas*. Septem, in quibus Vaticanus, Mediceus, Gronovianus primus, (et præterea noster Regius B) habent *servat custodia flammas* quod de ignibus (Horat. I, Od. x, 15) posse capi Burman. monet; unus Basileensis *portas*; unus Heinsii *valles*. unde Heinsius conjicit *vallos* : sed *fossas* non movendum, quia bene respondet τῷ *muros.*—*Vigil custodia*, custodia vigilum. De repetitione hac verborum vide Præf. de opere Met. in tomo præced. pag. 32. — *Pallas* fautrix Achillis; Homer. Il. A, 194 sqq. — *Placat* Deos quicumque iis sacra facit.—*Vittatæ sanguine vaccæ*. Ante Heinsium edebatur *mactatæ*... *vaccæ* (ita est in nostris Regiis): *vittis* velata omnia, quæ Diis consecrabantur; vide Heinsium.

152. *Imposuit prosecta* etc. Sacrificia causa præcipua apud priscos Græcos conviviorum, quibus ad-

Et Dìs acceptus penetravit in æthera nidor;
Sacra tulere suam, pars est data cætera mensis.
Discubuere toris proceres, et corpora tosta
Carne replent, vinoque levant curasque sitimque.
Non illos citharæ, non illos carmina vocum,
Longave multifori delectat tibia buxi:
Sed noctem sermone trahunt; virtusque loquendi
Materia est: pugnam referunt hostisque, suamque;
Inque vices adita, atque exhausta pericula sæpe
Commemorare juvat: quid enim loqueretur Achilles?
Aut quid apud magnum potius loquerentur Achillem?

modum delectabantur heroes, et quæ subinde ex more a proceribus instituebantur. *Prosecari* verbo sacris proprio dicebantur exta cocta. —*Dis acceptus*. Unus Regius *exceptus*, quod bene aviditatem Deorum notare putat Burmannus; nidore enim pasci Deos creditum esse.— Regius noster A *exceptus*; Regius B *acceptus*, quod præfero. *Ed.*—Tempore heroum coxæ (μηρὶ) adopertæ adipe (κνίσσῃ) adolebantur. Addebantur particulæ ex omnibus membris decisæ, quod Homerus vocat ὠμοθετεῖν. Pars reliqua in usum epularum adhibebatur; Il. A, 459 sqq. Ut hoc loco carnes, ita alibi, v. c. VII, 662, tempus dicitur *dari mensis*.—Pro *pars cætera* Leidensis et Sprotii codex *pars maxima*.—Regii codices *cætera*.

155. *Carne replent* etc. Ornate; hilariter admodum cœnam illam produxerunt.—*Discubuere*; conf. VIII, 565.—*Torreri*, scilicet assari carnes, non elixari solebant heroica ætate. —*Levant*, pellunt. Virgilius *eximere famem, sitim*; Homerus ἐξ ἔρον ἕντο πόσιος ἠδ' ἐδητύος. Apud Homerum non *discumbentes*, sed sedentes epulantur.— Oxoniensis et unus Heinsii habent *levant animumque sitimque*; alius Leidensis et Sprotii *curasque levant vinoque jocisque*.—Regii nostri *curasque sitimque*.

157. *Non illos citharæ* etc. Citharæ vocisque cantus alias perpetuus conviviorum comes; Homerus, Il. A, 603, et Od. A, 152, ubi Clark. plura collegit. Sed nunc consilium poetæ illum non admittebat. — De *tibia multifori buxi* vide ad IV, 30: Heinsius putat, eam *longam* dici, quia græcanica fuerit, quum phrygia esset incurva; III, 533. Sed nunc dixisset haud dubie *recta*. Igitur *longa*, quia habet multa foramina, quum prisca Romanorum tibia paucis foraminibus esset brevis. Hoc loco alii (at non nostri Regii), *multisoni*.

159. *Noctem sermone trahunt* dixit cum Virgilio, Æn. I, 748, poetice pro vulgari, sermonem trahunt in noctem. Sequentia ex moribus heroum atque in laudem Achillis dicta. — *Virtus*, fortitudo bellica. — *Exhausta pericula*, fortiter superata, ad finem tolerata. Gronov. et duo alii *exacta pericula*, Regii nostri *exhausta*.—*Magnus* et supra XI, 265, *in-*

Proxima præcipue domito victoria Cycno
In sermone fuit : visum mirabile cunctis,
Quod juveni corpus nullo penetrabile telo,
Invictumque ad vulnera erat, ferrumque terebat.
Hoc ipsum Æacides, hoc mirabantur Achivi;
Quum sic Nestor ait : « Vestro fuit unicus ævo
» Contemtor ferri, nulloque forabilis ictu
» Cycnus; at ipse olim patientem vulnera mille
» Corpore non læso, Perrhæbum Cænea vidi;
» Cænea Perrhæbum, qui factis inclytus, Othryn
» Incoluit : quoque id mirum magis esset in illo,
» Femina natus erat. » Monstri novitate moventur,
Quisquis adest, narretque rogant; quos inter Achilles :
« Dic age, nam cunctis eadem est audire voluntas,

gens Achilles. Ei se accommodant cæteri, et placere student, præsertim quum ejus sumtibus hoc convivium institutum esset. Itaque etiam in sqq, Achillis potissimum subinde fit mentio, ut vers. 168, 176.

164. *Domito Cycno.* Plurimi *domiti Cycni*; et mox pro *juveni*, vulgo *juvenis*; Mediceus etiam *nulli* pro *nullo*.—Regii nostri *domito Cycno... juvenis ... nullo.* — *Invictum ad vulnera*, invulnerabile. Perinde est, utrum cum vulgata *a vulnere* legas, an cum MSS quibusdam, quos Heinsius sequi maluit, *ad vulnera*; nam utraque præpositio eleganter pro *quoad* adjectivis jungitur : utriusque generis exempla habet Clavis Cic. — *Ferrum terebat* pro, ferrum repellebat, non licet dicere. Quum igitur Francof. MS *mirumque*, multi *ferebat*, Cantab. Oxon. et tres alii, *tenebat* habeant, Burmannus conjicit *mirumque tenebat Hoc ipsum Æacidem*, hoc miraculum tenebat defixum Achillem.—Regius noster A *ferrumque ferebat*; codex B *verumque ferebat Hoc ipsum Æacides.* Quæ lectio notanda et sensum paulo quidem contortum hunc habet, Achilles hoc ipsum verum esse testabatur. *Ed.*

169. *Quum sic Nestor ait.* Bene Nestorem hæc narrantem inducit, qui ipse Cænea viderat et facundia excellebat. Et vide, quomodo totus locus sequens sermonem vitæ communis æmuletur.—*Ævum* pro ætate. —*Unicus*, unus. — *Contemtor ferri*, non metuens arma ferrea, quippe *nullo forabilis ictu*, invulnerabilis, nove dictum. — *Pati*, sustinere.— *Perrhæbus* urbs Thessaliæ, cujus incolæ et ipsi *Perrhæbi* dicti sunt, vicini Lapithis; Strabo, lib. IX, p. 439. — *Othrys* sedes Lapitharum vocatur a Plinio, IV, 15; sedes Centaurorum a Virgilio, Æneid. VII, 675; etiam infra vers. 513 commemoratur.

177. *Voluntas,* cupiditas, studium. Librariis ergo debetur, quod habent

» O facunde senex, ævi prudentia nostri,
» Quis fuerit Cæneus : cur in contraria versus :
» Qua tibi militia, cujus certamine pugnæ
» Cognitus : a quo sit victus, si victus ab ullo est. »
Tum senior : « Quamvis obstet mihi tarda vetustas,
Multaque me fugiant, primis spectata sub annis ;
Plura tamen memini, nec, quæ magis hæreat illa,
Pectore res nostro est inter bellique, domique
Acta tot ; ac si quem potuit spatiosa senectus
Spectatorem operum multorum reddere, vixi
Annos bis centum : nunc tertia vivitur ætas.

novem MSS *voluptas.*—*Prudentia*, prudentissime. Abstracta ponuntur pro concretis, atque virtutes, vitia, affectiones animi, pro ipso homine ; Tibullus, IV, I, 112, *Pylia fama*, pro Nestore celeberrimo. De *facundia* Nestoris vide Homerum, Il. A, 248 sq, quo ipso loco pugnam cum Centauris memorat.—*Certamen pugnæ*, labor in pugna ; Plinius, VI, Epist. XIII, 6, *quantum nos in ipsa pugna certaminis maneat.*

182. *Tarda vetustas.* Multi *longa vetustas* ; tres *longa senectus* ; quatuor *tarda senectus.* — Regius codex A, a prima manu, *longa senectus* ; a secunda manu in margine, *longa vetustas* ; codex B *tarda vetustas*, quod præferendum puto. *Ed.*—*Vetustas*, senectus ; Tibullus, I, VIII, 50, *veteres senes* : IV, I, 111, *vetus ætas* ; Plinius, paneg. 14, *vetustior miles*, senior, ubi vide Schwarzium ; *antiquus Nestor* Heroid. I, 63 : *tarda*, quia reddit homines tardos, vel quoad corpus, vel quoad ingenium, ut hoc loco. Supra VII, 478, *tardus gravitate senili.* — *Primis sub annis*, prima ætate : *sub* sæpe pro *in* ; vide Burman. ad I, 689. Similiter *in* et *sub armis* promiscue usurpant. Ac etiam hoc loco tres MSS *armis*, ut VIII, 313, *primis etiamnum Nestor in armis*, ubi vulgo *annis.*—Locutionem *domi bellique* comprobavit Heinsius ex Cicerone, Off. II, 24, ubi *res belli et domi. Belli*, apud hostes, *domi*, in sua civitate. Alibi *domi militiæque*, *domi forisque.* Hærebat autem illa res tam firmiter propter fortitudinem virorum, qui ei interfuerant ; Homerus, dicto loco.

186. *Spatiosa*, ut XIII, 206, *spatiosum bellum.* Mox male suspicantur, excidisse post *reddere* apodosin, atque hæc inculcant, *certe Me potuit, vidi qui tot jam sæcula.* Talis enim sententia facile cogitando suppleri potest, inepteque a poeta esset addita.—*Ætas*, sæculum, eo sensu, quo hodie sumitur, sed apud veteres Romanos *sæculum* non habebat notionem tam definitam. Quum igitur Nestor a Nævio apud Gellium, IX, 7, vocatur *trisæclisenex*, eique a Tibullo, IV, I, 50, et 112, atque a Propertio, II, X, 46, tribuuntur tria *secula*, nihil illi definiunt, sed exprimere haud dubie voluerunt tres γενεὰς, quas Nestori assignat

Clara decore fuit proles Elateia Cænis,
Thessalidum virgo pulcherrima; perque propinquas,
Perque tuas urbes, tibi enim popularis, Achille,
Multorum frustra votis optata procorum.
Tentasset Peleus thalamos quoque forsitan illos;
Sed jam aut contigerant illi connubia matris,
Aut fuerant promissa, tuæ: nec Cænis in ullos
Denupsit thalamos; secretaque litora carpens
Æquorei vim passa Dei est: ita fama ferebat.
Utque novæ Veneris Neptunus gaudia cepit,
« Sint tua vota licet, dixit, secura repulsæ;

Homerus, Il. A, 247 sqq, ubi scholiastes observat, γενεὰν apud veteres fuisse triginta annorum; quem multi secuti Nestora fecerunt nonagenarium senem. Sed neque de γενεᾶς spatio quidquam decernere licet. Ovidius autem male interpretatus est *seculum*, quamquam Schirachius fatetur se in sententiam Ovidii ire; quippe non indignum Homero, immo laudabile fuerit, si intelligamus, Homerum Nestora finxisse 300 annorum senem; tales enim senes adhuc existere. Ubi tandem existunt? — *Vivitur ætas tertia*, pro; ætatem tertiam ago; *Quid agitur?* Par. *Statur*, apud Terent. Eun. II, II, 40. *Vivere ætatem*, agere, ut *vivere annos*, XV, 401, et *vivere ter senas Olympiadas* Martial. VII, 39; quæ loca laudavit Burmannus.

189. *Elatei* filiam faciunt Lucianus in Gallo, et Hyginus, fab. 14 et 242. *Atracis* filia est Antonino Liberali, cap. 17, quem Noster vers. 209 sequitur, quæ inconstantia non potest non improbari; ejusdem negligentiæ reum se fecit interdum etiam Hyginus, v. c. fab. 10, ubi Neleum Hippocoontis, et paulo post cum aliis Neptuni filium facit. Nisi ad excusandum poetam dicas, vers. 209 patronymicum *Atracides* positum pro gentilitio *Atracius*, id est Thessalus. *Atracis Hippodamia* est Heroid. XVII, 247. Similem difficultatem habuimus supra X, 162. *Cæneus* et apud Homerum et Hesiodum præ reliquis nominatur. Plures *Cænei* memorantur. Sed Elatides inprimis nobilis. Vide Heynium ad Apollodorum, I, IX, 16. Infra vers. 479 a patria *Phylleius* vocatur: Hesiodo dicitur rex.

191. *Tibi enim popularis*. Apostrophe hæc memorabiliorem facit narrationem, et jucundiorem Achilli, præsertim, quum sequatur, *Tentasset Peleus thalamos* etc. Similis apostrophe est vers. 363.—Pro *multorum frustra votis* etc. Bersman. et Menard. *multorumque fuit votis* etc. Nonnulli in quibus Florentinus, Neapolitanus, Thuanæus, Moreti, *multorumque fuit spes invidiosa procorum;* qui versus in libro IX, init. occurrit.—Regii nostri servant vulgatam.

196. *In ullos Denupsit thalamos.* Etiam Tacitus, IV Annal. 27, *de-*

ge quid voveas : » eadem hoc quoque fama ferebat.
gnum, Cæuis ait, facit hæc injuria votum,
le pati nil posse, mihi : da, femina ne sim,
nnia præstiteris. » Graviore novissima dixit
a sono, poteratque viri vox illa videri,
erat : nam jam voto Deus æquoris alti
ıerat; dederatque super, ne saucius ullis
eribus fieri, ferrove occumbere posset.
ɜre lætus abit; studiisque virilibus ævum
it Atracides, Peneiaque arva pererrat.
ıxerat Hippodamen audaci Ixione natus,

in domum ; supra VII, 856, *re thalamis ;* Livius, X, 23, *e patribus.*

Tale pati nil posse, mihi. Ple- (et nostri Regii) *Tale pati osse nihil;* non male : etenim id est, ab hoc inde tempore, h. l. convenit. Si *mihi* retine- ost *posse* interpungendum est, ɜratur ad *facit.* Lenzii frater ıgit cum sqq. *mihi da* etc. Sed anno valde adblanditur duo- od. Regii tertii et Urbinatis , *Tale pati da posse nihil, da r ne sim ;* venustam enim esse repetitionem, qua opus fuerit ta voti magnitudine. — *Dare* concedere aliquod munus, ut i.

. Ingeniose et inexspectato ce- em mutationis exprimit; conf. 85 sqq.—*Graviore*, humiliore. ızius putat, etymologicam no- interpretationem a χαινός, *no-* raditionem peperisse de trans- ıtione in novum sexum. Mi- —Pro *dixit* Cantab. (et noster ıs B) habet *duxit;* vide Hein- ad Amor. I, IV, 19.

. *Exigere ævum, ætatem* pro agere dixerunt etiam Terentius, Ci- cero, Virgilius. — *Studiis virilibus.* Sic v. c. interfuit venationi apri Ca- lydonii, VIII, 305, et expeditioni Argonautarum; Hyginus, fab. XIV, p. 34.—*Atracides.* Vide ad vers. 189. *Atrax* Thessaliæ urbs, *Peneo* vicina; Strabo, IX, p. 440.—*Arva pererrat.* Unus Heinsii *Peneaque rura frequen- tat ;* quinque *tenebat ;* unus *colebat.* —Regii nostri, ut plurimi, *Peneia- que arva pererrat.*

210. *Ixion*, rex Thessaliæ, *audax*, quia cum Junone concumbere vo- luit. Ex nube ei objecta Junonis loco nati sunt Centauri, *Nubigenæ* inde dicti. Sed antiquitas genti huic *feræ* nomen illud tribuisse videtur prop- terea, quia altissimos Thessaliæ mon- tes habitabat. Forma autem, quæ eis tribuitur, ex antiquo quodam symbolo fluxisse videtur Heynio in *Antiqu. Aufsätzen.* P. I, p. 33. Alii eam repetunt e traditione, quæ equi- tandi artem ad Centauros referebat; vide Vossium in *Mythol. Briefen,* II, p. 269. Apud Homerum feri et mon- tani homines sunt. Biformes pri- mum reperiuntur apud Pindarum Pyth. II, 85. Atque ita eos primus

Nubigenasque feros, positis ex ordine mensis,
Arboribus tecto discumbere jusserat antro.
Hæmonii proceres aderant; aderamus et ipsi;
Festaque confusa resonabat regia turba.
Ecce canunt hymenæon, et ignibus atria fumant;
Cinctaque adest virgo matrum, nuruumque caterva,
Præsignis facie: felicem diximus illa

pinxit Zeuxis. Pugnas vero amabat illa gens, quibus exprimendis sibi placebant artifices veteres. Sed inprimis memorabilis pugna eorum cum Lapithis, alio Thessaliæ populo, Centauris vicino, cujus mentio fit jam ab Homero, Od. Φ, 295; secundum quem Eurytion Centaurus ad Lapithas profectus in ædibus Pirithoi, postquam animus vino incaluerat, male se gerit, eamque ob causam non modo e domo ejicitur, sed auribus quoque nasoque privatur, unde magna contentio inter Centauros et Lapithas. Cæteri addunt in nuptiis Pirithoi hoc factum, ubi Centauri et sponsam et alias feminas rapuerint. Conf. Plutarchus, Thes. cap. 30; Hyginus, fabul. 33; Schol. Homeri, dicto loco; Valerius Fl. I, 142 sqq; Servius ad Virgilium, Æn. VII, 304; Luctat. ad Statium Theb. II, 563. Expressa res erat in scuto Herculis (vide Hesiodum, vers. 178 sqq), et in lacunari templi Jovis Olympii. In medio erat Pirithous, juxta eum Eurytion Pirithoi sponsam rapiens, quam defendebat Cæneus; altera ex parte Theseus securi Centauros obtruncans. Centaurorum alii pueros rapiebant, alii virgines; vide Pausaniam Eliac. prior. pag. 400. Memorantur a veteribus et alii hujus pugnæ auctores, ab Æliano Var. Hist. II, 2, Melisandri Milesii carmen epicum; a Plutarcho Hermodorus: et credibile est, Ovid. secutum esse carmen græcum: memorat 53 Centauros, 18 Lapithas, quorum nomina non ipse finxit: plura etiam apud Græcos leguntur.: pro Lapithis pugnabant Theseus, Peleus, Nestor, quorum virtus in luce posita est.—*Hippodamen* Plutarchus Deidamiam vocat. Scribitur etiam *Hippodamia*: fuit filia Adrasti.

212. *Discumbere jusserat antro.* Proceribus convivium in *atriis* ex more, Centauris in *antro*, regiæ proximo, cujus introitus *arboribus tectus* (vide ad XI, 605), paratum. Lenzius observat, ipsum *antrum* dici *regiam*, in eoque fuisse et *atrium*, et vs. 246, *ædem*. Immo *antrum* hic diserte distingui videtur a *regia*.

213. *Hæmonii proceres*, duces Lapitharum.—*Et ipsi*; evocatum se ab illis Pylo, ipse Nestor narrat apud Hom. Il. A, 270. Etiam Thesea invitatum esse ad illas nuptias, e Plutarchi d. l. apparet.—*Festa*; vide ad III, 111.—*Confusa turba*, strepitu promiscuo hominum loquentium, incedentium etc.—*Resonabat regia.* Mediceus *resonabant atria*, ut V, 2.—Regii *resonabat regia*.

216. *Matrum, nuruumque*; quidam (et noster Regius B a prima manu) *matrumque, virumque*. Mediceus et unus Heinsii etiam *corona* pro *caterva*.—*Præsignis* insignis; VII, 150;

Conjuge Pirithoum : quod pæne fefellimus omen.
Nam tibi, sævorum sævissime Centaurorum
Euryte, quam vino pectus, tam virgine visa
Ardet; et ebrietas geminata libidine regnat.
Protinus eversæ turbant convivia mensæ;
Raptaturque comis per vim nova nupta prehensis.
Eurytus Hippodamen; alii, quam quisque probabant,
Aut poterant, rapiunt; captæque erat urbis imago.
Femineo clamore sonat domus : ocius omnes
Surgimus; et primus, « Quæ te vecordia, Theseus,
» Euryte, pulsat, ait; qui, me vivente, lacessas
» Pirithoum, violesque duos ignarus in uno ? »
Neve ea magnanimus frustra memoraverit heros,
Submovet instantes, raptamque furentibus aufert.
Ille nihil contra : neque enim defendere verbis

unus Mediceus habet *præsignis faciem*, quod valde placet Heinsio.—Nostris Regiis *facie*.—*Felicem conjuge*; vide ad XI, 266.—*Quod pæne* etc. Burmannus mallet *quam pæne fefellimus omen* ! et includere parenthesi. —Sed nullam auctoritatem ministrat Burmannus; quare nihil mutandum puto. *Ed*.—*Fefellimus omen*, falsum diximus omen. — *Sævorum sævissime*. Mediceus *semivirum sævissime*. Heinsius putabat aliquando *semihominum*, ut versu 536.—Regii codices *sævorum*.

220. *Quam... tam*. Plurimi *tam... tam*, et sæpe transponi has particulas monet Burmannus. — Regii nostri *quam... tam*.—Solet fere hæc pugna commemorari a poetis, quum a vinolentiæ turpitudine deterrent. Sic Homerus d. l. Virgilius, Georg. II, 455; Horatius, I, Od. XVIII, 7. Sed apud Virgilium, Æneid. VII, 304, Mars indigne ferens, se in Pirithoi sacris solum esse præteritum, furorem Lapithis immisit, quo illi cum Centauris congressi sunt. *Eurytus* ab Homero, Pausania, Diog. Laertio, VI, 59, atque etiam a Nostro Art. Amat. I, 593, *Eurytion* vocatur. Et Homero ἀγακλυτὸς dicitur.—*Regnat*, impellit eum ad facinora, ut I, 241.

224. *Probabant* habent multi veteres; vulgo *probabat*; Arondel. et unus Patav. *probarat*; inde Heinsius emendavit *probarant*. — Codex Regius A *probabant*; codex B *probabat* : Heinsii emendatio, quam receperat *Gierig*, auctoritate caret, quare lection. priscam revocavimus : immo in *probarant* et *poterant* exitus idem sonorum non placebat. *Ed*.

228. *Pulsat*, impellit, invadit.—De *Pirithoi* et *Thesei* insigni amicitia vide ad VIII, 303, et Plutarchum, Thes. c. 30. — *Duos in uno*; vide ad XI, 388.

230. *Magnanimus* non est gene-

Talia facta potest; sed vindicis ora protervis
Insequitur manibus, generosaque pectora pulsat.
Forte fuit juxta, signis exstantibus asper,
Antiquus crater; quem vastum vastior ipse
Sustulit Ægides, adversaque misit in ora.
Sanguinis ille globos pariter, cerebrumque, merumque,
Vulnere et ore vomens, madida resupinus arena,
Calcitrat: ardescunt germani cæde bimembres,
Certatimque omnes uno ore, Arma, arma, loquuntur.

roso animo præditus, sed fortis, ut μεγάθυμος.

233. *Vindicis;* Thesei, qui novam nuptam Centaurorum injuria liberat. *Ed.* — *Insequitur ora*, continuo involat manibus in os.

235. *Forte fuit juxta* etc. Cratere instar teli etiam Perseus, V, 82, utitur; apud Virgilium, Georg. d. l. Hylæus Centaurus *magno cratere* Lapithis minatur. — *Signis exstantibus asper*, figuris eminentibus cælatus, anaglyptum: namque *asperum* et τραχὺ opp. *levi;* Claudianus, VIII, 585, *asperat Indus Velamenta lapis;* et Noster jam in lib. V, 80, *altis Exstantem signis, multæque in pondere massæ Ingentem manibus tollit cratera duobus.* Præiverat his Virgilius, IX, 264, ubi *aspera signis pocula*, ubi etiam *antiquus crater*, antiquo opere, adeoque majoris pretii. Frequenter ab antiquitate hujusmodi opera laudantur; infra XIII, 700, *antiquo signis fulgentibus ære.* — *Quem vastum vastior;* vide ad III, 60. — Pro *ipse* (quod habent nostri Regii) vulgo legitur *ipso*.

239. *Madida resupinus arena:* Multi (et noster Regius B) *madidam arenam*, quod improbat Burmannus, quia *calcitrare* vix ponitur cum accusativo. — *Calcitrare* de trementibus morientium membris, ut *trepidare* V, 40; VI, 560; et *pulsare* IV, 133. — De hoc verbo vide quæ diximus ad V, 40. *Ed.* — Eidem Burmanno displicet *germana* quod Heinsius ex uno suo pro *germani* recepit, quia dubium sensum facit; posset enim etiam significare veram cædem. Quum in uno Thuani sit *germania*, id separandum judicat, *germani a*, propter, *cæde*, idque præfert vulgatæ. *Germana cæde* pro, cæde germani, ut paulo ante versu 111, *populari cæde*, cæde popularium. — *Bimembres*, bicorpores, alibi *biformes* et *gemini*, Centauri ob duplicem equi et hominis formam. — *Loquuntur* de magno et promiscuo clamore. Exspectasses forte, *fremunt*. — Hæc igitur cædes signum veluti fuit pugnæ, quam Noster ad imitationem Homeri et Virgilii, v. c. Æneid. XII, 277 sqq, copiosissime persequitur, quamquam jam supra V, fab. 1, tumultuariam pugnam descripserat. Tanto magis admirari licet ingenii Ovidiani copias, quæ multis illis cædibus describendis nondum exhaustæ erant. Etenim hic quoque aliis quisque armis, aliis vulneribus moritur. Vide ad V, 1. Nonnulli eorum, qui hic commemorantur, interfuerunt venationi

Vina dabant animos : et prima pocula pugna
Missa volant, fragilesque cadi, curvique lebetes;
Res epulis quondam, tum bello et cædibus aptæ.
Primus Ophionides Amycus penetralia donis
Haud timuit spoliare suis; et primus ab æde
Lampadibus densum rapuit funale coruscis :
Elatumque alte, veluti qui candida tauri
Rumpere sacrifica molitur colla securi,
Illisit fronti Lapithæ Celadontis; et ossa
Non agnoscendo confusa reliquit in ore.
Exsiluere oculi; disjectisque ossibus oris,
Acta retro naris, medioque infixa palato est.
Hunc pede convulso mensæ Pellæus acernæ

apri Calydonii. — *Pocula missa volant* etc. Valerius Flaccus, I, 142, *Crateres mensæque volant, aræque deorum, Poculaque insignis veterum labor.*—*Curvique lebetes.* Unus Mediceus *turbique*, unde Heinsius conjicit *curtique*, vel *fulvique*, ut Heroid. III, 31, *fulvos operoso ex ære lebetas.*—Reg. cod. *curvi*que lebetes.

244. *Quondam*, antea. *Aptæ*, inservientes. Horat. I, Od. XXVII, 1: *Natis in usum lætitiæ scyphis Pugnare Thracum est.*

245. *Penetralia donis Haud timuit*, haud reveritus est, religioni sibi non duxit sacrilegium committere. *Dona* proprie, quæ in templis et penetralibus Diis suspenduntur et consecrantur. — *Ab æde*, a penetralibus Diis Penatibus consecratis.—*Funale* nunc non est, ut alibi, funis cera oblitus, scil. fax, sed, ut Farnabius monuit, lychnuchus de laqueari dependens et lampadibus stellatus; Isidorus, XX, 10: « Funalia sunt » candelabra, exstantes stimulos ha- » bentia, quibus funiculi cera vel » hujusmodi alimento luminis obliti » figebantur. »

249. *Moliri* de omni quidem conatu, sed h. l. forte cum respectu virium intensarum, magno molimine rumpere tentat, ut est vers. 357. Brevius Virgilius, Georg. IV, 331, *in vites molire bipennem.* Mox recte *confusa*, quia os jam non agnoscendum. Sic V, 58, *fractis confudit in ossibus ora.* Hoc loco plenius, *confusa reliquit*; Seneca, Troad. vs. 1112, *Ora et illas nobiles patris notas Confudit imam pondus ad terram datum*, de Astyanacte. Hic putabat Heins. *contusa*; et pro *Non agnoscendo* permulti *non cognoscendo*; male, nam *agnoscere* est, videre aliquem esse eumdem, quem antea cognovimus: sæpissime tamen et fere semper hæc duo confusa. — Regii nostri ambo *agnoscendo* et *confusa*.

252. *Exsiluere oculi*; vulgo *exsiliere*.—Regius codex A *exiliere*; codex B *exiluere*.—*Infixa palato*; Gronov. prim. *affixa*; vulgo *est fixa*.

254. *Hunc* quorsum referendum

Stravit humi Belates, disjecto in pectora mento;
Cumque atro mistos sputantem sanguine dentes,
Vulnere tartareas geminato mittit ad umbras.
Proximus ut steterat, spectans altaria vultu
Fumida terribili : « Cur non, ait, utimur istis? »
Cumque suis Gryneus immanem sustulit aram
Ignibus, et medium Lapitharum jecit in agmen,
Depressitque duos Brotean et Orion : Orio
Mater erat Mycale, quam deduxisse canendo
Sæpe reluctanti constabat cornua lunæ.
« Non impune feres, teli modo copia detur, »

sit dubitat Glareanus; sine causa : *hunc*. Amycum. — *Pellæus Belates.* Pella nomen est multarum urbium; nam et in Macedonia, et in Thessalia, et in Achaia, et in Syria est Pella, unde *Pellæus* derivatur. *Ed.* —*Disjecto* plus est quam vulgatum *dejecto*, quod revocavit Mitscherl. et quod habent Regii nostri; illud enim indicat, laceratum mentum et in pectus dejectum. Sic et vers. 566. — *Cumque atro* etc. e Virgilio, V, 469 : *crassumque cruorem Ore ejectantem, mistosque in sanguine dentes.* Hoc loco *Sputantem* de suo dedit Heinsius : MSS omnes habent *spumantem* : sed et *sputare*. *desputare*, *expuere* usitata in hac re, vide Heinsium ad h. l. et Broukusium ad Propert. IV, v, 67. Etiam Homerus, Il. Ψ, 696, αἷμα παχὺ πτύοντα. — Regii nostri codices habent *spumantem* ut omnes alii, fatentibus Heinsio et Burmanno; alteram lectionem ab emendatione recentiorum profectam putandum est. *Ed.*—*Geminato* ictu opus erat, quia ille non nisi pede mensæ utebatur.

258. *Ut*, utpote qui. Causam reddit, cur Gryneus ara usus : sit causa autem solet a Latinis facto præponi. Congrua talia arma immanibus pugnantium corporibus, de quibus ad versum 352.

262. *Depressit*; vulgo (et in Regiis nostris) *oppressit*; sed *depressit*, ut alibi *dejecit*, ad terram dedit interfectos. — Mox Heinsius malit *Oreon* cum uno suorum.—*Orio mater erat Mycale*; Regii nostri *Orio natus erat Mycale*, quam lectionem omnes editores tacent. *Ed.* — *Quam deduxisse* etc. quam constabat magam, veneficam fuisse : vide ad IV, 332 : Seneca, Herc. Œt. 525, sine dubio ex hoc nostro loco : *Hoc docta Mycale Thessalas docuit nurus, Unam inter omnes Luna quam sequitur magam.* — *Canendo*, incantando, ut *carmina*, incantationes. — *Cornua lunæ* mera periphrasis lunæ, quæ non nisi tempore defectus deduci credebatur, quo tempore non corniculata apparet, sed plena. Magis igitur mihi placet vulgata lectio, *reluctantis*; nam Heinsius qui alteram trium MSS auctoritate recepit, dativum in hac forma loquendi nimis affectasse videtur. Lenzius præfert *reluctatæ*, quod ha-

Dixerat Exadius; telique habet instar, in alta
Quæ fuerant pinu, votivi cornua cervi.
Figitur huic duplici Gryneus in lumina ramo,
Eruiturque oculos; quorum pars cornibus hæret;
Pars fluit in barbam, concretaque sanguine pendet.
Ecce rapit mediis flagrantem Rhœtus ab aris
Prunitium torrem, dextraque a parte Charaxi
Tempora perfringit fulvo protecta capillo.
Correpti rapida, veluti seges arida, flamma
Arserunt crines; et vulnere sanguis inustus
Terribilem stridore sonum dedit; ut dare ferrum
Igne rubens plerumque solet, quod forcipe curva

bent plurimi (et nostri Regii). Pro *reluctari*, verbum proprium in hac re est *laborare*.

266. *Exadius* Lapitha etiam apud Homerum et Hesiodum occurrit. — Formulam *instar habere* amat Noster cum aliis, quum quis aliqua re loco alterius, quæ proprie in eum usum destinata, utitur. Sic in Art. Amat. III, 490, *Ætnæi fulminis instar habet.*—*Votivi*, ex voto oblati. Ex venatibus partes solebant Diis consecrari et suspendi vel ex arboribus, vel tholo et ad fastigia; Virgilius, Æn. IX, 407 sq.—*Huic*, ab hoc, Heinsius dedit ex MSS. —*In lumina*; septem *per lumina*; totidem *sua lumina*; si quid mutandum sit, Heinsius legat *duo lumina.*—Regius codex A hunc versum legit ita: *Figitur hinc duplici Gryneus lumina ramo*; codex B, *Figitur hinc... in lumina ramo.* — *Ramus*, cornu ramosum.

272. Tali *torre* et Perseus, V, 57, utitur. Sed *ara* nunc jam conjecta erat inter Lapithas vers. 260.—*Prunitium* a *pruno* nove dictum. Vulgo (et in nostris Regiis) *primitium.*— *Dextra a parte tempora* nihil aliud, nisi dextra tempora, quemadmodum *a læva parte lacerti* IX, 82.—*Perfringit*; unus Leidensis *perstrinxit*, sed *perstringere* est leviter tantum sauciare; plurimi *perfregit.*— Hoc postremum habet noster Regius A; codex B *perfringit.* — *Protecta*, pro simplici *tecta*, ut et mox vers. 351 et 431.

274. *Correpti rapida*; Palatinus *correpti valida.* — Regii nostri codices *rapida*, quod est proprium de re levi incandescente; *valida* melius de corpore crasso et duro diceretur: confer VII, 326 et quæ ad II, 123 dixerit *Gierig.* Ed.—*Vulnere inustus*, ustus in vulnere.—*Stridore sonum* e copia poet. pro, stridorem. —*Ut dare ferrum* etc. Eadem similitudo IX, 170; sed hoc loco cum aliquo additamento, et melius adhibita. Brevius Virgilius, Æn. XII, 300; quo loco et ipso aliquis ambustum torrem ab ara rapit, et alteri *Occupat os flammis: olli ingens barba reluxit, Nidoremque ambusta dedit.* — *Forcipe curva*; unus Mediceus *forcipe adunca.* — Regii codices *for-*

Quum faber eduxit, lacubus demittit : at illud
Stridet, et in trepida submersum sibilat unda.
Saucius hirsutis avidum de crinibus ignem
Excutit; inque humeros limen tellure revulsum
Tollit, onus plaustri : quod ne permittat in hostem,
Ipsa facit gravitas : socium quoque saxea moles
Oppressit spatio stantem propiore Cometen;
Gaudia nec retinet Rhœtus : « Sic comprecor, inquit,
» Cætera sit fortis castrorum turba tuorum! »
Semicremoque novat repetitum stipite vulnus;
Terque quaterque gravi juncturas verticis ictu
Rupit; et in liquido sederunt ossa cerebro.
Victor ad Evagrum Corythumque Dryantaque transit.
E quibus ut prima tectus lanugine malas
Procubuit Corythus : « Puero quæ gloria fuso
» Parta tibi est? » Evagros ait : nec dicere Rhœtus

cipe curva.—*In trepida sibilat unda;* vulgo *tepida.* — Regius codex A *tepida;* in codice autem B profecto erat scriptum *in trepida;* sed litera *r* fuit erasa a manu posteriori et literæ *t* et *e* lineola conjunctæ, ut legeretur *in tepida;* unde *in trepida* esse veram lectionem puto. *Ed.* — *Trepida*, quæ imitatur motum bullientis aquæ, quia quod bullit *trepidare* videtur. Nota etiam, *sibilare* hic de stridore ferri candentis usurpatum.

281. *Excutere* nunc pulsando exstinguere, quum alibi sit quatiendo, verberando expellere atque abjicere.—*Limen*, mox *saxea moles.* Hoc loco duo pro *limen* habent *saxum;* unus *lignum.* — Regii nostri *limen*, quod verum esse probant sqq *saxea moles.* Ed. — *Permittat*, immittat.

285. *Gaudia nec retinet* etc. Heinsius suadet aut *retinens*, aut *sicque o precor;* quidam *sic sic precor*, ut apud Virgil. Æn. II, 660; sed *comprecor* hoc loco est pro simplici *precor* ut X, 640. — *Rhœtum* etiam Virgilius habet. — *Sic*, in perniciem sociorum. Et optantis et imprecantis *sic* est.—*Castra*, partes, etiam vers. 577, et V, 128.—*Semicremus* novum vocab. pro *semicrematus*, dimidia ex parte crematus.— *Novat repetitum* e copia poetica, repetit vulnus : *novare* aut *renovare* vulnus, proprie vulnus jam sanatum rescindere, hoc loco novum addere, repetere.—*Sederunt ossa;* vide ad III, 88.

290. *Dryas* etiam ab Homero nominatur, ubi est ποιμὴν λαῶν, et ab Hesiodo : fortiter pugnat et hic. — *Puero* etc. confer V, 65 sq. — *Parta tibi est;* unus Basileensis *pacta tibi est*, quod non improbat Burmannus ad XIII, 348, ubi comparat *desponsatam laudem* Ciceronis.—Regii co-

Plura sinit; rutilasque ferox in aperta loquentis
Condidit ora viri, perque os in pectora, flammas.
Te quoque, sæve Drya, circum caput igne rotato
Insequitur; sed non in te quoque constitit idem
Exitus : adsiduæ successu cædis ovantem,
Qua juncta est humero cervix, sude figis obusta.
Ingemuit, duroque sudem vix osse revellit
Rhœtus, et ipse suo madefactus sanguine fugit.
Fugit et Orneus, Lycabasque, et saucius armo
Dexteriore Medon, et cum Pisenore Thaumas;
Quique pedum nuper certamine vicerat omnes
Mermeros, accepto nunc vulnere tardius ibat;
Et Pholus, et Menaleus, et Abas prædator aprorum,
Quique suis frustra bellum dissuaserat augur
Astylos : ille etiam metuenti vulnera Nesso,
« Ne fuge; ad Herculeos, inquit, servaberis arcus. »
At non Eurynomus, Lycidasque, et Areos, et Imbreus
Effugere necem; quos omnes dextra Dryantis

dices *parta tibi est;* quod sincerius puto. *Ed.*

294. *Loquentis;* unus Mediceus *loquenti.* Tunc etiam legendum foret *viro.* Ingenio rursus abutitur : melius Virgilius, IX, 442, qui Nostro præivit, *ensem fulmineum Rutuli clamantis in ore Condidit adverso.*

297. *Constitit*, idem aut similis fuit ei, qui antea fuerat. Art. Amat. I, 120, *Constitit in nulla, qui fuit ante, color.*—*Obusta;* plurimi *abusta;* duo *adusta;* duo *acuta.*—Regii nostri bene servant *obusta;* Virgilius, Æn. XI, 894, *Stipitibus ferrum, sudibusque imitantur obustis.* Ed.

300. *Sudem osse revellit;* quidam *revulsit :* quæ varietas fere ubique occurrit : sed vide Heinsium ad Heroid. VI, 104.—In Regiis nostris est *revellit.*— Apud Virgilium, Georg. II, 455, *Rhœtus* et *Pholus* interficiuntur ; apud Nostrum fugiunt; nam talia variare solent poetæ. — *Armus* tribuitur Centauro, quia ex parte equus est. — *Prædator*, id est, venator; sic *prædari*, pro venari, usurpatur : vide ad III, 225.

308. *Astylos* ab Hesiodo, Scut. vers. 185, vocatur Ἄσϐολος. Quia *augur*, propterea vaticinia quædam ejus commemoranda duxit poeta. Etiam V, 146, *augur* quidam pugnæ interest. — *Metuenti;* Basileensis et Thysii codex *fugienti*, ut sit repetitio ex more Ovidiano. — Regii nostri, ut plurimi, habent *metuenti.* — *Servaberis arcus;* multi (et Regius codex A) *ictus.*—De *Nesso* et *Herculeo arcu* vide IX, 101–133.

Perculit adversos : adversum tu quoque, quamvis
Terga fugæ dederis, vulnus, Crenæe, tulisti :
Nam grave, respiciens, inter duo lumina ferrum,
Qua naris fronti committitur, accipis, imæ.
In tanto fremitu ductis sine fine jacebat
Sopitus vinis, et inexperrectus Aphidas;
Languentique manu carchesia mixta tenebat,
Fusus in Ossææ villosis pellibus ursæ.
Quem procul ut vidit frustra nulla arma moventem,
Inserit amento digitos : « Miscendaque, dixit,
» Cum Styge vina bibas, » Phorbas : nec plura moratus

312. *Adversum tu quoque* etc. Hæc sententia forte fluxit e loco Cæsaris, qui militis cujusdam vulnera *adversa* ostentantis jactantiam hoc consilio minuit, *Nunquam fugiens respexeris*; Quintil. Inst. VI, III, 75. — *Committi* elegantius, quam conjungi, etiam vers. 478; et IV, 369 et 576. — *Accipis*, ut *recipis*, vulneraris ferro.

316. *Ductis sine fine... vinis* recte Heins. correxit, quum antea ederetur nullo sensu, *cunctis venis*. Basileensis primus *cunctis curis*. *Ducere*, haurire, bibere; sed vide Heinsium: *sine fine*, immodice.—Ingeniosa quidem est, sed nulla auctoritate fulta, ut mos est, Heinsii emendatio. In Regiis nostris ambobus legitur *cunctis sine fine jacebat sopitus venis*; quod sensu egere ait *Gierig*, ego vero haud contemnendum puto: sanguis enim inter somnum per venas lentior fluit, unde liceat poetis dicere de homine ebrio et dormiente : *sopitus est totis venis*. Ed.—*Languere* dicuntur ebrii; Cicero, Catil. II, 5, *vino languidi, confecti cibo*. — De *carchesiis* vide ad VII, 247.— *Mixta*, in quibus vinum aqua temperatum. Hoc quoque ad mores ebrii pertinet, quod poculum manu adhuc tenebat. — *Osssææ ursæ*; Oxon. et quinque alii *obscenæ*, quod, monente Heinsio, defendi posset ex Lucano, VII, 828, ubi *ursæ obscenæ*, et Statio, Theb. VI, 865, ubi *turpes ursæ*: similiter apud Nostrum, III Trist. v. 35. Idem Heinsius laudat tamen *Ossæas lynces* Statii, Ach. V, 120, et *Samnitem ursam* Silii, IV, 560. *Ossæa*, qualis in *Ossa* monte commoratur. — Regii nostri *Osseæ*, quod servandum. *Ed*.

320. *Frustra nulla arma moventem*. Non profuit ei, quod nulla arma movebat; V, 91, *Expertem frustra belli, et neutra arma secutum* : hoc loco quidam *sequentem*, pro *moventem*; et Heinsius mutabat *neutra arma sequentem*.—Regii nostri codices *moventem*; nec felix Heinsii emendatio est, quum *sequi* arma dicatur proprie de bellatoribus, ducis, quem ipsi ultro selegerint, partes ineuntibus; in hoc autem certamine Lapitha quisque cum Lapithis, et Centaurus cum Centauris, pugnare et *movere arma* debebat. *Ed*. — *Miscendaque* etc. Sarcasmus in Aphidam,

In juvenem torsit jaculum; ferrataque collo
Fraxinus, ut casu jacuit resupinus, adacta est:
Mors caruit sensu; plenoque e gutture fluxit
Inque toros, inque ipsa niger carchesia sanguis.
Vidi ego Petræum, conantem evellere terra
Glandiferam quercum: quam dum complexibus ambit,
Et quatit huc illuc, labefactaque robora jactat,
Lancea Pirithoi, costis immissa Petræi,
Pectora cum duro luctantia robore fixit.
Pirithoi virtute Lycum cecidisse ferebant,
Pirithoi cecidisse Chromin: sed uterque minorem
Victori titulum, quam Dictys, Helopsque dederunt.
Fixus Helops jaculo, quod pervia tempora fecit,
Et missum a dextra lævam penetravit in aurem.

ut vers. 285 in Cometen, et V, 115, in Iapetiden.—*Jaculum* hoc videtur lancea fuisse, quia *amento* armatum; Isidorus, XVIII, 7: « Lancea est hasta amentum habens in » medio: dicta autem lancea, quia » æqua lance, ut est æquali amento » ponderata vibratur. » — *Ut casu jacuit*, vino enim sopitus non se composuerat in pelle sua.

325. *Mors caruit sensu*; mortuus est sine sensu doloris et mortis. — *Pleno*, quia multum sanguinis inde profluebat.—Per *toros* non arbitror lectum intelligi, ursæ pellem, in qua ille cubabat, sed pulpas pectoris.

327. *Petræus* etiam est in iis, quos Hesiodus memorat. Ibi μέγας.—*Evellere terra*; plurimi *tollere*. Regius noster A male habet *evertere*. De conatu evellendi quercum vide ad vs. 352.—*Complexibus ambit*, amplectitur, ut II, 433, *impedit amplexu*.—*Robora jactat*; plurimi (et Regius noster A) *robora pulsat*; Junianus et duo Moreti *versat*. *Jactare* vehementiorem hic motum indicat, quam *agitare*, quod, tamquam proprium, plerumque vere de ventis et hominibus arborem concutientibus usurpatur; I, 303; VII, 586; Horat. I, Od. IX, 12. — *Pirithoi*.... *Petræi*, Heinsius conjicit *Petræis*, ut apud Virgilium *cineri Sichæo*, et *Lenæus honor*, quia ingratus concursus ille *Pirithoi* et *Petræi*. Regii nostri codices *Petræi*; non infelix tamen conjectura Heinsii. *Ed.* — Verba *cum duro robore* conjunge cum *fixit*; infra vers. 387: *adfixa est cum fronte manus*; V, 125, *dextra fixa est et ligno cohæsit*. Hoc loco Francof. dat *duro fixit luctantia ligno*, quod placet Burmanno, quia præcessit *robora*.— In Regiis nostris est vulgata lectio, quam servandam puto, ut Ovid. ab ingenio non alienam. *Ed.*

334. *Minorem titulum* (scil. gloriam) dederunt haud dubie, quia ignobiles.—*A dextra* conjunge cum *penetravit*, non cum *missum*, ne ita capias ut II, 311.

Dictys, ab ancipiti delapsus acumine montis,
Dum fugit instantem trepidans Ixione natum,
Decidit in præceps, et pondere corporis ornum
Ingentem fregit, suaque induit ilia fractæ.
Ultor adest Aphareus, saxumque e monte revulsum
Mittere conatur : conantem stipite querno
Occupat, Ægides, cubitique ingentia frangit
Ossa : nec ulterius dare corpus inutile leto
Aut vacat, aut curat : tergoque Bianoris alti
Insilit, haud solito quemquam portare, nisi ipsum;
Opposuitque genu costis ; prensamque sinistra
Cæsariem retinens, vultum, minitantiaque ora
Robore nodoso, præduraque tempora, fregit.
Robore Nedymnum, jaculatoremque Lycotan
Sternit, et immissa protectum pectora barba
Hippason, et summis exstantem Riphea silvis,

337. *Ancipiti* Heinsius ad Claudianum, VIII, 293, explicat, præcipiti; sed præstat haud dubie lectio multorum MSS *ancipitis*, id est, bicipitis.— *Induit ilia fractæ*, dum fractæ partes penetrant in ilia orni fractæ. Gronov. ad Senecam, Herc. Fur. 1312, male legit *fracta*.

341. *E monte revulsum*; multi *a monte*; unus *qui monte*.—Regii nostri *e monte*. — *Conantem* e tribus dedit Heinsius pro vulgato *mittentem*; quatuor, non male, habent *nitentem*; sed vide Heinsium.—Regii cod. *mittentem*. — *Occupat*, prævertit, ut Fast. I, 575, *Occupat Alcides*.—*Cubiti*; Florentinus et Mediceus unus *cubito*, ut vers. 294 *loquenti*.—Regii nostri *cubiti*; in loco citato secundus casus servatus est ab omnibus editoribus. *Ed.* — *Inutile*, scil. armis, quod interdum additur. Heroid. I, 105, *qui sit inutilis armis*; Fast. III, 173, *Deus utilis armis*.

345. *Tergoque* ... *ipsum*. Frigidus jocus. Pars equina Centauri portabat humanam. — *Alti*; multi *alto*; Regii codices *alti*.—*Solito*; tres *soliti*. Regii codices *solito*.—*Opposuit*, pressit genubus costas, quo fortius hæreret. — *Retinens*, retractam tenens. — *Minitantiaque ora*; variant MSS; Genevens. *comitantiaque ora*, unde Heins. dedit *comantia*; decem *minantia*, quod placet Burmanno; unus *nutantia*. Regii codices *minitantia*. *Minantia* aut *minacia ora* tribui solent fortibus bellatoribus; vide Horat. II, Od. VII, 11.—*Immissa*; novem *immensa*. — Regii nostri *immissa*.

352. *Summis exstantem Riphea silvis*. Heroes et Centauri tam immani robore, quam insigni magnitudine excellebant. Roboris signa habes vs. 281, 327, 341, 432. Nunc magnitu-

Tereaque, Hæmoniis qui prensos montibus ursos
Ferre domum vivos, indignantesque solebat.
Haud tulit utentem pugnæ successibus ultra
Thesea Demoleon; solidoque revellere dumo
Annosam pinum magno molimine tentat:
Quod quia non potuit, præfractam misit in hostem;
Sed procul a telo Theseus veniente recessit
Pallados admonitu, credi sic ipse volebat;
Non tamen arbor iners cecidit: nam Crantoris alti
Abscidit jugulo pectusque, humerumque sinistrum.
Armiger ille tui fuerat genitoris, Achille,
Quem Dolopum rector, bello superatus, Amyntor

dinem, quam jam vs. 343, *ingentia ossa* declaraverant, definit. Homerus, unde pendent cæteri, priscæ ætatis homines comparat vel cum montibus, ut Polyphemum, Od. I, 191, vel cum arboribus, Il. E, 560. Ornate hujusmodi monstra describuntur a Virgilio, Æn. IX, 675 sqq. Hinc *altus Bianor* intelligendus vs. 345, et *immania membra* vs. 501. — *Prehendi* dicuntur feræ vagantes, quum vivæ capiuntur. Sic *prensi boves* Virgil. Georg. I, 285.

356. *Dumo* dictum volunt pro *dumeto*. Sed quid est *solidum dumetum?* et num recte dicitur pinum *revellere dumeto?* MSS valde variant. Forte præstat cum Cantabrigiensi, Gronoviano et Regio tertio legere, *solidaque revellere terra*, aut cum uno, *fundoque evellere ab imo*. Radicitus eam evellere tentabat; quod quia non potuit, præfractam misit. Sic vs. 327, *evellere terra Glandiferam quercum*. Mitscherl. dedit, *revellere trunco*. Florentinus S. Marci *divellere dumo*. — Regius noster codex A *revellere dumo;* in codice B syllaba prima est erasa.

358. *Quod quia;* multi *quam quia*. — In Regiis codd. est *quod quia*. — *Venire* et *ire* de volatu telorum. — *Pallados admonitu;* heroum præstantissimis numen aliquod adesse solebat in præliis, quod aut tela missa ab iis repellebat, ut V, 46, Pallas a Perseo; aut ipsos admonebat. Et *Palladi* tribuebantur, quæ quis prudenter fecerat. — *Iners*, *sine* fructu. — *Abscidit* ex *abs* et *cædo*, non ex *abs* et *scindo* compositum esse monemus, ne claudicet syllaba. *Ed.* — *Jugulo;* multi *jugulum*. — Regii nostri, ut plurimi, *jaculo* habent; malim *jaculum*, ut sit non telum seu arbor, sed ictus; parum placent *jugulo* et *jaculo*. Ed.

363. *Achille;* quidam (et Regii codices) *Achilles;* sed præferunt poetæ alteram formam. De hac apostropha vide ad vers. 191. — *Armiger* regius etiam V, 148, prælio interest. — Ab *Amyntore*, Phœnicis patre, VIII, 367, Achilles educatus; Il. I, 447. — *Dolopum*. Etiam Phœnix apud Homerum, vers. 480, *incolebam extremam Phthiæ oram*, Δολόπεσσιν ἀνάσσων. Sæpe accensebantur

Æacidæ dederat pacis pignusque fidemque.
Hunc procul ut fœdo disjectum vulnere Peleus
Vidit, « At inferias, juvenum gratissime Crantor,
» Accipe, » ait : validoque in Demoleonta lacerto
Fraxineam misit, mentis quoque viribus, hastam;
Quæ laterum cratem perrumpit, et ossibus hærens
Intremuit : trahit ille manu sine cuspide lignum :
Id quoque vix sequitur : cuspis pulmone retenta est.
Ipse dolor vires animo dabat : æger in hostem
Erigitur, pedibusque virum proculcat equinis.
Excipit ille ictus galea clypeoque sonantes,

Myrmidonibus, quibus Achilles imperabat; Virgilius, Æn. II, 7 et 29; alii de Amyntoris regno aliter; Strabo, IX, p. 670.—Rarior significatio, qua hic *fides* occurrit, decepit non modo librarios, sed ipsum etiam Heinsium, ut præferrent *fideque*, id est ; *fideique*. Sed recte observavit Burmannus *fidem* nunc esse signum et documentum, quod spondeat quasi de futuro, et certam spem faciat, ut apud Florum, I, 2 : « Ancilia atque Palladium, secreta quædam imperii pignora, Janumque » geminum, fidem pacis ac belli. » —*Pacis pignusque fidemque* significat Crantora Peleo obsidem ab Amyntore fuisse datum. *Ed.* — *Fœdus*, *fœdare* et αἰσχύνειν de mutilatis corporibus solet adhiberi.

367. *At*; vide ad VIII, 279. — *Inferias accipe*; vide ad XI, 381. — *Gratissime*; unus Heinsii *fidissime*. — Regii codices *gratissime*. — *Fraxineam* : vide ad V, 9. — *Mens*, ira, furor; V, 13. Ira vim auget lacertorum; apud Silium, II, 123, Asbyte post cædem Harpes *totis annisa doloris Viribus intorquet* hastam. Confer V, 32. Heinsius putat, scripsisse poetam, *contentis viribus* : *contendere* enim *vires* esse, omnes vires simul intendere; et unum Basileensem habere *intensis viribus*; posse tamen et *magnis cum viribus* legi, quum *magnis* multi tueantur MSS, et passim occurrat, *totis*, *summis*, *magnis viribus* hastam mittere. Burmannus legit, *gentis quoque* (vel *cum*) *viribus*, gentis nimirum Æacidarum.—Regii nostri servant *mentis quoque*.—*Hærens intremuit* et *vix sequitur* bene declarant corporis Demoleontis molem.— *Laterum crates* ut *pectoris* et *costarum crates* Virgil. Æn. XII, 508; Prudent. Peristeph. XI, 57.

373. *Animus*, θυμὸς, ira. Dolor iram excitabat et augebat; vers. 532. Possis tamen et *animum* de fortitudine capere.—*Æger*, male se habens ex vulnere; vide Burmannum; Lenzius iratum, irritatum interpretatur.—*Erigitur* sublatis pedibus anterioribus. Novum pugnæ genus.—*Proculcat*, proculcare conatur. Multi habent *conculcat*.—*Ictus*, pedum equinorum, *sonantes*, cum sonitu incidentes : quidam *sonanti* aut *sonante* legunt.— *Excipere clypeo* tela

Defensatque humeros, prætentaque sustinet arma :
Perque armos uno duo pectora perforat ictu.
Ante tamen leto dederat Phlegræon, et Hylen,
Eminus; Hiphinoum collato Marte, Claninque.
Additur his Dorylas, qui tempora tecta gerebat
Pelle lupi, sævique vicem præstantia teli
Cornua vara boum multo rubefacta cruore.
Huic ego, nam vires animus dabat; « Adspice, dixi,
» Quantum concedant nostro tua cornua ferro : »
Et jaculum torsi; quod quum vitare nequiret,
Opposuit dextram passuræ vulnera fronti.
Adfixa est cum fronte manus; fit clamor : at illum
Hærentem Peleus, et acerbo vulnere victum,
Stabat enim propior, mediam ferit ense sub alvum.
Prosiluit, terraque ferox sua viscera traxit;
Tractaque calcavit; calcataque rupit; et illis

aut ictus, clypeum opponere telis. —*Defensare* etiam XI, 373, et apud optimos auctores occurrit; vide Drakenb. ad Silium, I, 507.—*Sustinet*, tenet prætenta, prætendit. — *Duo pectora*, duplex pectus Centauri, humanum et equinum. Nam in pectore coibat forma humana et equina. Similiter apud Claudianum, XXXVII, 82, in cæde Pelori, cui pro pedibus duo angues, Mars *uno ternas animas inficit ictu*. Lenzius vero hunc locum accipit de pectore dextro et sinistro.

379. *Collato Marte*, consertis armis, cominus pugnans cum hoste. — *Clanis* memoratur etiam a Valerio Fl. 146. — E *pellibus luporum*, taurorum, canum etc. fieri olim solebant galeæ. — *Vara*, introrsum curvata, lunata; vide Heinsium ad Amor. III, 24. Olim edebatur *cornua dura*; multi *curva*; Florentinus S. Marci et Argent. *rara*; Genevensis *cava*. Inde Heinsius de suo dedit *vara*. — Regii nostri habent *dura*. Pyrrhum Epirotarum regem cornua hircina in galea gestasse scribit Plutarchus : non subscribo interpretibus qui Dorylam putant itidem cornua bubula in galero gestasse: quin manu gerebat potius, ut cervi cornua Exadius. *Ed.* — *Cruore* eorum, quos jam interfecerat.

383. *Vires animus dabat* modeste præmissum a Nestore.—*Concedant*, cedant, inferiora sint.—*Adfixa est*. Simile quid V, 124. Heinsius putat scribendum : *Adfixa cum fronte manu, fit clamor*.

390. *Terraque ferox* etc. Fœda rursus res lectoribus ante oculos pingitur, ut vers. 269 sq. Sed bellicosis Romanis talia nauseam non fecisse videntur fœditate sua. Itaque etiam in Virgilio similia loca reperiuntur.

Crura quoque impediit, et inani concidit alvo.
Nec te pugnantem tua, Cyllare, forma redemit,
Si modo naturæ formam concedimus illi.
Barba erat incipiens: barbæ color aureus; aureaque
Ex humeris medios coma descendebat in armos;
Gratus in ore vigor; cervix, humerique, manusque,
Pectoraque artificum laudatis proxima signis,
Et qua parte viri est: nec equi mendosa sub illa
Deteriorque viro facies: da colla, caputque,
Castore dignus erit: sic tergum sessile, sic stant

393-428. *Nec te pugnantem* etc. Locus pulcher et commode insertus. Ita enim aliquamdiu interrumpitur cædium descriptio, commiseratio movetur, et Centaurorum tam forma quam amor studiumque placendi cognoscitur. Etiam V, 47 sqq, pulcher juvenis in prælio, quicum una moritur amicus. — *Forma*, pulchritudo. — *Redemit*, liberavit a morte. Eleganter *redimere* nos dicuntur ea, quæ faciunt, ut malum aliquod a nobis avertatur. — Mox conjunge *naturæ illi*, scil. bimembri, Centauris. *Natura* ponitur pro re aut homine, cui certa est natura, etiam a Cicerone aliisque. Male igitur Heinsius conjungebat, *naturæ formam*, et suadebat *illis*, scil. Centauris. A Silio, III, 41, vocantur *genus deforme*. — *Barba incipiens*, prima lanugo. Sic *amor incipiens*, *nox incipiens* apud Nostrum. — *Aureus*; vide ad II, 319. — Regii nostri cod. habent: *barbæ color aureus; aureaque Ex humeris* etc. et bene; ita et octo optimi ab Heinsio nominati, et plurimi alii: hic est versus dactylicus, ut apud Virgilium, Georg. II, 69, et Æn. VI, 33, et apud nostrum IV, 779, et VI, 507; vide insuper ad XV, 147. Quare non dubitavimus lectionem codicum, quam editor variorum et Burman. receperunt, in jus suum vindicare. *Ed.* — *Descendebat*, ut melius quam vulgatum *dependebat*, Burmannus e Strozzæ et Moreti codicibus recepit, idque laudavit e Petronio, 18, *descendentes ab aure capillos*. — Regii nostri, *dependebat*; quod non displicet. *Ed.*

397. *Gratus in ore vigor;* sex in *ore nitor;* Mediceus *decor;* alius *rubor;* unus *color*. — Regii nostri *vigor*. — *Proxima*, scil. dignitate, vide Heynii Observationes in Tibull. p. 161. — *Laudatis*, quæ omnium puncta tulerunt. Cum signis et picturis præstantissimorum artificum comparari solent pulcherrima corpora: confer X, 516. — Cervix, humeri, manus, *Et qua parte viri est*, scilicet species. Facilior est lectio vulgata, *Et quacunque vir est*. — *Da ei caput equi*, erit equus ille dignus *Castore*, ἱπποδάμῳ, qui gaudet equis, et cui *Cyllarus* equus a Junone datus; conf. Suidas in hoc vocab. — *Sic* eleganter in epiphonemate cum exclamatione aut admiratione rationem reddit, ut alibi *ita* (Cic. Att. VII, 2), et *adeo*, idem Off. I, 11. — *Sessile* nunc passive, in quo sedetur commode, novatum ab Ovidio videtur. — *Stare*

Pectora celsa toris : totus pice nigrior atra :
Candida cauda tamen : color est quoque cruribus albus,
Multæ illum petiere sua de gente ; sed una
Abstulit Hylonome ; qua nulla decentior inter
Semiferos altis habitavit femina silvis.
Hæc et blanditiis, et amando, et amare fatendo
Cyllaron una tenet : cultus quoque quantus in illis
Esse potest membris ; ut sit coma pectine lævis,
Ut modo rore maris, modo se violave, rosave
Implicet ; interdum candentia lilia gestet ;
Bisque die lapsis Pagasææ vertice silvæ
Fontibus ora lavet, bis flumine corpora tingat :
Nec, nisi quæ deceant, electarumque ferarum
Aut humero, aut lateri prætendat vellera lævo.

de carnosis et eminentibus membris ; XIV, 283, *colla tumere toris*. — De *pectore toroso* vide ad II, 854.

403. *Color cruribus albus ;* tres *crinibus*, non improbante Burmanno, ut *cauda* et juba alba fuerit : at Centauri non habebant jubam. — Regii codices habent *cruribus*. — *Petere*, ambire alterius connubium ; vide ad IX, 11. Modestius Burmanno videtur, quod in uno Heinsii est, *cupiere*, ut III, 353, *Multi illum juvenes, multæ cupiere puellæ*, quamquam et ibi vulgo *petiere :* sed nihil hoc loco mutandum. Certe Hylonome *amare fatendo* illum petiit. — *Abstulit* dictum ut *auferre præmium*, *prædam* etc. Mox vulgo *decentior*, ut passim *decentes puellæ* et *decor* puellarum ; sed Burmannus e quinque MSS prætulit *nitentior*, quia *nitor* et puellis convenit, (vide ad XI, 271), et pecoribus bene habitis ; vide ad IX, 47. — Regii codices *decentior*. — *Altis silvis*, quia silvæ illæ in altis montibus, ut I, 568, *prærupta silva ;* Amor. I, 1, 9, *silvæ jugosæ*. Silvis dantur epitheta montium, ut mox vs. 412, *vertex silvæ*, et apud Horatium, II, Sat. VI, 91, *dorsum nemoris ;* Virgilius, Æneid. VI, 256, *juga silvarum*.

407. *Blanditiis, et amando ;* multi (et Regius noster A) *blanditiis, et amans*. Zeuxis etiam feminas Centaurorum biformes pinxit. Noster Hylonomes non formam descripsit, quam modo in Cyllaro notavit, sed cultum et placendi curam. Heinsius emendat, *Hæc et blanditias adhibendo, et amare fatendo*, quia X, 259, *modo blanditias adhibet, modo grata puellis munera fert ;* sed perperam. — *Tenere* verbum proprium in hac re. Quintilianus, Decl. 367, *mulieris illecebris teneri*.

409. *Ut sit* etc. Supple, *curat*. — *Coma se implicat* floribus pro vulgari sententia, flores innexi sunt comæ. — De *Pagasis* vide ad VII, 1.

Par amor est illis : errant in montibus una ;
Antra simul subeunt : et tum Lapitheia tecta
Intrarant pariter, pariter fera bella gerebant :
Auctor in incerto est : jaculum de parte sinistra
Venit, et inferius, quam collo pectora subsunt,
Cyllare, te fixit : parvo cor vulnere læsum
Corpore cum toto post tela educta refrixit.
Protinus Hylonome morientes excipit artus ;
Impositaque manu vulnus fovet ; oraque ad ora
Admovet, atque animæ fugienti obsistere tentat.
Ut videt exstinctum, dictis, quæ clamor ad aures
Arcuit ire meas, telo, quod inhæserat illi,
Incubuit ; moriensque suum complexa maritum est.
Ante oculos stat et ille meos, qui sena leonum
Vinxerat inter se connexis vellera nodis,
Phæocomes, hominemque simul protectus equumque :
Codice qui misso, quem vix juga bina moverent

417. *Lapitheia tecta* ; antrum arboribus tectum, quo Pirithoi Lapitharum regis nuptiæ sunt celebratæ ; vide supra 212. *Ed.* — *Bella gerebant* ; codex Regius A *ferebant*. — *Auctor*, qui mittit jaculum, ut supra VIII, 349. — *Quam collo* etc. vulgo (et in Regiis nostris) *qua collo*.

423. *Excipit*. Leidensis, Sprotii, et Argent. *suscipit*. — Regii *excipit*. — Dicta hæc ex more Romanorum, qui amicos morientes amplecti solebant atque osculari, ut extremum eorum halitum sibi excipere liceret. Anima per os exire credebatur, eamque in primo ore tenere morientes dicebantur ; confer X, 186 sqq, ubi eædem curæ, idem officium. — *Impositaque* ; unus Heinsii *suppositaque*, ut Heroid. XI, 39. — Regii cod. *impositaque*, quod præfero. *Ed.*

427. *Telo, quod inhæserat* etc. telo, quod illi Cyllaro fuerat infixum, incumbens, se transfixit. *Ed.*

429. *Sena* ; vulgo *sæva* ; sed *sena* convenit magnitudini Centauri. — Regii nostri *sæva*, sed plurimis et optimis *sena* dantibus assentiendum est. *Ed.* — *Connexis nodis* ; Florentinus, Gronovianus primus et alii *collectis*, quod impense placuit Heinsio, non item Burmanno, qui monet *colligi* recte crines et alia dici ut nodo cohibeantur, non autem nodos ipsos. Immo nodi dicuntur *connecti*, et quum solvuntur, *diduci* ; II, 560. Regius noster A *connexis nodis* ; Regius B *connectens vellera nodis*, et in margine *vel connexis*. Pro *nodis* plurimi *loris* ; Heinsius malit *codis*, id est, caudis. *Ed.*

432. *Codice* ; multi *stipite*, cor-

Juncta, Phonoleniden a summo vertice fregit.
Fracta volubilitas capitis latissima; perque os,
Perque cavas nares, oculosque, auresque, cerebrum
Molle fluit, veluti concretum vimine querno
Lac solet; utve liquor rari sub pondere cribri
Manat, et exprimitur per densa foramina spissus.

tice aut *robore*.—Regii nostri *codice*, cum glossa inter lineas, *i. trunco*. Lectiones *stipite*, *cortice*, glossas puto. *Ed.*— A *vertice*, desuper, ut apud Virgilium, Georg. II, 310.— *Phonoleniden*; Heinsius metuit ne hoc vocab. corruptum sit, nam in MSS mera hic lectionum monstra apparent.

434. *Volubilitas capitis*, volubile, idque, propter magnitudinem Phonolenidæ, *latissimum*, aut *latissima* pro latissime, vulnus latissimum factum. Lenzius fratris sui interpretationem probat; fregit caput, ut fieret planissimum. — Quinque hi versus, a *Fracta volubilitas*, ad *Ast ego*, absunt a nostro codice Regio A, et in codice B ab alia manu in margine fuerunt postscripti; hos libenter spurios crediderimus, tum propter quod eos non habeat codex A optimus, tum propter insulsam et Ovidio pæne indignam descriptionem. *Ed.*

436. *Veluti concretum* etc. Res fœda poterat sine similitudine transmitti. *Concretum lac*, XIII, 796, *coactum lac*, coagulum, lac densatum, unde casei premebantur. — *Vimen*, qualus vimineus, sive calathus, in supellectili erat rustica; Virgilius, Georg. II, 241, *Tu spisso vimine qualos, Colaque prelorum fumosis deripe tectis*. Sed me offendit *querno*, quandoquidem querna virgulta vix apta sunt calathis texendis. MSS tamen nihil nos adjuvant; omnes enim conspirant in hanc vocem præter unum Urbin. qui *testo* habet, quod e *texto* ortum credebat Heinsius: sane nihil frequentius *texto vimine*, vide Heins. ad IV Fast. 435. Sed etiam seqq mendosa haud dubie sunt. *Liquor* ita nude positum non videtur a poeta pro vino, aut succo olivarum: neque ille liquor *sub pondere cribri* manat, sed sub pondere preli. Tollit istas difficultates lectio, quam MSS, Urbinas, Basileensis pr. et alter Thuani suppeditant, *liquor vini sub pondere preli*, quamquam hic potius de oleo agi videtur, quod et spissius et melius cum cerebro comparari potest. Tres alii, *sub pondere coli*, cujus alterum illud *preli* glossema esse putat Heinsius, deceptus auctoritate Schol. MS ad Virgilium, Georg. dicto loco, ubi *colum* explicatur per instrumentum, quo vinum premitur. Imo cola supponi solebant prelis, ut mustum, aut oleum in iis exceptum liquaretur; Lucretius, II, 391: « Et quamvis subito per colum » vina videmus Perfluere, at contra » tardum cunctatur olivum. » Forte verba transposita sunt, ita ut vs. 436 *vimine cribri*, et vers. sequenti *sub pondere querno* legendum sit. Lenzius suadet: *vimine spisso...pondere querno...foramina cribri*.—Pro *manat* Basil. *stillat*; sed Lucretius in re simili *permanare* dixit. — Pro *spissus*, vulgo *succus*. Strozzæ liber *per crebra foramina spissus*.

Ast ego, dum parat hunc armis nudare jacentem,
Scit tuus hoc genitor, gladium spoliantis in ima
Ilia demisi. Chthonius quoque, Teleboasque
Ense jacent nostro : ramum prior ille bifurcum
Gesserat; hic jaculum : jaculo mihi vulnera fecit :
Signa vides : apparet adhuc vetus inde cicatrix.
Tunc ego debueram capienda ad Pergama mitti :
Tunc poteram magni, si non superare, morari
Hectoris arma meis : illo sed tempore nullus,
Aut puer Hector erat : nunc me mea deficit ætas.
Quid tibi victorem gemini Periphanta Pyreti;
Ampyca quid referam? qui quadrupedantis Oëcli
Fixit in adverso cornum sine cuspide vultu.
Vecte Pelethronium Macareus in pectus adacto

439. *Nudare armis* pro, *spoliare*, quod solemne in hac re. Atque id ipsum hoc loco restitutum e septem MSS malit Heinsius, quia seq. *spoliantis*, ut sit familiaris illa Ovidio repetitio. At quum *nudare* interdum ponatur pro spoliare, neque Ovidius ubique affectet illam repetitionem, tueamur lectionem vulgatam.—Tela in corpus dicuntur *demitti* et *descendere*. Mitsch. tamen cum pluribus MSS *dimisi* maluit; etiam vs. 491.

442. *Ramum bifurcum*; fragment. Boxhornii, *ramum bicontum*; quod an a librario potuerit proficisci nescit Burmannus; Genevensis *bicornum*; nonnulli *bisulcum*. — Regii nostri *bifurcum*.—*Vetus inde cicatrix*; Gronovii primus et multi alii ferunt *ecce cicatrix*, quod mallem. *Ed.*

445. *Tunc ego... deficit ætas*. Talia jucundam reddunt narrationem, inprimis si interponuntur longiori cædium enumerationi, atque imitantur sermones quotidianos. Simile Nestoris votum apud Homerum, Il. H, 132 sqq, ubi Hector provocaverat aliquem Græcorum.—*Tunc... tunc*. Περιαυτολογία hæc senile quiddam est, et ætati nostræ (inquit Cato Ciceronianus) conceditur. Videtisne, ait, ut apud Homerum sæpissime Nestor de virtutibus suis prædicet? tertiam enim jam ætatem hominum vixerat, nec erat ei verendum, ne vera de se prædicans, nimis videretur aut insolens aut loquax, etc. *Ed.*—*Hectoris arma meis*; Gronovianus, *arma trucis*. —Regii codices *meis*. — *Nullus*, nondum.—*Me mea deficit ætas*, vires me deficiunt, deserunt, fractæ senectute; permulti habent *deserit*. — Ita et noster Regius B, sed male; vide ad II, 382. *Ed.*

449. *Gemini Pyreti*, Centauri dicti *gemini* quia ex parte hominis, ex parte equi vultum et formam haberent; vide quæ notata fuerint de hoc vocabulo ad II, 555. *Ed.*—*Cornum*; confer VII, 678. — *Pelethronium*, saltus in Pelio Thessaliæ mon-

Stravit Erygdupum : memini et venabula condi
Inguine, Nessæis manibus conjecta, Cymeli.
Nec tu credideris tantum cecinisse futura
Ampyciden Mopsum. Mopso jaculante biformis
Occubuit, frustraque loqui tentavit Odites,
Ad mentum lingua, mentoque ad guttura fixo.
Quinque neci Cæneus dederat, Stiphelumque, Bromumque,
Antimachumque, Helimumque, securiferumque Pyracmon.
Vulnera non memini; numerum, nomenque notavi.
Provolat Emathii spoliis armatus Halesi,
Quem dederat leto, membrisque et corpore Latreus
Maximus : huic ætas inter juvenemque, senemque ;
Vis juvenilis erat : variabant tempora cani.
Qui clypeo, galeaque, Macedoniaque sarissa
Conspicuus; faciemque obversus in agmen utrumque,

te; inde Lapithæ *Pelethronii* dicti; Virgilius, Georg. III, 115, *Frena Pelethronii Lapithæ gyrosque dedere.* Sed Plinius, VII, 57, id nomen, ut proprium, usurpat : *Frenos Pelethronius invenit.* Sic et Hyginus, fab. 274. — *Condi* et *recondi* arma dicuntur, tam quum deponuntur, quam quum corpus penetrant.

455. *Nec tu credideris tantum* etc. Non vates solum Mopsus, sed etiam bellator strenuus. *Ampycides Mopsus* etiam apud Hesiodum d. l. legitur. Fuit Apollinis sacerdos et vates, atque etiam venationi Calydonii apri interfuit; VIII, 316, 350.—*Biformis;* Cicero Tusc. II, 8, *biformato impetu Centaurus.* Sequitur pars fabulæ ea, cujus causa omnis hæc narratio instituta.

462. *Spoliis armatus* (ita est in nostris Regiis); unus Basileensis *spoliis ornatus*, eleganter, judice Burmanno. — *Media ætas* dicitur, quæ inter juvenilem et senilem est (Cicero, Sen. 20, *constans ætas, quæ media dicitur :* ita et Phædrus, II, 11, 3; *medii anni* apud Martialem, X, 32), et *senior,* qui ea ætate est; vide Isidor. XI, 2. Etiam infra XV, 210, *Maturus mitisque inter juvenemque senemque.* Romani non nisi tres faciebant ætates, *pueritiam, juventutem, senectutem.*—*Variabant,* quia nigris adspersi cani.

466. *Sarissa* hasta longior Macedonum ; vide Heinsium et Burmannum.—Nota secundam in *Macedonia* syllabam, longam positam a poeta per ἔκτασιν : nam in primitivo alias corripitur, ut apud Claudian. de bello Getico : « Nubibus intactum Macedo miratur olympum. » *Macedonia sarissa ;* Curtius, lib. IX, « Macedo justa arma sumserat, » æreum clypeum, hastam, quam » sarissam vocant, læva tenens, » dextera lanceam. » *Ed.* — *Conspi-*

Armaque concussit, certumque equitavit in orbem;
Verbaque tot fudit vacuas animosus in auras:
« Et te, Cæni, feram? nam tu mihi femina semper,
» Tu mihi Cænis eris: nec te natalis origo
» Comminuit? mentemque subit, quo præmia facto,
» Quaque viri falsam speciem mercede pararis?
» Vel quid nata vide, vel quid sis passa; columque,
» I, cape cum calathis, et stamina pollice torque;
» Bella relinque viris. » Jactanti talia Cæneus
Extentum cursu missa latus eruit hasta,
Qua vir equo commissus erat: furit ille dolore,
Nudaque Phyllei juvenis ferit ora sarissa:
Non secus hæc resilit, quam tecti a culmine grando;
Aut si quis parvo feriat cava tympana saxo.

cuus, insignis præ reliquis, qui in hac tumultuaria pugna illis armis carebant. — *Concussit*; ad I, 143. — *Equitare* ingeniose de Centauro currente. — *Certum in orbem*, ut fieri solet in palæstra equestri; vide VI, 225. Atque ita flectere equum docuerunt Centauri; Virgil. Georg. III, 115. Nam quamquam ibi Lapithæ commemorantur, tamen ibi Centauros intelligendos esse, qui erant e genere Lapitharum, Cerda docet. Etiam *gyrus* de equitatione usitatum: v. Heynii Obs. ad Tibull. IV, 1, 94, et Broukhus. ad vs. 207. — *Vacuas* ornat, ut *inanes*, *aeriæ* auræ etc. Heinsius *in aures* scribendum temere censebat.

470. *Cænis* dicebatur, quum femina adhuc esset; vers. 189. — *Comminuit*; olim edebatur *commonuit*; multi *commovit*; tredecim *comminuit*; et mox secundus Moreti *mentemve*, unde Heinsius conjicit *mentemne*. — Codex Regius A *commonuit*; codex B *comminuit*; ambo *mentemque*. — *Te comminuit*, animum tuum comminuit, fregit: vide Heinsium. — De *facto*, quo *præmia* meruit, 197 sqq. — *Quid nata vide* ut IX, 746, *quid sis nata vide*; et VI, 634, *cui sis nupta vide*. — De *colo* et *calathis* modo diximus. Virgilius, Æn. VII, 805, de Camilla, *non illa colo calathisve Minervæ Femineas adsueta manus*; Silius, II, 70, *Non calathis mollita manus, operataque fuso*. — *Bella relinque*; unus Mediceus *tela relinque*, quod placet Burmanno.

477. *Extentum cursu latus* ingeniose de currente equo. — *Eruit*, ut *hausit* V, 126. Hoc loco Florentinus S. Marci *hauriit*; Vaticanus, pro varia lectione, *hauserat*. — Codices Regii *eruit*. — *Phyllei juvenis*: alii *Pellæi*. — Regii codices *Philei*. — *Phyllus* urbs Thessaliæ, quamquam Hygin. fab. 14, montem in Thessalia contendit esse. *Ed.* — *Nuda ora*; caput galea non munitum. *Ed.*

481. *Cava*; erant ligna concava in

Cominus adgreditur, laterique recondere duro
Luctatur gladium : gladio loca pervia non sunt.
« Haud tamen effugies ; medio jugulaberis ense,
Quandoquidem mucro est hebes ; » inquit : et in latus ensem
Obliquat, longaque amplectitur ilia dextra.
Plaga facit gemitus, ceu corpore marmoris icti,
Fractaque dissiluit percusso lamina collo.
Ut satis illæsos miranti præbuit artus,
« Nunc age, ait Cæneus, nostro tua corpora ferro
» Tentemus : » capuloque tenus demisit in armos
Ensem fatiferum, cæcamque in viscera movit,
Versavitque manum, vulnusque in vulnere fecit.
Ecce ruunt vasto rabidi clamore bimembres,
Telaque in hunc omnes unum mittuntque, feruntque.
Tela retusa cadunt : manet imperfossus ab omni
Inque cruentatus Cæneus Elateius ictu.
Fecerat adtonitos nova res. « Heus dedecus ingens!
» Monychus exclamat : populus superamur ab uno,

formam patinæ, quibus pellis ita intendebatur, ut lapilli in eam immissi resilirent ; vide Perizon. ad Æliani Var. Hist. IX, 8.

486. *Ensem in latus obliquat*; ab initio punctim verberaverat, nunc cæsim : obliquo ense ferit latus. — *Gemitus* de omni sono, etiam rerum inanimatarum ; vide Burmannum ad IV, 449, et Heinsium ad XIV, 739 : supra V, 204, de eadem re, *sonuit tinnitibus ensis acutis*.

492. *Fatiferum*, letiferum — *Cæcam*, quia abscondita erat in visceribus, neque cernebatur. — Pro *in viscera* Heinsius malit, *in viscere*; unus Vaticanus et unus Basileensis, *cæcamque in viscera condit*, ut XV, 88. — Regii codices *in viscera movit*. Quod ad casum, nihil mutes. *Ed.* — *Vulnus in vulnere fecit*, abusus ingenii.

494. *Rabidi*; alii *rapidi* aut *trepidi*; Heinsius suadebat *rabidi de more*; sed vide Burmannum. Ruunt omnes in Cænea, ut V, 157 sqq, in Persea. — *Vasto*; Burmannus laudat *vastum latratum* e Columella, VII, 12 ; idem, I, 9, *vastitatem vocis*; Cicero et alii, *vaste dicere*. — *Mittuntque, feruntque*; permulti *mittunt feriuntque*; codices Regii *feriuntque*.

496. *Tela retusa cadunt*. Novo modo invulnerabilem describit. — *Incruentatus*, quod per tmesin divulsum, pro *incruentus* primus dixit Ovidius.

499. *Monychus*, μονώνυχος, solidungulus, Centaurus ; de quo Juvenalis, *quantas jaculetur Monychus*

» Vixque viro : quamquam ille vir est ; nos segnibus actis,
» Quod fuit ille, sumus : quid membra immania prosunt?
» Quid geminæ vires? quid, quod fortissima rerum
» In nobis duplex natura animalia junxit ?
» Nec nos matre Dea, nec nos Ixione natos
» Esse reor ; qui tantus erat, Junonis ut altæ
» Spem caperet : nos semimari superamur ab hoste.
» Saxa, trabesque super, totosque involvite montes;
» Vivacemque animam missis elidite silvis.
» Silva premat fauces : et erit pro vulnere pondus. »
Dixit; et insani dejectam viribus Austri
Forte trabem nactus, validum conjecit in hostem :
Exemplumque fuit : parvoque in tempore nudus
Arboris Othrys erat, nec habebat Pelion umbras.

ornos. Ed. — *Superamur;* Langermanni et tres al. *superemur* per interrogationem. Regii cod. *superamur*.

500. *Vixque viro ;* unus Heinsii *vixque mari*; et versu 506, pro *semimari*, idem *semiviro*. — Regii codices, *vixque viro*, et *semimari*. — *Segnibus actis*, segnitie.—*Quod fuit;* unus Leidensis, *quæ* fuit. — *Fortissima* conjunge cum *animalia*. *Natura duplex junxit animalia*, pro animalia duplicis naturæ juncta sunt in nobis. — *Quid, quod;* vulgo *et quod*. — *Rerum* sic superlativis additur, ut *dulcissime rerum* etc.

505. *Altæ*, magnæ, auctoritate Virgilii, apud quem *altus Apollo*, Æn. X, 875 ; *altus Jupiter*, XI, 726. —*Spem Junonis* breviter et modeste, spem concumbendi cum Junone. Quod summæ audaciæ et impudentiæ erat, id callide vertit in laudem patris sui. Sed mentitur, quum se *matre Dea* editum dicit. — *Elidite* aptum huic mortis generi verbum.

507. *Saxa, trabesque super;* jam copiose et suo more exornare incipit, quod scriptores ad vers. 146 laudati breviter tradunt, congestis arboribus interfectum Cænea. — *Cæneus*, inquit Palæphatus, erat vir bello strenuus et pugnæ sciens : is quum in multis variisque bellis versatus fuisset, neque vulneratus unquam, cum Lapithis aliquando pugnans, a Centauris interceptus, illorum multitudine obrutus est : cujus corpus ubi nullo vulnere confossum advertissent Centauri, ab iis invulnerabilis est existimatus. *Ed.*

510. *Insani;* plurimi *insanis;* multi *disjectam*, pro *dejectam*.—Regii codices *insanis dejectam*.—*Exemplumque fuit;* unus Mediceus melioris notæ *exemploque fuit*. *Exemplum fuit*, exemplo suo præivit cæteris.—Mox loquitur ita, tamquam et *Othrys* et *Pelion* proximi fuerint Pirithoi regiæ.— *Nudus arboris*, nudus arboribus.—*Parvo in tempore* vide ad XI, 39.— *Umbras* pro, arbores, ut X, 88 et 90.

Obrutus immani cumulo, sub pondere Cæneus
Æstuat arboreo, congestaque robora duris
Fert humeris: sed enim postquam super ora caputque
Crevit onus, neque habet, quas ducat, spiritus auras,
Deficit interdum: modo se super aera frustra
Tollere conatur, jactasque evolvere silvas;
Interdumque movet: veluti, quam cernimus, ecce!
Ardua si terræ quatiatur motibus Ide.
Exitus in dubio est: alii sub inania corpus
Tartara detrusum silvarum mole ferebant.
Abnuit Ampycides; medioque ex aggere fulvis
Vidit avem pennis liquidas exire sub auras,
Quæ mihi tunc primum, tunc est conspecta supremum.
Hanc ubi lustrantem leni sua castra volatu
Mopsus, et ingenti circum clangore sonantem
Adspexit, pariterque oculis animoque secutus:
« O salve, dixit, Lapithææ gloria gentis,
» Maxime vir quondam, sed avis nunc unica, Cæneu. »
Credita res auctore suo est: dolor addidit iram;
Oppressumque ægre tulimus tot ab hostibus unum:

514. *Obrutus cumulo;* plurimi, et Regii cod. *obrutus tumulo.*—*Æstuat,* furit, jactat membra. — *Congesta;* multi *conjecta.*—Regii codices *congesta.*—*Neque habet, quas ducat* etc. malit Heinsius *qua*, vel *quo ducat*, ut V, 467; perperam.

518. *Super aera*, in aera, et hoc simpliciter, tollere; Virgilius, Æn. II, 699, *se tollit ad auras*, surgit de strato.

520. *Ide* in conspectu Græcorum tum erat: hinc, *quam cernimus, ecce!*

522. *Exitus in dubio est;* interfectum esse Cænea cæteri tradunt. Alterum finxit fortasse Ovidius ipse, ut hic quoque haberet metamorphosin; itaque verbis *Exitus in dubio est* novationem suam excusasse videtur. Commode adhibuit Mopsum vatem. — *Detrusum* aptius violenta in morte, quam *missum;* Scholiast. Apollon. I, 57, Κατὰ γῆν αὐτὸν ὤθοῦσιν. Florent. habet *retrusum.*

525. *Sub auras*, in auras.

527. *Lustrantem sua castra*, volantem circa Lapithas socios suos; quo melius singula circumspiciat, volat *leni volatu.*—*Clangor* proprie sonus avium volantium. — *Gloria gentis*, ut apud Homerum, μέγα κῦδος Ἀχαιῶν. Heinsius malit legere: *Lapithææ gloria gentis Maxime, vir quondam* etc.

Nec prius abstitimus ferrum exercere cruore,
Quam data pars leto, partem fuga noxque removit.
IV. Hæc inter Lapithas et semihomines Centauros
Prælia, Tlepolemus, Pylio referente, dolorem
Præteriti Alcidæ tacito non pertulit ore;
Atque ait: « Herculeæ mirum est oblivia laudis
» Acta tibi, senior: certe mihi sæpe referre
» Nubigenas domitos a se pater ipse solebat. »
Tristis ad hæc Pylius: « Quid me meminisse malorum
» Cogis, et obductos annis rescindere luctus,
» Inque tuum genitorem odium, offensasque fateri?

534. *Ferrum exercere cruore* dedit Heinsius ex uno Mediceo, pro *ferro exercere dolorem*.—Regii codices habent hanc postremam lectionem, quam sinceram puto. *Ed.* — *Partem removit;* Gronovii primus *diremit*, ut sæpe apud historicos, *nox pugnam diremit;* Virg. Æn. V, 467, *prælia voce diremit:* hoc recepit Mitscherl. — Regii nostri *removit*.

536–579. Hic dantur appendicula de *Periclymeno*, Nestoris fratre, quem Hercules in aquilam transformatum interfecit. De auctoribus fab. vide ad vers. 549.

537. *Tlepolemus* Herculis et, ut plurimi tradunt, Astyoches filius, interfecto Licymnio avunculo, ad Rhodios aufugerat, quorum naves postea adversus Trojanos duxit; Homerus, Il. B, 653 sqq. Is *dolorem*, quem sentiebat inde, quod rerum a patre suo, quo tempore apud Pholum erat, gestarum cum Centauris (de quibus vide Apollod. II, v, 4) mentionem nullam fecerat Nestor, tacite perferre non potuit.

539. *Agere oblivia* dictum, ut *agere silentium*, I, 349. — *Senior*, senex, quæ compellatio grata Græcis. Quidam tamen, mutata distinctione, æque bene: *Senior certe mihi* etc.— *Domitos a se pater;* mollius esse monet Burmannus, quod in duobus est, *a se domitos pater*.—Emendatio Burmanniana, etsi duobus tantum codicibus firmata, nihilominus tamen probanda videtur. *Ed.*

543. *Obductos luctus;* vulnera dicuntur obduci quum coalescunt, et *rescindi*, quum rursus aperiuntur, refricantur. Hinc illa verba ad renovatum luctum sat commode transferuntur. Olim hoc loco edebatur *restringere luctus;* alii aliter. Quidam habent *obductos leviter rescindere luctus;* inde Heinsius emendabat *obductum leviter rescindere vulnus*. Sed *annis* bene se habet. Constat enim, *annos*, tempus, esse maxime, qui rerum acerbarum sensum leniant.—Regius codex A *resciscere;* codex B *retexere:* hoc verbum ab arte textoria petitum: his metaphoris quidem sæpe utuntur Græci, inprimis Plato, in Politico; sed huic loco non convenit *retexere*, nam *luctus obductos* indicat vulnus et cicatricem quæ rescinduntur. *Ed.* — *Offensas*, quibus me adflixit.

» Ille quidem majora fide, Dî! gessit, et orbem
» Implevit meritis, quod mallem posse negari:
» Sed neque Deiphobum, nec Polydamanta, nec ipsum
» Hectora laudamus: quis enim laudaverit hostem?
» Ille tuus genitor Messania mœnia quondam
» Stravit; et immeritas urbes Elinque, Pylonque
» Diruit, inque meos ferrum flammamque penates
» Impulit: utque alios taceam, quos ille peremit;
» Bis sex Nelidæ fuimus, conspecta juventus:
» Bis sex Herculeis ceciderunt, me minus uno,
» Viribus: atque alios vinci potuisse ferendum est.
» Mira Periclymeni mors est; cui posse figuras

545. *Dî*, *Dî magni* aut *boni* solemnis exclamatio in laudibus magnorum virorum; vid. Heinsius ad Heroid. XVIII, 102.— *Orbem implevit meritis*, multis facinoribus de multis, iisque disjunctissimis, terris bene meritus est.

549. *Ille tuus genitor* etc. Res, quæ hic attingitur, magna cum varietate narratur ab auctoribus; conf. Homerus, Il. Λ, 691, Od. Λ, 280, ibique Schol. etiam ad Il. B, 336; Ælianus, Var. Hist. IV, 5; Pausanias, Eliac. p. 379 et 516; Apollodorus, I, IX, 9; II, VII, 3; Hyginus, fab. 10 et 31; Schol. Apollonii, I, 156; Philostrates Heroic. *Neleo*, *Pyliorum* regi, nati erant vel ex sola Cloride (Hom. Hyg. Apollod.) vel ex pluribus uxoribus duodecim filii, in quibus *Periclymenus* et *Nestor*. Hercules iratus erat Neleo, sive quod sibi Geryonis boves abegerat, sive quod se expiare noluerat, postquam uxorem et liberos aut Iphitum amicum interfecerat, sive denique, ut vult Pausanias, quia opem tulerat Eleis. Capta urbe Nestori pepercit, vel quia is apud Gerenios aberat, vel quia patri boves abigenti aut expiationem neganti non assensus fuerat. Neque pepercit ei modo, sed regnum etiam paternum tradidit, cui addidit Messenen, vel ut præmium justitiæ, vel ut depositum. Fœdus icisse cum Nelei liberis legitur apud Pausaniam, Messen. p. 317. Sed secundum Ovidium, non bene de Nestore meritus est Hercules. De filiis interfectis consentit cum Homero, κατὰ δ' ἔκταθεν ὅσσοι ἄριστοι. *Periclymenum* effugisse tradit Hyginus; interfectum eum esse auctores sunt Schol. Homeri, Apollodorus et Tzetzes Chil. I, 46. Sine dubio fugit, et e fuga reductus interfectus est. Hoc certe sibi vult fabula, quam hic habemus.

550. *Stravit*, diruit.—*Impulit* gravius verbum quam, *intulit*; ferro et igne vastavit penates meos.

553. *Bis sex Nelidæ* etc. Homerus: Δώδεκα γὰρ Νηλῆος ἀμύμονος υἱέες ἦμεν, Τῶν οἶος λιπόμην, οἱ δ' ἄλλοι πάντες ὄλοντο.—*Conspecta*, conspicua, excellens; Homer. altero loco, ἀγλαὰ τέκνα· illosque ἐκάκωσε βίη Ἡρακληείη.

556. *Posse*; τὸ δύνασθαι, facultas.

» Sumere quas vellet, rursusque reponere sumtas
» Neptunus dederat, Nelei sanguinis auctor.
» Hic, ubi nequicquam est formas variatus in omnes,
» Vertitur in faciem volucris, quæ fulmina curvis
» Ferre solet pedibus, Divûm gratissima regi.
» Viribus usus avis, pennis rostroque redunco,
» Hamatisque viri laniaverat unguibus ora.
» Tendit in hunc nimium certos Tirynthius arcus,
» Atque inter nubes sublimia membra ferentem,
» Pendentemque ferit, lateri qua jungitur ala.
» Nec grave vulnus erat; sed rupti vulnere nervi
» Deficiunt, motumque negant viresque volandi.
» Decidit in terram, non concipientibus auras
» Infirmis pennis : et qua levis hæserat alæ,

ut aliquoties vidimus. — *Reponere*, deponere ; Gronovianus et quatuor alii *sumtasque reponere posse.*— Regii codices habent lectionem vulgatam ; altera tamen placet ; namque adverbium *rursus* jungitur ingrate cum verbo illud in sua prima syllaba habente. *Ed.*

558. *Nelei sanguinis*, gentis, *auctor* fuit Neptunus, Nelei pater ; vide Schol. Homeri ad Od. d. l. quamquam Hyginus Hippocoontem nominat. Illam vim Periclymeni etiam Hesiodus in Catal. Euphorion apud Scholiast. Homeri, et Apollodorus memorant. — *Formas variatus ;* permulti (et Regius noster A) habent *versatus.* Pugnans cum Hercule fiebat modo leo, modo anguis, modo apis ; Apollodorus. —*Faciem alitis* etiam Hesiodus habet : ἄλλοτε μὲν γὰρ ἐν ὀρνίθεσσι φαίνεσκεν αἰετὸς· sed trajicitur Palladis monitu ab Hercule, quum, sumta apis forma, currui ejus insideret. Apud Schol. Apollonii et Tzetzem, necatur εἰς μυῖαν μεταβληθεὶς. —*Rostroque redunco ;* quidam *reducto ;* nonnulli *recurvo.* — Regii codices *redunco.* — *Tendit in hunc* bene recepit Heinsius pro vulg. *tendit in hanc ;* prius habent Regii nostri.

565. *Sublimia membra ferentem*, alte volantem.—*Pendentemque ferit ;* quinque *Pendentemque rapit :* vide Drakenb. ad Silium, II, 96. De *pendere* vide ad XI, 341. Hyginus : « Periclymenus beneficio Neptuni » avi in aquilæ effigiem commuta- » tus, mortem effugit. » —*Volandi ;* nonnulli veteres *volanti ;* Regii nostri *volandi ;* sic III Trist. III, 86, *dictandi vires lingua negat.* Ed.

569. *Concipere auras*, ut Quintilianus, Inst. XI, 3, extr. *ventum concipere veste ;* supra VIII, 228, *percipit auras*, quamquam et ibi plurimi MSS *concipit.*— *Infirmis pennis ;* Neapolitanus *infirmus pennis.*— Regii nostri habent *infirmis ;* alteram lectionem haud ingratam libenter admitteremus. *Ed.*—*Levis*,

» Corporis adfixi pressa est gravitate sagitta,
» Perque latus summum jugulo est exacta sinistro.
» Num videor debere tui præconia rebus
» Herculis, o Rhodiæ ductor pulcherrime classis?
» Nec tamen ulterius, quam fortia facta silendo,
» Ulciscar fratres; solida est mihi gratia tecum. »
Hæc postquam dulci Neleius edidit ore,
A sermone senis, repetito munere Bacchi
Surrexere toris : nox est data cætera somno.

V. At Deus, æquoreas qui cuspide temperat undas,
In volucrem corpus nati Stheneleida versum
Mente dolet patria, sævumque perosus Achillem
Exercet memores, plus quam civiliter, iras.

levitate.—*Gravitate*, gravi lapsu inprimis.

573. *Tui.... Herculis.* Arondel. *tibi.... Herculeis*; sic legi Heinsius volebat. — *Ductor classis*; plurimi (et Regius B) *rector.*—*Pulcherrime*, præstantissime. Etiam in laudibus heroum *pulcher* occurrit.

576. *Ulciscar*; codex Regius B *ulciscor.*— *Solida gratia*, vera, sincera amicitia, ut *solida utilitas* etc. apud Ciceronem.

577. *Dulci ore* ob eloquentiam, quæ cum melle comparatur; lege quæ ait Homerus, Il. A, 248 : Τοῦ καὶ ἀπὸ γλώσσης μέλιτος γλυκίων ῥέεν αὐδή.

580–628. *Achillis mors.* Neptunus permonet Apollinem, ut interficiat Achillem, de cujus postea armis certant Ajax et Ulysses. Auctores fabulæ vid. ad vs. 601; tractata erat etiam ab Arctino, poeta vetere, in Æthiopide, unde fragm. exstat.

580. *At Deus* etc. Hæc cohærent cum versu 144.—*Cuspide*, mox *tri-plici cuspide*, tridente quomodo regat Neptunus æquoris undas, vide I, 283, 330.—*Volucrem Stheneleida*, volucrem, in quam olim alius Cycnus, Stheneleii filius, mutatus; II, 367 sqq. Sic III Fast. 793, *Lycaonia Arctos*, in quam Callisto, Lycaonis filia, versa. Atque nunc ita locutus esse videtur, quia patronymicis distingui solebant duo illi Cycni. — *Versum*; verterat quidem ipse, sed coactus sævitia Achillis.—*Mente patria*, ut XI, 328, *patruo corde.*—*Memores iræ*, quia ipse Neptunus sævitiæ Achilleæ memor; Virgilius, Æneid. I, 4, *sævæ memorem Junonis ob iram.* — *Exercet* nunc est, alit, quum alibi fere sit, effundere iram, pœnam sumere, ut *exercere victoriam*, *inimicitias* etc. —*Plus quam civiliter*, justo gravius, immoderate; III Trist. VIII, 41, Augustus offensas suas non vindicat ense, sed *odio civiliter utitur* in Ovidium. *Civilis* enim est is, qui ita agit, ut cæteros quoque cives esse, æqualique jure uti meminisse videatur.

Jamque fere tracto duo per quinquennia bello,
Talibus intonsum compellat Smynthea dictis :
« O mihi de fratris longe gratissime natis,
Irrita qui mecum posuisti mœnia Trojæ,
Ecquid, ut has jamjam casuras adspicis arces,
Ingemis? aut ecquid tot defendentia muros
Millia cæsa doles? ecquid, ne persequar omnes,
Hectoris umbra subit, circum sua Pergama tracti?
Quum tamen ille ferox, belloque cruentior ipso,
Vivit adhuc, operis nostri populator, Achilles.

584. *Tractum bellum* centies apud historicos : *trahuntur* enim, quæ diu durant. — Apollo *Smyntheus* cum in aliis Asiæ locis, tum in insula Tenedo colebatur ; vide Homerum, Il. Α, 39, ubi Eustath. et Pseudod. eum sic dictum tradunt a Smyntho, oppido in finibus Trojanorum. Usus igitur nunc hoc nomine est, quia res ad Trojam agitur.

586. *O mihi de fratris* etc. post blandissimam compellationem observa artem, qua irritare conatur animum Apollinis : quis enim non doleat, operam suam fieri *irritam* unius hominis sævitia? *Hectoris* autem crudelissime tractati casum ægerrime tulit Apollo ; Homerus, Il. Ω, 33 sqq. Eum vero a Neptuno persuasum esse, ut mortem adferret Achilli, novavit Noster, ut hanc fabulam commode adnecteret superiori ; nam apud Homerum semper a Trojanorum partibus stat, sua sponte, et Achilli inprimis irascitur ; Homerus, d. l. Itaque et reliqui poetæ de Neptuno silent.—*Irrita mœnia*, quia labor mœnibus jamjam casuris impensus irritus fiebat. — *Ecquid, ut has* etc. olim edebatur *Ecquid, ubi Asiacas casuras* etc. duo *prospicis arces*, quod non displicet Burmanno ; quinque *conspicis*. — Regius noster A *Ecquid, ut has jamjam casuras aspicis arces* ; codex autem B *Ecquid, ubi Asiam et casuras aspicis arces*, male et contra metrum. — *Circum sua Pergama*. Sic e novatione tragicorum, etiam Euripidis Androm. 107 s. et inde Virgilii, Æneid. I, 483. Sed secundum Homerum, Il. Ω, 15 sq, Hector e curru ligatus et capite pulveri incumbens tractus est circa Patrocli sepulcrum. Il. Χ, 395 sqq, ubi hæc Achillis crudelitas pluribus describitur, locus commemoratur nullus. — *Tracti*. Gronovianus habet *rapti* ; utrumque in hac re usitatum ; vulgat. est in nostris Regiis.

592. *Quum tamen* ; nonnulli *cur tamen* ; alii *Et tamen*. — *Belloque cruentior* ; Gronovian. primus *bello truculentior* ; XI, 701, *crudelior pelago*. *Cruentus* autem etiam cupidus cruoris.—*Vivit adhuc* ; quatuor *vivat adhuc*. — *Populator*, ut XIII, 655, *Trojæ populator Atrides*. Vaticanus primus, et Genevensis *operis nostri violator*, quod placet Burmanno, quia sacra Troja a diis posita erat ; sic *violare* etiam apud Virgilium, XI, 255.—In hac tota phrasi codices Regii nihil mutant.

Det mihi se : faxo, triplici quid cuspide possim,
Sentiat : at quoniam concurrere cominus hosti
Non datur, occulta nec opinum perde sagitta. »
Adnuit; atque animo pariter patruoque suoque
Delius indulgens, nebula velatus in agmen
Pervenit Iliacum, mediaque in cæde virorum
Rara per ignotos spargentem cernit Achivos
Tela Parin : fassusque Deum : « Quid spicula perdis
» Sanguine plebis ? ait : si qua est tibi cura tuorum,
» Vertere in Æaciden, cæsosque ulciscere fratres. »
Dixit : et ostendens sternentem Troïa ferro
Corpora Peliden, arcus obvertit in illum,
Certaque letifera direxit spicula dextra.

594. *Dat se* alteri, qui ei obvius fit. —*Faxo*, et *faxim* antiq. pro faciam, aut fecerim. — *Occulta*, quia Apollo nebula velatus non cernebatur.

596. *Perde sagitta;* Cantabr. *prode sagitta* quod arridet Heinsio.—*Patruo*, pro *patrui* (quod habent Regii), ut XI, 328, *patruo corde*, et IV Fast. 55, *ense patruo*. Libenter enim talibus voc. adjective utuntur poetæ; vide Drakenb. ad Silium, III, 387 : sic apud Nostrum *autumnum frigus*, *maritus lectus*, *infans manus* etc.—*Animo indulgens*, obsequens irato impetui animi.

600. *Rara per ignotos* etc. Dupliciter tangit ignaviam Paridis, quod *rara* tela spargit, et quod ea per *ignotos*, ignobiles (vide ad IX, 669) spargit : sed quia præcedit, *media in cæde virorum*, et quia Apollo dolet perdere eum spicula in sanguine plebis, propterea *rara tela* Burmanno non placent. Conjicit ergo, *vana*, id est, inutilia, ex quibus nihil ad summam belli redibat utilitatis, quia, licet plures sterneret, dum Achilles tamen superesset, metu solvi Trojani non poterant. Florent. MS *gnara*, quod Heinsio placebat, qui interpretabatur, bene ac perite torta. At si hoc voluisset poeta, dixisset haud dubie *certa*. — *Spargere tela*, ut *spargere fulmina*, I, 253; *spargere glandes funda* apud Claudianum, VII, 50.

601. *Fassus Deum*, postquam indicaverat, se Deum esse, ut III, 1, et pluribus locis. Etiam apud Virgilium, Æn. VI, 57, Apollo Paridis telum dirigit in Achillem, quemadmodum Hector moriens prædixerat. Homerus, Il. X, 359, ὅτε κέν σε Πάρις καὶ Φοῖβος Ἀπόλλων ὀλέσωσιν ἐνὶ Σκαιῇσι πύλῃσιν. Apud Quintum Calabr. III, 60 sqq, Apollo ipse, sine Paridis ministerio, vulnerat Achillem. Sumta Paridis forma eum id fecisse tradit Hyginus, fab. 107. A solo Paride eum sublatum memorant, remotis figmentis poeticis, Dares Phrygius, cap. 35, et Dictys Cret. IV, 2.—*Vertere*, transfer tela tua ab istis in Æaciden. — *Spicula*

Quod Priamus gaudere senex post Hectora posset,
Hoc fuit : ille igitur tantorum victor, Achille,
Vinceris a timido Graiæ raptore maritæ!
At si femineo fuerat tibi Marte cadendum,
Thermodontiaca malles cecidisse bipenni.

perdere in *sanguine plebis*, frustra mittere tela in milites gregarios, quibus interfectis nihil lucratur summa belli.

607. *Quod Priamus gaudere* etc. Eventum rei sententia declarat, quam valde commendabat Vinicius, summus amator Ovidii; Seneca, Controv. 33. Ad Priamum enim ob Hectorem interfectum maximum gaudium redire debebat ex Achillis morte. — *Senex* solemne Priami epitheton; *veter Priamus* dixerat Ennius. — *Gaudere*, ut *dolere* et *mærere*, passim quartum casum sibi adjunctum habet; vide Burmannum ad VII, 720. Copiosius Achillis casum enarrat Quintus Calaber, III, 176 sqq. Ibi procumbit montis instar, cum tremore telluris, armorumque fragore. In talum eum esse vulneratum idem Quintus Cal. memorat : nempe is solus vulnerabilis fuisse a recentioribus auctoribus fingebatur, quum reliquum corpus, in Styge a matre tinctum, nullis armis lædi posset. De quo commento verissime *Rousseau* (*Pensées*) : *à force d'armer Achille contre le péril, le poète lui ôte le mérite de la valeur. Tout autre à sa place eût été un Achille au même prix.*

608. *Ille igitur tantorum* etc. Epiphonema præclarum, cui simile illud de Priamo apud Virgilium, Æneid. II, 554 sqq. Initium spirat sensum Græcorum, de quo vide ad IX, 7. Ignaviæ et mollitiei Paridis picturam habes apud Horat. I, Od. XV, 13-18; quamquam Latini eum poetæ molliorem finxerunt, quam apud Homerum apparet. Nempe quia elegantia ejus ab heroum reliquorum asperitate abhorrebat, propterea ab his contemnebatur tamquam γυναιμανής; vide Jani Excursum ad Horat. d. loc. Non parum fortitudinis spirat epistola ejus ad Helenam, quæ legitur Heroid. XVI. — *Vinceris*, vulgo, et in nostro Regio A, *victus es*; nonnulli *vincitur*, sed male : vide Heinsium ad Heroid. XIV, 95. — *Maritæ*, quam habebat maritam post raptum, ut vs. 5, *rapta cum conjuge*. Id tamen non placet Burmanno qui ex uno MS præfert *juvencæ*, quia Heroid. V, 117, et apud Iscan. III, 374, Helena *Graia juvenca* vocatur; sed in utroque illo loco allegoriæ servandæ causa commode ita dicitur quæ h. l. nulla est. — *Thermodontiaca bipenni.* Penthesileam intelligit, fortissimam Amazonum, ad *Thermodonta* fluvium habitantium, reginam, quæ Trojanis auxilium tulerat adversus Græcos. Q. Calaber, I; Virgilius, Æn. I, 490; Justinus, II, IV, 31. *Bipenniferæ* Amazonis effigies expressa est apud Drakenb. ad Silium, II, 77. Ipsa Penthesilea in gemmis pluribus conspicitur. Etiam apud Quintum Calabr. I, 157, fert ἀργύτυπον βουπλῆγα· sed in tabula, quam Pausanias, Phoc. p. 875, describit, arcum habebat Scythicis similem. Fortior Paride in eadem tabula apparebat; vultu enim declarabat, se

Jam timor ille Phrygum, decus et tutela Pelasgi
Nominis, Æacides, caput insuperabile bello,
Arserat: armarat Deus idem, idemque cremarat.
Jam cinis est, et de tam magno restat Achille
Nescio quid, parvam quod non bene compleat urnam.
At vivit, totum quæ gloria compleat orbem:
Hæc illi mensura viro respondet, et hac est
Par sibi Pelides; nec inania Tartara sentit.
Ipse etiam, ut, cujus fuerit, cognoscere possis,

eum præ se spernere. Sed et Amazonum auxilium post Homer. a poetis assumtum in belli Trojani historiam; vide Heynium ad Virg d. l.

614. *Arserat.* De combustione hac vide Homerum, Od. Ω, 57 sqq; Quintum Cal. III. — Ineptissimo rursus ingenii lusu maculat locum pulcherrimum: *armarat deus idem, idemque cremarat*, nempe Vulcanus arma ejus fabricaverat, et Vulcanus, hoc est, ignis, corpus ejus absumserat; Homerus, d. l. vers. 71, σε φλὸξ ἤνυσεν Ἡφαίστοιο.

615. *Cinis est* aut *cinis exiguus jacet*, sollemne de mortuo, sed h. l. magna cum vi post superiora illa, *timor ille Phrygum* etc. et τὸ *exiguus* præclare sic exornat, *de tam magno restat Achille Nescio quid*, particula minima, et vix sensibilis, *quod non bene* (exquisite pro, non prorsus, non plane) *urnam compleat.* Pro *nescio quid, parvam quod* etc. omnes fere libri scripti (exceptis Regiis nostris) habent *nescio quid parvum, quod* etc. mutata distinctione. *Parvæ* autem et exiles esse solebant urnæ, ut apparet ex iis, quæ etiam nunc supersunt. Præiverat Nostro Propertius, II, VII, 51, ubi Briseis *tanti corpus Achillei Maximaque in parva sustulit ossa manu*; et IV, XI, 14, ubi sepulta Cornelia, postquam dignitatem suam nihil sibi profuisse questa est, addit. *En! sum quod digitis quinque levatur onus.* Sed pueriliter gravissimam sententiam tractavit Senec. Herc. Œt. vs. 1758 sq:
« Tam parvus cinis Herculeus est;
» huc ille decrevit gigas. O quanta,
» Titan, in nihil moles abit!... ecce
» vix totam Hercules Complevit urnam; quam leve est pondus mihi,
» Cui totus æther pondus incubuit
» leve. » Achillis cineres vino conspersos et unguento Thetis condidit in urna, quam, Vulcani opus, a Baccho acceperat: Hom. d. l.

617. *At vivit, totum quæ* etc. Non minus bene sequentia de gloria dicta. — *Respondet*, congrua est viro illi. — *Hac*, ab hac parte. — *Inania Tartara non sentit*, nunquam morietur. — Hunc locum ita e vestigiis codicum constituit Heinsius, quem vide ad Heroid. XX, 62. In Regiis nostris legitur *Par tibi*, non male per apostrophen; sed voces non concordant; legi enim deberet: *et hac es Par tibi. Pelide, nec inania Tartara sentis.* Ed.

620. *Cognoscere* sic etiam Heroid. IX, 151, *Tu quoque cognosces in me, Meleagre, sororem*; et apud Justinum, XIV, VI, 11, *ut Alexandrum*

Bella movet clypeus, deque armis arma feruntur.
Non ea Tydides, non audet Oileos Ajax,
Non minor Atrides, non bello major et ævo,
Poscere, non alii : soli Telamone creato
Laertaque, fuit tantæ fiducia laudis.
A se Tantalides onus invidiamque removit,
Argolicosque duces mediis considere castris
Jussit, et arbitrium litis trajecit in omnes.

posses etiam in moriente matre cognoscere.—*Bella movet*, occasionem præbet certamini.—Pro, certamen initur, gravius, *arma feruntur*, quia verbo ludere voluit.

623. *Non* Menelaus, Atrei filius, natu *minor*, nec Agamemnon frater *major*, et *ævo*, natu, annis, et *bello*, quia summa belli, imperium penes eum. Erat *rex regum*, ἄναξ ἀνδρῶν. *Regno*, quod habent quatuor MSS pro *bello*, et quod placet Burmanno præ altero, fluxit ex interpretatione. Solet vero Noster hujusmodi vocabulis quorum vis usu definita est, aliquid amplius addere; I, 750, *animis æqualis et annis*; VIII, 617, *animo maturus et ævo*. —*Soli creato* pro *solis creatis*, atque ita rescribi voluit Heinsius, *tantæ fiducia laudis fuit*, fidenter insignem illam gloriam adpetebant.

626. *Tantalides*, Agamemnon, cujus pater Atreus filius Pelopis, nepos Tantali fuerat. Is, quum esset dux exercitus, noluit alterutri arma adjudicare, ne *invidiam*, infamiam et odium, sibi conciliaret, sed *arbitrium litis trajecit in omnes*, voluit, ut omnes illam causam ex æquo et bono, pro meritis utriusque judicarent; ap. Hom. Od. Λ, 546, Trojani, et Pallas judicant de armis Achillis. Sic et Quintus Cal. V, 134 sqq, qui addit, Ajacem et Ulyssem judices sibi poposcisse Idomenea, Nestorem et Agamemnonem, sed hos, ut invidiam a se derivarent, judicium a se remotum detulisse ad Trojanos et Pallada.

P. OVIDII NASONIS

METAMORPHOSEON

LIBER DECIMUS TERTIUS.

N. B. Argumentum hujus Libri decimi tertii Metamorphoseon relatum invenies in serie CANTERI, tom. III, pag. 41.

FAB. I. CONSEDERE duces, et, vulgi stante corona,
Surgit ad hos clypei dominus septemplicis Ajax.

1–398. *Armorum judicium.* Nobile illud *certamen armorum* inter Ajacem Telamonium et Ulyssem, cujus occasio, lib. XII extr. narrata, cujus memoria diu inter Æolenses mansit, (Pausan. Attic. p. 86) et quod a multis auctoribus tam græcis, quam latinis, tractatum est. Tractaverant enim (ut Homer. taceam, qui Od. Λ, 542 sqq, ejus mentionem facit) Arctinus in Æthiopide atque Lesches in carmine Ἰλιὰς μικρὰ, etc. Æschylus Ὅπλων κρίσει, docuerat. Exstant adhuc Antisthenis declamationes duæ, altera Ajacis, Ulyssis altera : vide Reiskium, Oratt. græc. tom. VIII. E Latinis Pacuvius et Attius fabulas dederant, quibus nomen fuit, *Armorum judicium.* Timanthes etiam et Parrhasius pictores certaverant in hoc judicio exprimendo, et Parrhasius herois nomine moleste se ferre dicebat, quod iterum ab indigno victus esset; Plinius, XXXV, 10. Sed e poetis præter Ovidium unus restat Quintus Calaber, qui Paralip. lib. V, vs. 180–316, in hoc argumento ingenium exercuit, quem tamen longissime post se relinquit Ovidius. Præstantissimæ enim sunt hæ orationes et moratæ inprimis. Ajax iram suam in Ulyssem evomit, Ulysses contra callide et facunde causam suam agit. Uterque utitur iis, quæ periclitantibus suadet Quintilianus, Inst. VI, 1 : « Periclitantem vero commendat dignitas, et » studia fortia, et susceptæ bello » cicatrices, et nobilitas et merita » majorum. » Singula bene et collecta sunt, et amplificata. Noster, monente Seneca, Contr. II, 10, multa sumsit a M. Porcio Latrone, præceptore suo, qui et ipse armorum judicium scripserat ; vide ad vers. 121.

1. *Consedere duces et surgit ad hos,*

Utque erat impatiens iræ, Sigeia torvo
Litora respexit, classemque in litore, vultu :
Intendensque manus, « Agimus, prô Juppiter! inquit,
Ante rates causam; et mecum confertur Ulixes!
At non Hectoreis dubitavit cedere flammis,

Homericus transeundi modus, ὅγε κατ' ἄρ' ἕζετο· τοῖσι δ' ἀνίστη· *ad hos τοῖσι*, ad hos verba facturus. Sine causa Heinsius suadebat, *ab his*.— *Vulgus*, λαὸς, milites gregarii, quorum *stabat corona*, qui audiendi causa consessum judicum omni ex parte stantes cingebant. Quamquam apud Homer. vulgus sedet. — Ajaci apud Homerum, v. c. Il. Η, 927, ubi etiam describitur, datur ἑπταβόειον aut ἑπτάβοιον σάκος, septem boum coriis obductus clypeus; vide ad XII, 95 : et ipse Ajax σακεσφόρος, quod Noster interpretatur *clypei dominus*.

3. *Ut*, utpote qui; Cicero, pro Rosc. Am. 17, *Homo, ut erat furiosus, respondet*; sic et XII, 258. — *Impatiens iræ*, iracundus; Livius, V, 38, *Galli flagrantes ira, cujus impatiens gens est*; vid. Heinsius. Quint. Calab. 180, μέγ' ἀσχαλάων. Sic breviter mores Ajacis notantur, et admonemur, qualis jam oratio exspectanda sit.—*Respexit*, vultu a judicibus ad litora verso. Vulgo legitur *prospexit*; quod verbum jam damnavit Ciofan.—Regii codices dant *respexit*; hæc vera et genuina est lectio; nam *torvo vultu* mirifice commendatur; si *oculis*, non *vultu*, dixisset, aptius foret *prospexit*; sed Ajax a judicibus ad mare vultum indignabundus vertit, ergo *respexit litora*. Ed.

5. *Intendens manus*. *Intendere* et *tendere manus* promiscue usurpantur; vide Drakenb. ad Silium, XV, 640. — *Agimus causam*. Ajax non modo id agebat, ut arma acciperet, sed fortitudine sua, qua, interfecto Achille, reliquos duces omnes superabat, adeo superbiebat, ut indignissime ferret, quemquam audere, Ulyssem inprimis, non manu, sed calliditate et facundia excellentem, secum contendere. Hæc indignitate commotum animum præclare exprimit hoc exordium vers. 5-20; idemque sensus per totam orationem regnat. Indignitatem rei abrupte et cum gravi acclamatione *prô Jupiter!* dupliciter declarat: Agimus causam *ante rates*, quas ego servavi, et *mecum confertur Ulixes*, cum nobilissimo et fortissimo heroe fraudulentus et ignavus. Recte Quintilianus, Inst. Or. V, x, 41 : « Locus » ad commendationem quoque et » invidiam valet : nam et Ajax apud » Ovidium, *Ante rates*, inquit, *agi*» *mus causam*. » Hinc classem respexisse monetur, vultu ipso indignationem prodente. — *Confertur*, se confert : unus Medic. *mecum contendit Ulixes*.—Hanc lectionem postremam, quam habent Regii codices, probarem nisi infra, vers. 79, esset *mecum contende*; quæ repetitio ut vitetur, servandum est τὸ *confertur*. Ed.

7. *At non Hectoreis* etc. Trojani, Hectore duce, ignem inferre conabantur navibus Græcorum, quibus conatibus fortissime restitit Ajax; Homerus, Il. Ο et Π. Eadem re gloriatur etiam apud Quint. Calabr.

ego sustinui, quas hac a classe fugavi.
ıs est igitur fictis contendere verbis,
a pugnare manu : sed nec mihi dicere promtum,
acere est isti : quantumque ego Marte feroci,
ıtum acie valeo, tantum valet iste loquendo.
nemoranda tamen vobis mea facta, Pelasgi,
reor ; vidistis enim : sua narret Ulixes,
sine teste gerit, quorum nox conscia sola est.
ıia magna peti fateor : sed demit honorem
ılus : Ajaci non est tenuisse superbum,

ɪ. — *Sustinuit* proprie impe- ruentium, et *fugavit* hostes as ferentes, sed hinc etiam s flammas. *Removi*, quod pro prior Gronov. et duo alii exhibent, est glossa.—*Tutius* agis conducit ad gloriam con- ıdam.—*Fictis*, subdolis, *ver*- a contemtim eloquentiam ap- ; Quintus Calab. 222, *μύθων ιστυνος μεγάλων ἐπιμαίεται ἔργων.* *Quam pugnare manu*; unus ısis *quam bellare manu*; quod n frequens est Nostro, ut et ride Heins. ad Heroid. XIII, *Pugnare* est in Regiis nostris. ıent hoc heroes et milites stre- ıt eloquentiam spernant præ 'titudine, v. c. Hercules, IX, 'deus apud Euripidem, Phœn. .o3 ; Marius apud Sallustium, .XXXV, 31 ; Ajax apud An- ı. 55 : *ὁ πόλεμος οὐ λόγῳ κρίνεται, γῳ.*—*Dicere*, scil. cum facun- loquentem esse : sæpe sic *di*- ›ud Cicer.—*Facere*, præclara ra edere, fortem esse ; Sal- ı, Cat. 3, « Pulchrum est bene re reipublicæ : etiam bene di- haud absurdum est. »—*Quan*- *ie valeo* ex Neapol. dedit Hein- vulgo (et in Regiis nostris) *inque acie valeo*, ut VIII, 59, *in causaque valet.*—*Valere* arte, viri- bus, excellere.—*Iste* cum contemptu dictum.

13. *Memoranda*, enumeranda, recensenda.—*Vidistis enim*; magni æstimant bellatores, facinora sua ante oculos vel ducis vel militum edidisse ; vide Liv. XXI, 43 extr. —*Sine teste*; apud Antisth. p. 54, ille nihil facit *φανερῶς*, ego nihil *λάθρα*. —*Quorum nox conscia est*, quoniam noctu sua perpetraverat, unde ap. Sen. Troad. 754, Ulysses *nocturnus miles*, et ibid. 38, Diomedes *nocturnus Ithaci comes*. Id infra in laudem suam vertit Ulysses, sed superbus et iratus Ajax callida consilia pro ignavi animi signis habet.

17. *Ajaci non est... superbum* etc. De hoc sensu Græcorum diximus ad IX, 6 : sed vide, quam acerbe nunc eo utatur in contumeliam æmuli.— *Ajaci* cum vi pro, *mihi*; Silius, II, 29, *Armatum Hannibalem* (id est, *me*) *pœnæ petit impia tellus.* Sed Francio et Burmanno auctoribus, post *æmulus* interpungendum arbi- tratus sum : Ajaci non est superbum tenuisse, quod speravit Ulysses. In qua oppositione maximam esse vim, summamque acerbitatem quilibet

Sit licet hoc ingens, quidquid speravit Ulixes.
Iste tulit pretium jam nunc certaminis hujus,
Quo quum victus erit, mecum certasse feretur.
Atque ego, si virtus in me dubitabilis esset,
Nobilitate potens essem, Telamone creatus,
Mœnia qui forti Trojana sub Hercule cepit,
Litoraque intravit Pagasæa Colcha carina.
Æacus huic pater est, qui jura silentibus illic
Reddit, ubi Æoliden saxum grave Sisyphon urget.

facile sentiet. *Non est ei superbum*, non habet, cur superbiat; vide Burmann. ad Petron. cap. 18.— *Tenuisse*, obtinuisse. — *Quo*, scilicet certamine. Antisth. p. 54 : ὁ πόλεμος οὐ λόγῳ κρίνεται, ἀλλ' ἔργῳ. Vulgo (et in Regiis nostris) *Quod quum victus erit;* multi *Qui quum;* sed *quo* placuit Heinsio, Florentini, Berneger. Boxhorn. codicum auctoritate.

21–33. *Atque ego* etc. Nobilitatem generis jactat et jure hæreditario nititur, utrumque in contumeliam Ulyssis. Verbo tantum hæc attingit Quintus Calaber. 235–36. *Atque* inservit transitionibus; vide Clav. Cic. — *Nobilitate potens*, nobilis : additur enim *potens* omnibus iis rebus, quæ valent aliquid inter homines, quibus multum efficitur : hinc *potens auctoritate*, *favore*, *copiis* etc. De nobilitate Æacidarum vide Isocratem, Evag. pag. 452, Wolf. min. Eorum acta fuere pars illustris historiæ antiquæ; Horat. III, Od. XIX, init.—*Mœnia qui... cepit;* vide XI, 213. — *Intravit litora* pro, intravit portus. — *Pagasæa carina* (male in Regiis nostris legitur *Pegasæa*), fabricata sub Pagaso, promontorio et oppido Thessaliæ. *Ed.*

25. *Æacus... qui jura* etc. Plerique tamen veteres non nisi duos judices infernales agnoscunt, Minoa et Rhadamanthum. Æacus potius Plutonis claviger ferebatur; vide Fischer. ad Æschinem Axioch. s. 19: sed non mirum, si Ajax glorians illud maluit. Vide omnino Heynii Exc. XI ad Virg. Æneid. VI.—*Jura silentibus illic Reddit;* multi *silentibus umbris :* sed Burmannus docet *silentes* absolute interdum dici silentes umbras (Regii codices *silentibus illic*); et pro, apud inferos, satis acerbe, *illic, ubi Sisyphon saxum grave urget.* Sisyphus enim latro Anticleam, Ulyssis matrem, quum ad Laertem duceretur, compressit, ex quo concubitu Ulysses natus : duplex igitur inest convicium. Apud Euripidem, Iph. Aul. 524, Ulysses dicitur Σισύφειον σπέρμα, quod fluxit fortasse inde, quia Ulysses ingenio similior Sisypho, quam Laerti. — *Urget*. premit, degravat; nam secundum Propertium, II, XVI, 30, et alios, Sisyphus saxum cervicibus impositum apud inferos gestat. Sed quum illud etiam volvere dicatur, æque bene se habet duorum MSS Stroz. et Barber. lectio, *Æolides s. g. Sisyphus urget*, ut IV, 499, « Aut » petis, aut urges ruiturum, Sisy» phe, saxum; » vide Burmannum. — Regii codices nihil mutant : et

Æacon agnoscit summus, prolemque fatetur
Juppiter esse suam : sic ab Jove tertius Ajax.
Nec tamen hæc series in causa prosit, Achivi,
Si mihi cum magno non est communis Achille.
Frater erat; fraterna peto : quid sanguine cretus
Sisyphio, furtisque, et fraude simillimus illi,
Inserit Æacidis alienæ nomina gentis?
An quod in arma prior, nulloque sub indice veni,
Arma neganda mihi? potiorque videbitur ille,

bene *saxum*, semper imminens ac prope ruiturum, est subjectum verbi *urgere*; quamquam locum citatum non damnem. *Ed.*

27. *Agnoscit*; vulgo *agnovit*: sed præsens, quod habent nostri Regii bene est, propter sequens *fatetur*. Ed.—*Ab Jove tertius Ajax*, id est, pronepos; Æacus enim ab Jove primus, secundus Telamon. *Ed.*

29. *Series*, vulgo genealogia; Statius, Theb. VI, 269, *series antiqua parentum*; Silius, I, 88, *series nepotum*. — *In causa prosit*; vulgo *in causam* quod malim, etiamsi non id habeant codices Regii. *Ed.* — *Frater* pro patrueli, et hoc loco cum delectu. Telamon et Peleus fratres erant, ab hoc Achilles, ab illo Ajax. —*Furtisque*; quatuor *furtoque*; Oxoniensis *et furto et fraude*, quod præferebat Heinsius.— Regii nostri *furtisque et fraude*, quæ lectio bona est. —*Inserit*; plerique (et Regii cod.) *inseris*. *Inseri* eleganter dicuntur, qui in alienam gentem vel adoptantur vel se ingerunt, voc. ab insitione surculorum petito; Phædrus, III, III, 10, *insitivi liberi*, spurii.—*Nomina alienæ gentis* melius, quam, *se*, quia in serie scribuntur nomina; Plinius, paneg. XXXVII, 7, *impie his nominibus inseri publicanum*.

34. *An quod in arma prior* etc. Quum non haberet Ajax, cur sua facta commemoraret, quæ ipsi viderant Græci, copiosus est in Ulyssis sceleribus detegendis. *An quod... mihi?* Indignantis et irridentis animi est, rogare, ne ea nobis obsint, quæ prodesse nobis vel maxime in causa debent, ut IX, 21 sq, et infra vers. 135 sq. Antisth. p. 56, tantum de Ulysse : ὃς οὐχ ἑκὼν, ἀλλ' ἄκων ἀφῖκται εἰς Τροίαν· et de Ajace, ὃς πρῶτος ἀεὶ καὶ μόνος τέταγμαι.—*Nullo sub indice*, ut apud Florum, IV, 8, *sub percussore mori*. In his, *sub* causam efficientem notat. — De simulata Ulyssis insania vide Hygini fabulam 95 : « Ei erat responsum : » si ad Trojam isset, post vicesimum annum, solum, sociis perditis, egentem domum rediturum. » Itaque quum sciret ad se oratores » venturos, insaniam simulans, pileum sumsit, et equum cum bove » junxit ad aratrum. Quem Palamedes (Nauplii filius) ut vidit, » sensit simulare, atque Telemachum filium ejus, cunis sublatum, » aratro ei subjecit, et ait : simulatione deposita, inter conjuratos » veni. » De Telemacho res paulo aliter in carmine Cyprio narratur. Ægre certe impelli potuit, ut ad-

Ultima qui cepit, detrectavitque furore
Militiam ficto : donec sollertior isto,
Sed sibi inutilior, timidi commenta retexit
Naupliades animi, vitataque traxit in arma ?
Optima nunc sumat, qui sumere noluit ulla :
Nos inhonorati, et donis patruelibus orbi,
Obtulimus qui nos ad prima pericula, simus.
Atque utinam aut verus furor ille, aut creditus esset ;
Nec comes hic Phrygias unquam venisset ad arces
Hortator scelerum ! non te, Pœantia proles,

versus Trojanos proficisceretur ; Homerus, Od. Ω, 119. Idem, sed obscurius, Ulyssi objicitur apud Quintum Calabr. 193. Sed totum hoc tragici post Homerum finxerunt, monente etiam Cicerone, Offic. III, 26, ubi de honestate hujus consilii disputat. Ibidem habes hoc idem crimen a poeta antiquo tractatum. — *Sollertior*, callidior ; Quintus Calab. 199, *ὃς σεῖο φέρτερος ἔσκε βίῃ καὶ ἐΰφρονι βουλῇ*. — *Sed sibi* etc. *Sed* non nisi unus Leidens. unde sumsit Heinsius, qui malit *At*; cæteri (et Regii codices) *Et*. — *Sibi inutilior*, suæ saluti minus consulens ; vide ad vs. 59. — *Vitataque... in arma* : plurimi *jurataque traxit ad arma* ; duo *invitaque*. Regii codices *vitataque ... ad arma* ; lectio *jurata* videtur emendatio, ortaque e vitio scripturæ codicis alicujus, in quo *uitata* erat scriptum, litera *t* male formata ; nisi etiam orta sit e fabulæ Hygini ultima phrasi supra citata : *simulatione deposita*, *inter conjuratos veni*. Quidquid sit, non placet hic *jurata arma* propter seq. *juratus in arma*, vs. 50. *Ed.*—*In arma* (vel *ad arma*) *trahere*, *vocare*, *venire*, *mittere* amant poetæ. — Commode in rem suam utitur illa simulatione, *Optima nunc sumat* etc. quibus verbis indignitas rei rursus exprimitur. —Florentin. S. Marci babet *num sumat*, per interrogationem. — *Inhonorati*, nullo præmio adfecti. — *Ad prima pericula* pro, primi ad pericula, ut vers. 36, *ultima qui cepit* pro, ultimus.

43. *Furor ille* ; unus Heinsii *furor illi*, quod non improbat Burmannus, modo distinguas post *furor*. — *Nec comes* etc. Quint. Calaber, 194, *ὡς μὴ ὤφελλες ἱκέσθαι*. Tum eadem, quæ hic, exempla commemorantur, Philoctetæ et Palamedis, sed justo brevius, et sine affectuum commotione. — *Hortator scelerum*, Ulysses, ex Virgil. Æn. VI, 529. — *Pœantia proles*, Philocteta, Pœantis filius, sagittas ab Hercule acceperat (IX, 231), quibus instructus interfuit bello Trojano. Sed in itinere ex colubri morsu in insaniam versus in insula Lemno a Græcis est relictus. Hujus rei culpam in Ulyssem confert Ajax. Agamemnonis jussu factum esse tradit Hyginus, fabul. 102 ; sine dubio suaserat Ulysses Agamemnoni, ut juberet. Jam quid in hac insula per integrum prope decennium peregerit, quantosque cruciatus pertulerit, breviter hic

Expositum Lemnos nostro cum crimine haberet;
Qui nunc, ut memorant, silvestribus abditus antris,
Saxa moves gemitu, Laertiadæque precaris
Quæ meruit : quæ, si Dî sunt, non vana preceris.
Et nunc ille eadem nobis juratus in arma,
Heu! pars una ducum, quo successore sagittæ
Herculis utuntur, fractus morboque fameque,
Velaturque, aliturque avibus; volucresque petendo
Debita Trojanis exercet spicula fatis :
Ille tamen vivit, quia non comitavit Ulixen.
Mallet et infelix Palamedes esse relictus!

tangitur, quia ad Græcos loquebatur, quibus illa nota; singula tamen valent ad commiserationem faciendam, invidiamque creandam Ulyssi. Longiore narratione, eaque luctu plenissima exponitur a Quint. Calabro, IX, 352–396, ubi Diomedes et Ulysses legati ad eum veniunt, ut, quum sine ejus sagittis Ilium expugnari non posse in fatis esset (unde mox *debita*, destinata, *Trojanis fatis*, Trojano excidio, *spicula*), ipsum arcesserent. Ex Attio, qui post Sophoclem, cujus Philoct. exstat, et Euripidem hoc argumentum tractaverat, passim versiculos laudat Cicero, et Philoctetæ exemplo utitur in disputationibus de perferendis doloribus; Fin. II, 29; V, 11; Tusc. II, 7.

48. *Gemitu*, cum gemitu; Cicero, Tusc. d. l. « Adspice Philoctetam! » Cui concedendum est gementi. » Ipsum enim Herculem viderat in » Œta magnitudine dolorum ejulantem. » — *Precaris*, imprecaris. —*Si Dî sunt*, quum Dî sint : *si* nunc, ut sæpe, adfirmantis est, non autem dubitantis. Nonnulli habent *si di sint;* quidam *si di dent*. Heinsius emendabat *quæ di, di dent, non vana preceris;* aut *quæ, di dent, o non v. p.* — Regius codex A *quæ si di sint;* codex B *quæ si di dent;* emendationes Heinsii non placent. *Ed.*

50. *Eadem nobis*, græca syntaxis, ταὐτὰ ἡμῖν, *eadem* in quæ nos; Cic. Famil. IX, 6, *quod non idem illis censuissemus*. — *Una* redundanter additum. — *Fractus morbo fameque;* Quint. Calaber, 367 sqq.—*Velatur,* Philocteta apud Attium : « Configo » tardus celeres, stans volatiles, Pro » veste pennis membra textis contegens; » confer Q. Calabrum, 358, et Cic. Fin. V, 11.—*Alitur,* Sophocl. vs. 288 s.—*Exercet spicula*, ut apud Attium : « Ingemiscimus, Quod » hæc pennigero, non armigero in » corpore, Exerceantur tela. » *Debita spicula;* vide supra ad vers. 45. — *Comitavit* Heinsius e Florentino S. Marc. et uno Gronov. recepit, quia Noster hoc activo frequenter utitur. Vulgo (et in cod. Regio B) legitur *comitatur;* multi (et cod. A) *comitatus*.

56. *Mallet et Palamedes* etc. Jam Philoctetæ exemplum luctu plenissimum, et ad invidiam Ulyssi fa-

Bella movet clypeus, deque armis arma feruntur.
Non ea Tydides, non audet Oileos Ajax,
Non minor Atrides, non bello major et ævo,
Poscere, non alii : soli Telamone creato
Laertaque, fuit tantæ fiducia laudis.
A se Tantalides onus invidiamque removit,
Argolicosque duces mediis considere castris
Jussit, et arbitrium litis trajecit in omnes.

posses etiam in moriente matre cognoscere.—*Bella movet*, occasionem præbet certamini.—Pro, certamen initur, gravius, *arma feruntur*, quia verbo ludere voluit.

623. *Non* Menelaus, Atrei filius, natu *minor*, nec Agamemnon frater *major*, et *ævo*. natu, annis, et *bello*, quia summa belli, imperium penes eum. Erat *rex regum*, ἄναξ ἀνδρῶν. *Regno*, quod habent quatuor MSS pro *bello*, et quod placet Burmanno præ altero, fluxit ex interpretatione. Solet vero Noster hujusmodi vocabulis quorum vis usu definita est, aliquid amplius addere; I, 750, *animis æqualis et annis*; VIII, 617, *animo maturus et ævo*. —*Soli creato* pro *solis creatis*, atque ita rescribi voluit Heinsius, *tantæ fiducia laudis fuit*, fidenter insignem illam gloriam adpetebant.

626. *Tantalides*, Agamemnon, cujus pater Atreus filius Pelopis, nepos Tantali fuerat. Is, quum esset dux exercitus, noluit alterutri arma adjudicare, ne *invidiam*, infamiam et odium, sibi conciliaret, sed *arbitrium litis trajecit in omnes*, voluit, ut omnes illam causam ex æquo et bono, pro meritis utriusque judicarent; ap. Hom. Od. Λ, 546, Trojani, et Pallas judicant de armis Achillis. Sic et Quintus Cal. V, 134 sqq, qui addit, Ajacem et Ulyssem judices sibi poposcisse Idomenea, Nestorem et Agamemnonem, sed hos, ut invidiam a se derivarent, judicium a se remotum detulisse ad Trojanos et Pallada.

[redacted]

P. OVIDII NASONIS
METAMORPHOSEON
LIBER DECIMUS TERTIUS.

N. B. Argumentum hujus Libri decimi tertii Metamorphoseon relatum invenies in serie Canteri, tom. III, pag. 41.

Fab. I. Consedere duces, et, vulgi stante corona,
Surgit ad hos clypei dominus septemplicis Ajax.

1–398. *Armorum judicium.* Nobile illud *certamen armorum* inter Ajacem Telamonium et Ulyssem, cujus occasio, lib. XII extr. narrata, cujus memoria diu inter Æolenses mansit, (Pausan. Attic. p. 86) et quod a multis auctoribus tam græcis, quam latinis, tractatum est. Tractaverant enim (ut Homer. taceam, qui Od. Λ, 542 sqq, ejus mentionem facit) Arctinus in Æthiopide atque Lesches in carmine Ἰλιὰς μακρὰ, etc. Æschylus Ὅπλων κρίσει, docuerat. Exstant adhuc Antisthenis declamationes duæ, altera Ajacis, Ulyssis altera : vide Reiskium, Oratt. græc. tom. VIII. E Latinis Pacuvius et Attius fabulas dederant, quibus nomen fuit, *Armorum judicium.* Timanthes etiam et Parrhasius pictores certaverant in hoc judicio exprimendo, et Parrhasius herois nomine moleste se ferre dicebat, quod iterum ab indigno victus esset; Plinius, XXXV, 10. Sed e poetis præter Ovidium unus restat Quintus Calaber, qui Paralip. lib. V, vs. 180–316, in hoc argumento ingenium exercuit, quem tamen longissime post se relinquit Ovidius. Præstantissimæ enim sunt hæ orationes et moratæ inprimis. Ajax iram suam in Ulyssem evomit, Ulysses contra callide et facunde causam suam agit. Uterque utitur iis, quæ periclitantibus suadet Quintilianus, Inst. VI, 1 : « Periclitantem vero commendat dignitas, et » studia fortia, et susceptæ bello » cicatrices, et nobilitas et merita » majorum. » Singula bene et collecta sunt, et amplificata. Noster, monente Seneca, Contr. II, 10, multa sumsit a M. Porcio Latrone, præceptore suo, qui et ipse armorum judicium scripserat ; vide ad vers. 121.

1. *Consedere duces et surgit ad hos,*

Utque erat impatiens iræ, Sigeia torvo
Litora respexit, classemque in litore, vultu:
Intendensque manus, « Agimus, prô Juppiter! inquit,
Ante rates causam; et mecum confertur Ulixes!
At non Hectoreis dubitavit cedere flammis,

Homericus transeundi modus, ὄγε κατ' ἄρ' ἕζετο· τοῖσι δ' ἀνίστη· *ad hos* τοῖσι, ad hos verba facturus. Sine causa Heinsius suadebat, *ab his.*— *Vulgus*, λαὸς, milites gregarii, quorum *stabat corona*, qui audiendi causa consessum judicum omni ex parte stantes cingebant. Quamquam apud Homer. vulgus sedet. — Ajaci apud Homerum, v. c. Il. H, 927, ubi etiam describitur, datur ἑπταβόειον aut ἑπταβόειον σάκος, septem boum coriis obductus clypeus; vide ad XII, 95: et ipse Ajax σακεσφόρος, quod Noster interpretatur *clypei dominus.*

3. *Ut*, utpote qui; Cicero, pro Rosc. Am. 17, *Homo, ut erat furiosus, respondet;* sic et XII, 258. — *Impatiens iræ*, iracundus; Livius, V, 38, *Galli flagrantes ira, cujus impatiens gens est;* vid. Heinsius. Quint. Calab. 180, μέγ' ἀσχαλάων. Sic breviter mores Ajacis notantur, et admonemur, qualis jam oratio exspectanda sit.—*Respexit*, vultu a judicibus ad litora verso. Vulgo legitur *prospexit;* quod verbum jam damnavit Ciofan.—Regii codices dant *respexit;* hæc vera et genuina est lectio; nam *torvo vultu* mirifice commendatur; si *oculis*, non *vultu*, dixisset, aptius foret *prospexit;* sed Ajax a judicibus ad mare vultum indignabundus vertit, ergo *respexit litora.* Ed.

5. *Intendens manus. Intendere* et *tendere manus* promiscue usurpantur; vide Drakenb. ad Silium, XV, 640. — *Agimus causam.* Ajax non modo id agebat, ut arma acciperet, sed fortitudine sua, qua, interfecto Achille, reliquos duces omnes superabat, adeo superbiebat, ut indignissime ferret, quemquam audere, Ulyssem inprimis, non manu, sed calliditate et facundia excellentem, secum contendere. Hac indignitate commotum animum præclare exprimit hoc exordium vers. 5-20; idemque sensus per totam orationem regnat. Indignitatem rei abrupte et cum gravi acclamatione *prô Jupiter!* dupliciter declarat: Agimus causam *ante rates*, quas ego servavi, et *mecum confertur Ulixes*, cum nobilissimo et fortissimo heroe fraudulentus et ignavus. Recte Quintilianus, Inst. Or. V, x, 41: « Locus » ad commendationem quoque et » invidiam valet: nam et Ajax apud » Ovidium, *Ante rates*, inquit, *agi-* » *mus causam.* » Hinc classem respexisse monetur, vultu ipso indignationem prodente. — *Confertur*, se confert: unus Medic. *mecum contendit Ulixes.*—Hanc lectionem postremam, quam habent Regii codices, probarem nisi infra, vers. 79, esset *mecum contende;* quæ repetitio ut vitetur, servandum est τὸ *confertur.* Ed.

7. *At non Hectoreis* etc. Trojani, Hectore duce, ignem inferre conabantur navibus Græcorum, quibus conatibus fortissime restitit Ajax; Homerus, Il. O et Π. Eadem re gloriatur etiam apud Quint. Calabr.

ego sustinui, quas hac a classe fugavi.
s est igitur fictis contendere verbis,
ı pugnare manu : sed nec mihi dicere promtum,
ıcere est isti : quantumque ego Marte feroci,
tum acie valeo, tantum valet iste loquendo.
ıemoranda tamen vobis mea facta, Pelasgi,
reor; vidistis enim : sua narret Ulixes,
sine teste gerit, quorum nox conscia sola est.
ia magna peti fateor : sed demit honorem
lus : Ajaci non est tenuisse superbum,

. — *Sustinuit* proprie impe-
ruentium, et *fugavit* hostes
s ferentes, sed hinc etiam
flammas. *Removi*, quod pro
prior Gronov. et duo alii
xhibent, est glossa.—*Tutius*
gis conducit ad gloriam con-
dam.—*Fictis*, subdolis, *ver-*
contemtim eloquentiam ap-
Quintus Calab. 222, *μύθων*
ἴστυνες μεγάλων ἐπιμαίεαι ἔργων.
Quam pugnare manu; unus
sis *quam bellare manu*; quod
ı frequens est Nostro, ut et
ide Heins. ad Heroid. XIII,
Pugnare est in Regiis nostris.
ent hoc heroes et milites stre-
t eloquentiam spernant præ
titudine, v. c. Hercules, IX,
deus apud Euripidem, Phœn.
ɔ3; Marius apud Sallustium,
XXXV, 31; Ajax apud An-
. 55 : *ὁ πόλεμος οὐ λόγῳ κρίνεται,*
ῳ.—*Dicere*, scil. cum facun-
oquentem esse : sæpe sic *di-*
ud Cicer.—*Facere*, præclara
a edere, fortem esse; Sal-
, Cat. 3, « Pulchrum est bene
e reipublicæ : etiam bene di-
haud absurdum est. »—*Quan-*
ie valeo ex Neapol. dedit Hein-
vulgo (et in Regiis nostris)
inque acie valeo, ut VIII, 59, *in causaque valet*.—*Valere* arte, viribus, excellere.—*Iste* cum contemptu dictum.

13. *Memoranda*, enumeranda, recensenda.—*Vidistis enim*; magni æstimant bellatores, facinora sua ante oculos vel ducis vel militum edidisse; vide Liv. XXI, 43 extr.—*Sine teste*; apud Antisth. p. 54, ille nihil facit φανερῶς, ego nihil λάθρα.—*Quorum nox conscia est*, quoniam noctu sua perpetraverat, unde ap. Sen. Troad. 754, Ulysses *nocturnus miles*, et ibid. 38, Diomedes *nocturnus Ithaci comes*. Id infra in laudem suam vertit Ulysses, sed superbus et iratus Ajax callida consilia pro ignavi animi signis habet.

17. *Ajaci non est ... superbum* etc. De hoc sensu Græcorum diximus ad IX, 6 : sed vide, quam acerbe nunc eo utatur in contumeliam æmuli.—*Ajaci* cum vi pro, *mihi*; Silius, II, 29, *Armatum Hannibalem* (id est, *me*) *pœnæ petit impia tellus*. Sed Francio et Burmanno auctoribus, post *æmulus* interpungendum arbitratus sum : Ajaci non est superbum tenuisse, quod speravit Ulysses. In qua oppositione maximam esse vim, summamque acerbitatem quilibet

Sit licet hoc ingens, quidquid speravit Ulixes.
Iste tulit pretium jam nunc certaminis hujus,
Quo quum victus erit, mecum certasse feretur.
Atque ego, si virtus in me dubitabilis esset,
Nobilitate potens essem, Telamone creatus,
Mœnia qui forti Trojana sub Hercule cepit,
Litoraque intravit Pagasæa Colcha carina.
Æacus huic pater est, qui jura silentibus illic
Reddit, ubi Æoliden saxum grave Sisyphon urget.

facile sentiet. *Non est ei superbum*, non habet, cur superbiat; vide Burmann. ad Petron. cap. 18.— *Tenuisse*, obtinuisse. — *Quo*, scilicet certamine. Antisth. p. 54 : ὁ πόλεμος οὐ λόγῳ κρίνεται, ἀλλ' ἔργῳ. Vulgo (et in Regiis nostris) *Quod quum victus erit*; multi *Qui quum*; sed *quo* placuit Heinsio, Florentini, Berneger. Boxhorn. codicum auctoritate.

21–33. *Atque ego* etc. Nobilitatem generis jactat et jure hæreditario nititur, utrumque in contumeliam Ulyssis. Verbo tantum hæc attingit Quintus Calaber. 235–36. *Atque* inservit transitionibus; vide Clav. Cic. — *Nobilitate potens*, nobilis : additur enim *potens* omnibus iis rebus, quæ valent aliquid inter homines, quibus multum efficitur : hinc *potens auctoritate*, *favore*, *copiis* etc. De nobilitate Æacidarum vide Isocratem, Evag. pag. 452, Wolf. min. Eorum acta fuere pars illustris historiæ antiquæ; Horat. III, Od. xix, init.—*Mœnia qui... cepit*; vide XI, 213. — *Intravit litora* pro, intravit portus. — *Pagasæa carina* (male in Regiis nostris legitur *Pegasæa*), fabricata sub Pagaso, promontorio et oppido Thessaliæ. *Ed.*

25. *Æacus... qui jura* etc. Plerique tamen veteres non nisi duos judices infernales agnoscunt, Minoa et Rhadamanthum. Æacus potius Plutonis claviger ferebatur; vide Fischer. ad Æschinem Axioch. s. 19: sed non mirum, si Ajax glorians illud maluit. Vide omnino Heynii Exc. XI ad Virg. Æneid. VI.—*Jura silentibus illic Reddit*; multi *silentibus umbris*: sed Burmannus docet *silentes* absolute interdum dici silentes umbras (Regii codices *silentibus illic*); et pro, apud inferos, satis acerbe, *illic*, *ubi Sisyphon saxum grave urget*. Sisyphus enim latro Anticleam, Ulyssis matrem, quum ad Laertem duceretur, compressit, ex quo concubitu Ulysses natus: duplex igitur inest convicium. Apud Euripidem, Iph. Aul. 524, Ulysses dicitur Σισύφειον σπέρμα, quod fluxit fortasse inde, quia Ulysses ingenio similior Sisypho, quam Laerti. — *Urget*, premit, degravat; nam secundum Propertium, II, xvi, 30, et alios, Sisyphus saxum cervicibus impositum apud inferos gestat. Sed quum illud etiam volvere dicatur, æque bene se habet duorum MSS Stroz. et Barber. lectio, *Æolides s. g Sisyphus urget*, ut IV, 499, « Au » petis, aut urges ruiturum, Sisy» phe, saxum; » vide Burmannu — Regii codices nihil mutant :

Æacon agnoscit summus, prolemque fatetur
Juppiter esse suam : sic ab Jove tertius Ajax.
Nec tamen hæc series in causa prosit, Achivi,
Si mihi cum magno non est communis Achille.
Frater erat ; fraterna peto : quid sanguine cretus
Sisyphio, furtisque, et fraude simillimus illi,
Inserit Æacidis alienæ nomina gentis?
An quod in arma prior, nulloque sub indice veni,
Arma neganda mihi? potiorque videbitur ille,

bene *saxum*, semper imminens ac prope ruiturum, est subjectum verbi *urgere*; quamquam locum citatum non damnem. *Ed.*

27. *Agnoscit*; vulgo *agnovit*: sed præsens, quod habent nostri Regii bene est, propter sequens *fatetur*. Ed.—*Ab Jove tertius Ajax*, id est, pronepos; Æacus enim ab Jove primus, secundus Telamon. *Ed.*

29. *Series*, vulgo genealogia; Statius, Theb. VI, 269, *series antiqua parentum*; Silius, I, 88, *series nepotum*. — *In causa prosit*; vulgo *in causam* quod malim, etiamsi non id habeant codices Regii. *Ed.* — *Frater* pro patrueli, et hoc loco cum delectu. Telamon et Peleus fratres erant, ab hoc Achilles, ab illo Ajax. —*Furtisque*; quatuor *furtoque*; Oxoniensis *et furto et fraude*, quod præferebat Heinsius.— Regii nostri *furtisque et fraude*, quæ lectio bona est. —*Inserit*; plerique (et Regii cod.) *inseris*. *Inseri* eleganter dicuntur, qui in alienam gentem vel adoptantur vel se ingerunt, voc. ab insitione surculorum petito ; Phædrus, III, III, 10, *insitivi liberi*, spurii.—*Nomina alienæ gentis* melius, quam, *se*, quia in serie scribuntur nomina ; Plinius, paneg. XXXVII, 7, *impie his nominibus inseri publicanum*.

34. *An quod in arma prior* etc. Quum non haberet Ajax, cur sua facta commemoraret, quæ ipsi viderant Græci, copiosus est in Ulyssis sceleribus detegendis. *An quod... mihi?* Indignantis et irridentis animi est, rogare, ne ea nobis obsint, quæ prodesse nobis vel maxime in causa debent, ut IX, 21 sq, et infra vers. 135 sq. Antisth. p. 56, tantum de Ulysse : ὅς οὐχ ἑκὼν, ἀλλ' ἄκων ἀφῖκται εἰς Τροίαν· et de Ajace, ὅς πρῶτος ἀεὶ καὶ μόνος τέταγμαι.—*Nullo sub indice*, ut apud Florum, IV, 8, *sub percussore mori*. In his, *sub* causam efficientem notat. — De simulata Ulyssis insania vide Hygini fabulam 95 : « Ei erat responsum : » si ad Trojam isset, post vicesimum annum, solum, sociis perditis, egentem domum rediturum. » Itaque quum sciret ad se oratores » venturos, insaniam simulans, pileum sumsit, et equum cum bove » junxit ad aratrum. Quem Palamedes (Nauplii filius) ut vidit, » sensit simulare, atque Telemachum filium ejus, cunis sublatum, » aratro ei subjecit, et ait : simulatione deposita, inter conjuratos » veni. » De Telemacho res paulo aliter in carmine Cyprio narratur. Ægre certe impelli potuit, ut ad-

Ultima qui cepit, detrectavitque furore
Militiam ficto : donec sollertior isto,
Sed sibi inutilior, timidi commenta retexit
Naupliades animi, vitataque traxit in arma?
Optima nunc sumat, qui sumere noluit ulla :
Nos inhonorati, et donis patruelibus orbi,
Obtulimus qui nos ad prima pericula, simus.
Atque utinam aut verus furor ille, aut creditus esset;
Nec comes hic Phrygias unquam venisset ad arces
Hortator scelerum! non te, Pœantia proles,

versus Trojanos proficisceretur ; Homerus, Od. Ω, 119. Idem, sed obscurius, Ulyssi objicitur apud Quintum Calabr. 193. Sed totum hoc tragici post Homerum finxerunt, monente etiam Cicerone, Offic. III, 26, ubi de honestate hujus consilii disputat. Ibidem habes hoc idem crimen a poeta antiquo tractatum. — *Sollertior*, callidior ; Quintus Calab. 199, ὅς σέο φέρτερος ἔσκε βίῃ καὶ ἐΰφρονι βουλῇ. — *Sed sibi* etc. *Sed* non nisi unus Leidens. unde sumsit Heinsius, qui malit *At*; cæteri (et Regii codices) *Et*. — *Sibi inutilior*. suæ saluti minus consulens; vide ad vs. 59. — *Vitataque*... *in arma*; plurimi *jurataque traxit ad arma*; duo *invitaque*. Regii codices *vitataque*... *ad arma*; lectio *jurata* videtur emendatio, ortaque e vitio scripturæ codicis alicujus, in quo *uitata* erat scriptum, litera *t* male formata; nisi etiam orta sit e fabulæ Hygini ultima phrasi supra citata : *simulatione deposita*, *inter conjuratos veni*. Quidquid sit, non placet hic *jurata arma* propter seq. *juratus in arma*, vs. 50. *Ed.*—*In arma* (vel *ad arma*) *trahere*, *vocare*, *venire*, *mittere* amant poetæ. — Commode in rem suam utitur illa simulatione, *Optima nunc sumat* etc. quibus verbis indignitas rei rursus exprimitur. —Florentin. S. Marci habet *num sumat*, per interrogationem. — *Inhonorati*, nullo præmio adfecti. — *Ad prima pericula* pro, primi ad pericula, ut vers. 36, *ultima qui cepit* pro, ultimus.

43. *Furor ille*; unus Heinsii *furor illi*, quod non improbat Burmannus, modo distinguas post *furor*. — *Nec comes* etc. Quint. Calaber, 194, ὡς μὴ ὤφελες ἱκέσθαι. Tum eadem, quæ hic, exempla commemorantur, Philoctetæ et Palamedis, sed justo brevius, et sine affectuum commotione. — *Hortator scelerum*, Ulysses, ex Virgil. Æn. VI, 529. — *Pœantia proles*, Philocteta, Pœantis filius, sagittas ab Hercule acceperat (IX, 231), quibus instructus interfuit bello Trojano. Sed in itinere ex colubri morsu in insaniam versus in insula Lemno a Græcis est relictus. Hujus rei culpam in Ulyssem confert Ajax. Agamemnonis jussu factum esse tradit Hyginus, fabul. 102; sine dubio suaserat Ulysses Agamemnoni, ut juberet. Jam quid in hac insula per integrum prope decennium peregerit, quantosque cruciatus pertulerit, breviter hic

Expositum Lemnos nostro cum crimine haberet;
Qui nunc, ut memorant, silvestribus abditus antris,
Saxa moves gemitu, Laertiadæque precaris
Quæ meruit : quæ, si Dì sunt, non vana preceris.
Et nunc ille eadem nobis juratus in arma,
Heu! pars una ducum, quo successore sagittæ
Herculis utuntur, fractus morboque fameque,
Velaturque, aliturque avibus; volucresque petendo
Debita Trojanis exercet spicula fatis :
Ille tamen vivit, quia non comitavit Ulixen.
Mallet et infelix Palamedes esse relictus!

tangitur, quia ad Græcos loquebatur, quibus illa nota; singula tamen valent ad commiserationem faciendam, invidiamque creandam Ulyssi. Longiore narratione, eaque luctu plenissima exponitur a Quint. Calabro, IX, 352-396, ubi Diomedes et Ulysses legati ad eum veniunt, ut, quum sine ejus sagittis Ilium expugnari non posse in fatis esset (unde mox *debita*, destinata, *Trojanis fatis*, Trojano excidio, *spicula*), ipsum arcesserent. Ex Attio, qui post Sophoclem, cujus Philoct. exstat, et Euripidem hoc argumentum tractaverat, passim versiculos laudat Cicero, et Philoctetæ exemplo utitur in disputationibus de perferendis doloribus; Fin. II, 29; V, 11; Tusc. II, 7.

48. *Gemitu*, cum gemitu; Cicero, Tusc. d. l. « Adspice Philoctetam! » Cui concedendum est gementi. » Ipsum enim Herculem viderat in » Œta magnitudine dolorum ejulantem. » — *Precaris*, imprecaris. —*Si Di sunt*, quum Dì sint : *si* nunc, ut sæpe, adfirmantis est, non autem dubitantis. Nonnulli habent *si di sint*; quidam *si di dent*. Heinsius emendabat *quæ di, di dent, non vana preceris*; aut *quæ, di dent, o non v. p.* — Regius codex A *quæ si di sint*; codex B *quæ si di dent*; emendationes Heinsii non placent. *Ed.*

50. *Eadem nobis*, græca syntaxis, ταὐτὰ ἡμῖν, *eadem* in quæ nos; Cic. Famil. IX, 6, *quod non idem illis censuissemus*. — *Una* redundanter additum. — *Fractus morbo fameque*; Quint. Calaber, 367 sqq.—*Velatur*, Philocteta apud Attium : « Configo » tardus celeres, stans volatiles, Pro » veste pennis membra textis contegens; » confer Q. Calabrum, 358, et Cic. Fin. V, 11.—*Alitur*, Sophocl. vs. 288 s.—*Exercet spicula*, ut apud Attium : « Ingemiscimus, Quod » hæc pennigero, non armigero in » corpore, Exerceantur tela. » *Debita spicula*; vide supra ad vers. 45. — *Comitavit* Heinsius e Florentino S. Marc. et uno Gronov. recepit, quia Noster hoc activo frequenter utitur. Vulgo (et in cod. Regio B) legitur *comitatur*; multi (et cod. A) *comitatus*.

56. *Mallet et Palamedes* etc. Jam Philoctetæ exemplum luctu plenissimum, et ad invidiam Ulyssi fa-

Quod Priamus gaudere senex post Hectora posset,
Hoc fuit : ille igitur tantorum victor, Achille,
Vinceris a timido Graiæ raptore maritæ!
At si femineo fuerat tibi Marte cadendum,
Thermodontiaca malles cecidisse bipenni.

perdere in *sanguine plebis*, frustra mittere tela in milites gregarios, quibus interfectis nihil lucratur summa belli.

607. *Quod Priamus gaudere* etc. Eventum rei sententia declarat, quam valde commendabat Vinicius, summus amator Ovidii; Seneca, Controv. 33. Ad Priamum enim ob Hectorem interfectum maximum gaudium redire debebat ex Achillis morte. — *Senex* solemne Priami epitheton; *veter Priamus* dixerat Ennius. — *Gaudere*, ut *dolere* et *mærere*, passim quartum casum sibi adjunctum habet; vide Burmannum ad VII, 720. Copiosius Achillis casum enarrat Quintus Calaber, III, 176 sqq. Ibi procumbit montis instar, cum tremore telluris, armorumque fragore. In talum eum esse vulneratum idem Quintus Cal. memorat : nempe is solus vulnerabilis fuisse a recentioribus auctoribus fingebatur, quum reliquum corpus, in Styge a matre tinctum, nullis armis lædi posset. De quo commento verissime *Rousseau* (*Pensées*) : *à force d'armer Achille contre le péril, le poète lui ôte le mérite de la valeur. Tout autre à sa place eût été un Achille au même prix.*

608. *Ille igitur tantorum* etc. Epiphonema præclarum, cui simile illud de Priamo apud Virgilium, Æneid. II, 554 sqq. Initium spirat sensum Græcorum, de quo vide ad IX, 7. Ignaviæ et mollitiei Paridis picturam habes apud Horat. I, Od. XV, 13-18; quamquam Latini eum poetæ molliorem finxerunt, quam apud Homerum apparet. Nempe quia elegantia ejus ab heroum reliquorum asperitate abhorrebat, propterea ab his contemnebatur tamquam γυναιμανής; vide Jani Excursum ad Horat. d. loc. Non parum fortitudinis spirat epistola ejus ad Helenam, quæ legitur Heroid. XVI. — *Vinceris*, vulgo, et in nostro Regio A, *victus es*; nonnulli *vincitur*, sed male : vide Heinsium ad Heroid. XIV, 95. — *Maritæ*, quam habebat maritam post raptum, ut vs. 5, *rapta cum conjuge*. Id tamen non placet Burmanno qui ex uno MS præfert *juvencæ*, quia Heroid. V, 117, et apud Iscan. III, 374, Helena *Graia juvenca* vocatur; sed in utroque illo loco allegoriæ servandæ causa commode ita dicitur quæ h. l. nulla est. — *Thermodontiaca bipenni.* Penthesileam intelligit, fortissimam Amazonum, ad *Thermodonta* fluvium habitantium, reginam, quæ Trojanis auxilium tulerat adversus Græcos. Q. Calaber, I; Virgilius, Æn. I, 490; Justinus, II, IV, 31. *Bipenniferæ* Amazonis effigies expressa est apud Drakenb. ad Silium, II, 77. Ipsa Penthesilea in gemmis pluribus conspicitur. Etiam apud Quintum Calabr. I, 157, fert ἀμφίτυπον βουπλῆγα· sed in tabula, quam Pausanias, Phoc. p. 875, describit, arcum habebat Scythicis similem. Fortior Paride in eadem tabula apparebat; vultu enim declarabat, se

Jam timor ille Phrygum, decus et tutela Pelasgi
Nominis, Æacides, caput insuperabile bello,
Arserat: armarat Deus idem, idemque cremarat.
Jam cinis est, et de tam magno restat Achille
Nescio quid, parvam quod non bene compleat urnam.
At vivit, totum quæ gloria compleat orbem:
Hæc illi mensura viro respondet, et hac est
Par sibi Pelides; nec inania Tartara sentit.
Ipse etiam, ut, cujus fuerit, cognoscere possis,

eum præ se spernere. Sed et Amazonum auxilium post Homer. a poetis assumtum in belli Trojani historiam; vide Heynium ad Virg d. l.

614. *Arserat.* De combustione hac vide Homerum, Od. Ω, 57 sqq; Quintum Cal. III. — Ineptissimo rursus ingenii lusu maculat locum pulcherrimum: *armarat deus idem, idemque cremarat*, nempe Vulcanus arma ejus fabricaverat, et Vulcanus, hoc est, ignis, corpus ejus absumserat; Homerus, d. l. vers. 71, *εἰ φλὸξ ἤνυσεν Ἡφαίστοιο.*

615. *Cinis est* aut *cinis exiguus jacet*, sollemne de mortuo, sed h. l. magna cum vi post superiora illa, *timor ille Phrygum* etc. et *τὸ exiguus* præclare sic exornat, *de tam magno restat Achille Nescio quid*, particula minima, et vix sensibilis, *quod non bene* (exquisite pro, non prorsus, non plane) *urnam compleat.* Pro *nescio quid, parvam quod* etc. omnes fere libri scripti (exceptis Regiis nostris) habent *nescio quid parvum, quod* etc. mutata distinctione. *Parvæ* autem et exiles esse solebant urnæ, ut apparet ex iis, quæ etiam nunc supersunt. Præiverat Nostro Propertius, II, VII, 51, ubi Briseis *tanti corpus Achillei Maximaque in parva sustulit ossa manu*; et IV, XI, 14, ubi sepulta Cornelia, postquam dignitatem suam nihil sibi profuisse questa est, addit. *En! sum quod digitis quinque levatur onus.* Sed pueriliter gravissimam sententiam tractavit Senec. Herc. Œt. vs. 1758 sq: « Tam parvus cinis Herculeus est; » huc ille decrevit gigas. O quanta, » Titan, in nihil moles abit!... ecce » vix totam Hercules Complevit ur» nam; quam leve est pondus mihi, » Cui totus æther pondus incubuit » leve. » Achillis cineres vino conspersos et unguento Thetis condidit in urna, quam, Vulcani opus, a Baccho acceperat: Hom. d. l.

617. *At vivit, totum quæ* etc. Non minus bene sequentia de gloria dicta. — *Respondet*, congrua est viro illi. — *Hac*, ab hac parte. — *Inania Tartara non sentit*, nunquam morietur. — Hunc locum ita e vestigiis codicum constituit Heinsius, quem vide ad Heroid. XX, 62. In Regiis nostris legitur *Par tibi*, non male per apostrophen; sed voces non concordant; legi enim deberet: *et hac es Par tibi. Pelide, nec inania Tartara sentis.* Ed.

620. *Cognoscere* sic etiam Heroid. IX, 151, *Tu quoque cognosces in me, Meleagre, sororem;* et apud Justinum, XIV, VI, 11, *ut Alexandrum*

Quod Priamus gaudere senex post Hectora posset,
Hoc fuit : ille igitur tantorum victor, Achille,
Vinceris a timido Graiæ raptore maritæ!
At si femineo fuerat tibi Marte cadendum,
Thermodontiaca malles cecidisse bipenni.

perdere in *sanguine plebis*, frustra mittere tela in milites gregarios, quibus interfectis nihil lucratur summa belli.

607. *Quod Priamus gaudere* etc. Eventum rei sententia declarat, quam valde commendabat Vinicius, summus amator Ovidii; Seneca, Controv. 33. Ad Priamum enim ob Hectorem interfectum maximum gaudium redire debebat ex Achillis morte. — *Senex* solemne Priami epitheton; *veter Priamus* dixerat Ennius. — *Gaudere*, ut *dolere* et *mærere*, passim quartum casum sibi adjunctum habet; vide Burmannum ad VII, 720. Copiosius Achillis casum enarrat Quintus Calaber, III, 176 sqq. Ibi procumbit montis instar, cum tremore telluris, armorumque fragore. In talum eum esse vulneratum idem Quintus Cal. memorat : nempe is solus vulnerabilis fuisse a recentioribus auctoribus fingebatur, quum reliquum corpus, in Styge a matre tinctum, nullis armis lædi posset. De quo commento verissime *Rousseau* (*Pensées*) : *à force d'armer Achille contre le péril, le poète lui ôte le mérite de la valeur. Tout autre à sa place eût été un Achille au même prix.*

608. *Ille igitur tantorum* etc. Epiphonema præclarum, cui simile illud de Priamo apud Virgilium, Æneid. II, 554 sqq. Initium spirat sensum Græcorum, de quo vide ad IX, 7. Ignaviæ et mollitiei Paridis picturam habes apud Horat. I, Od. XV, 13-18; quamquam Latini eum poetæ molliorem finxerunt, quam apud Homerum apparet. Nempe quia elegantia ejus ab heroum reliquorum asperitate abhorrebat, propterea ab his contemnebatur tamquam γυναιμανής; vide Jani Excursum ad Horat. d. loc. Non parum fortitudinis spirat epistola ejus ad Helenam, quæ legitur Heroid. XVI. —*Vinceris*, vulgo, et in nostro Regio A, *victus es*; nonnulli *vincitur*, sed male : vide Heinsium ad Heroid. XIV, 95.—*Maritæ*, quam habebat maritam post raptum, ut vs. 5, *rapta cum conjuge*. Id tamen non placet Burmanno qui ex uno MS præfert *juvencæ*, quia Heroid. V, 117, et apud Iscan. III, 374, Helena *Graia juvenca* vocatur; sed in utroque illo loco allegoriæ servandæ causa commode ita dicitur quæ h. l. nulla est.—*Thermodontiaca bipenni.* Penthesileam intelligit, fortissimam Amazonum, ad *Thermodonta* fluvium habitantium, reginam, quæ Trojanis auxilium tulerat adversus Græcos. Q. Calaber, I; Virgilius, Æn. I, 490; Justinus, II, IV, 31. *Bipenniferæ* Amazonis effigies expressa est apud Drakenb. ad Silium, II, 77. Ipsa Penthesilea in gemmis pluribus conspicitur. Etiam apud Quintum Calabr. I, 157, fert ἀργίτυκον βουπλῆγα· sed in tabula, quam Pausanias, Phoc. p. 875, describit, arcum habebat Scythicis similem. Fortior Paride in eadem tabula apparebat; vultu enim declarabat, se

Jam timor ille Phrygum, decus et tutela Pelasgi
Nominis, Æacides, caput insuperabile bello,
Arserat: armarat Deus idem, idemque cremarat.
Jam cinis est, et de tam magno restat Achille
Nescio quid, parvam quod non bene compleat urnam.
At vivit, totum quæ gloria compleat orbem:
Hæc illi mensura viro respondet, et hac est
Par sibi Pelides; nec inania Tartara sentit.
Ipse etiam, ut, cujus fuerit, cognoscere possis,

eum præ se spernere. Sed et Amazonum auxilium post Homer. a poetis assumtum in belli Trojani historiam; vide Heynium ad Virg d. l.

614. *Arserat*. De combustione hac vide Homerum, Od. Ω, 57 sqq; Quintum Cal. III. — Ineptissimo rursus ingenii lusu maculat locum pulcherrimum: *armarat deus idem, idemque cremarat*, nempe Vulcanus arma ejus fabricaverat, et Vulcanus, hoc est, ignis, corpus ejus absumserat; Homerus, d. l. vers. 71, εἰ φλὸξ ἤνυσεν Ἡφαίστοιο.

615. *Cinis est* aut *cinis exiguus jacet*, sollemne de mortuo, sed h. l. magna cum vi post superiora illa, *timor ille Phrygum* etc. et τὸ *exiguus* præclare sic exornat, *de tam magno restat Achille Nescio quid*, particula minima, et vix sensibilis, *quod non bene* (exquisite pro, non prorsus, non plane) *urnam compleat*. Pro *nescio quid, parvam quod* etc. omnes fere libri scripti (exceptis Regiis nostris) habent *nescio quid parvum, quod* etc. mutata distinctione. *Parvæ* autem et exiles esse solebant urnæ, ut apparet ex iis, quæ etiam nunc supersunt. Præiverat Nostro Propertius, II, VII, 51, ubi Briseis *tanti corpus Achillei Maximaque in parva sustulit ossa manu*; et IV, XI, 14, ubi sepulta Cornelia, postquam dignitatem suam nihil sibi profuisse questa est, addit. *En! sum quod digitis quinque levatur onus*. Sed pueriliter gravissimam sententiam tractavit Senec. Herc. Œt. vs. 1758 sq: « Tam parvus cinis Herculeus est; » huc ille decrevit gigas. O quanta, » Titan, in nihil moles abit!... ecce » vix totam Hercules Complevit ur» nam; quam leve est pondus mihi, » Cui totus æther pondus incubuit » leve. » Achillis cineres vino conspersos et unguento Thetis condidit in urna, quam, Vulcani opus, a Baccho acceperat: Hom. d. l.

617. *At vivit, totum quæ* etc. Non minus bene sequentia de gloria dicta. — *Respondet*, congrua est viro illi. — *Hac*, ab hac parte. — *Inania Tartara non sentit*, nunquam morietur. — Hunc locum ita e vestigiis codicum constituit Heinsius, quem vide ad Heroid. XX, 62. In Regiis nostris legitur *Par tibi*, non male per apostrophen; sed voces non concordant; legi enim deberet: *et hac es Par tibi. Pelide, nec inania Tartara sentis*. Ed.

620. *Cognoscere* sic etiam Heroid. IX, 151, *Tu quoque cognosces in me, Meleagre, sororem*; et apud Justinum, XIV, VI, 11, *ut Alexandrum*

Bella movet clypeus, deque armis arma feruntur.
Non ea Tydides, non audet Oileos Ajax,
Non minor Atrides, non bello major et ævo,
Poscere, non alii : soli Telamone creato
Laertaque, fuit tantæ fiducia laudis.
A se Tantalides onus invidiamque removit,
Argolicosque duces mediis considere castris
Jussit, et arbitrium litis trajecit in omnes.

posses etiam in moriente matre cognoscere.—Bella movet, occasionem præbet certamini.—Pro, certamen initur, gravius, *arma feruntur*, quia verbo ludere voluit.

623. *Non* Menelaus, Atrei filius, natu *minor*, nec Agamemnon frater *major*, et *ævo*. natu, annis, et *bello*, quia summa belli, imperium penes eum. Erat *rex regum*, ἄναξ ἀνδρῶν. *Regno*, quod habent quatuor MSS pro *bello*, et quod placet Burmanno præ altero, fluxit ex interpretatione. Solet vero Noster hujusmodi vocabulis quorum vis usu definita est, aliquid amplius addere; I, 750, *animis æqualis et annis*; VIII, 617, *animo maturus et ævo*. —*Soli creato* pro *solis creatis*, atque ita rescribi voluit Heinsius, *tantæ fiducia laudis fuit*, fidenter insignem illam gloriam adpetebant.

626. *Tantalides*, Agamemnon, cujus pater Atreus filius Pelopis, nepos Tantali fuerat. Is, quum esset dux exercitus, noluit alterutri arma adjudicare, ne *invidiam*, infamiam et odium, sibi conciliaret, sed *arbitrium litis trajecit in omnes*, voluit, ut omnes illam causam ex æquo et bono, pro meritis utriusque judicarent; ap. Hom. Od. Λ, 546, Trojani, et Pallas judicant de armis Achillis. Sic et Quintus Cal. V, 134 sqq, qui addit, Ajacem et Ulyssem judices sibi poposcisse Idomenea, Nestorem et Agamemnonem, sed hos, ut invidiam a se derivarent, judicium a se remotum detulisse ad Trojanos et Pallada.

P. OVIDII NASONIS
METAMORPHOSEON
LIBER DECIMUS TERTIUS.

N. B. Argumentum hujus Libri decimi tertii Metamorphoseon relatum invenies in serie CANTERI, tom. III, pag. 41.

FAB. I. CONSEDERE duces, et, vulgi stante corona,
Surgit ad hos clypei dominus septemplicis Ajax.

1–398. *Armorum judicium.* Nobile illud *certamen armorum* inter Ajacem Telamonium et Ulyssem, cujus occasio, lib. XII extr. narrata, cujus memoria diu inter Æolenses mansit, (Pausan. Attic. p. 86) et quod a multis auctoribus tam græcis, quam latinis, tractatum est. Tractaverant enim (ut Homer. taceam, qui Od. Λ, 542 sqq, ejus mentionem facit) Arctinus in Æthiopide atque Lesches in carmine Ἰλιὰς μικρὰ, etc. Æschylus Ὅπλων κρίσει, docuerat. Exstant adhuc Antisthenis declamationes duæ, altera Ajacis, Ulyssis altera : vide Reiskium, Oratt. græc. tom. VIII. E Latinis Pacuvius et Attius fabulas dederant, quibus nomen fuit, *Armorum judicium.* Timanthes etiam et Parrhasius pictores certaverant in hoc judicio exprimendo, et Parrhasius herois nomine moleste se ferre dicebat, quod iterum ab indigno victus esset; Plinius, XXXV, 10. Sed e poetis præter Ovidium unus restat Quintus Calaber, qui Paralip. lib. V, vs. 180–316, in hoc argumento ingenium exercuit, quem tamen longissime post se relinquit Ovidius. Præstantissimæ enim sunt hæ orationes et moratæ inprimis. Ajax iram suam in Ulyssem evomit, Ulysses contra callide et facunde causam suam agit. Uterque utitur iis, quæ periclitantibus suadet Quintilianus, Inst. VI, 1 : « Periclitantem vero commendat dignitas, et » studia fortia, et susceptæ bello » cicatrices, et nobilitas et merita » majorum. » Singula bene et collecta sunt, et amplificata. Noster, monente Seneca, Contr. II, 10, multa sumsit a M. Porcio Latrone, præceptore suo, qui et ipse armorum judicium scripserat; vide ad vers. 121.

1. *Consedere duces et surgit ad hos.*

Sit licet hoc ingens, quidquid speravit Ulixes.
Iste tulit pretium jam nunc certaminis hujus,
Quo quum victus erit, mecum certasse feretur.
Atque ego, si virtus in me dubitabilis esset,
Nobilitate potens essem, Telamone creatus,
Mœnia qui forti Trojana sub Hercule cepit,
Litoraque intravit Pagasæa Colcha carina.
Æacus huic pater est, qui jura silentibus illic
Reddit, ubi Æoliden saxum grave Sisyphon urget.

facile sentiet. *Non est ei superbum*, non habet, cur superbiat; vide Burmann. ad Petron. cap. 18.—*Tenuisse*, obtinuisse. — *Quo*, scilicet certamine. Antisth. p. 54: ὁ πόλεμος οὐ λόγῳ κρίνεται, ἀλλ' ἔργῳ. Vulgo (et in Regiis nostris) *Quod quum victus erit*; multi *Qui quum*; sed *quo* placuit Heinsio, Florentini, Berneger. Boxhorn. codicum auctoritate.

21–33. *Atque ego* etc. Nobilitatem generis jactat et jure hæreditario nititur, utrumque in contumeliam Ulyssis. Verbo tantum hæc attingit Quintus Calaber. 235–36. *Atque* inservit transitionibus; vide Clav. Cic. — *Nobilitate potens*, nobilis: additur enim *potens* omnibus iis rebus, quæ valent aliquid inter homines, quibus multum efficitur: hinc *potens auctoritate*, *favore*, *copiis* etc. De nobilitate Æacidarum vide Isocratem, Evag. pag. 452, Wolf. min. Eorum acta fuere pars illustris historiæ antiquæ; Horat. III, Od. XIX, init.—*Mœnia qui... cepit*; vide XI, 213. — *Intravit litora* pro, intravit portus. — *Pagasæa carina* (male in Regiis nostris legitur *Pegasæa*), fabricata sub Pagaso, promontorio et oppido Thessaliæ. *Ed.*

25. *Æacus... qui jura* etc. Plerique tamen veteres non nisi duos judices infernales agnoscunt, Minoa et Rhadamanthum. Æacus potius Plutonis claviger ferebatur; vide Fischer. ad Æschinem Axioch. s. 19: sed non mirum, si Ajax glorians illud maluit. Vide omnino Heynii Exc. XI ad Virg. Æneid. VI.—*Jura silentibus illic Reddit*; multi *silentibus umbris*; sed Burmannus docet *silentes* absolute interdum dici silentes umbras (Regii codices *silentibus illic*); et pro, apud inferos, satis acerbe, *illic*, *ubi Sisyphon saxum grave urget*. Sisyphus enim latro Anticleam, Ulyssis matrem, quum ad Laertem duceretur, compressit, ex quo concubitu Ulysses natus: duplex igitur inest convicium. Apud Euripidem, Iph. Aul. 524, Ulysses dicitur Σισύφειον σπέρμα, quod fluxit fortasse inde, quia Ulysses ingenio similior Sisypho, quam Laerti. — *Urget*. premit, degravat; nam secundum Propertium, II, XVI, 30, et alios, Sisyphus saxum cervicibus impositum apud inferos gestat. Sed quum illud etiam volvere dicatur, æque bene se habet duorum MSS Stroz. et Barber. lectio, *Æolides s. g. Sisyphus urget*, ut IV, 499, « Aut » petis, aut urges ruiturum, Sisy» phe, saxum; » vide Burmannum. — Regii codices nihil mutant: et

Æacon agnoscit summus, prolemque fatetur
Juppiter esse suam : sic ab Jove tertius Ajax.
Nec tamen hæc series in causa prosit, Achivi,
Si mihi cum magno non est communis Achille.
Frater erat; fraterna peto : quid sanguine cretus
Sisyphio, furtisque, et fraude simillimus illi,
Inserit Æacidis alienæ nomina gentis?
An quod in arma prior, nulloque sub indice veni,
Arma neganda mihi? potiorque videbitur ille,

bene *saxum*, semper imminens ac prope ruiturum, est subjectum verbi *urgere*; quamquam locum citatum non damnem. *Ed.*

27. *Agnoscit*; vulgo *agnovit*: sed præsens, quod habent nostri Regii bene est, propter sequens *fatetur*. Ed.—*Ab Jove tertius Ajax*, id est, pronepos; Æacus enim ab Jove primus, secundus Telamon. *Ed.*

29. *Series*, vulgo genealogia; Statius, Theb. VI, 269, *series antiquæ parentum*; Silius, I, 88, *series nepotum*. — *In causa prosit*; vulgo *in causam* quod malim, etiamsi non id habeant codices Regii. *Ed.* — *Frater* pro patrueli, et hoc loco cum delectu. Telamon et Peleus fratres erant, ab hoc Achilles, ab illo Ajax. —*Furtisque*; quatuor *furtoque*; Oxoniensis *et furto et fraude*, quod præferebat Heinsius.— Regii nostri *furtisque et fraude*, quæ lectio bona est. —*Inserit*; plerique (et Regii cod.) *inseris*. *Inseri* eleganter dicuntur, qui in alienam gentem vel adoptantur vel se ingerunt, voc. ab insitione surculorum petito; Phædrus, III, III, 10, *insitivi liberi*, spurii.—*Nomina alienæ gentis* melius, quam, *se*, quia in serie scribuntur nomina; Plinius, paneg. XXXVII, 7, *impie his nominibus inseri publicanum.*

34. *An quod in arma prior* etc. Quum non haberet Ajax, cur sua facta commemoraret, quæ ipsi viderant Græci, copiosus est in Ulyssis sceleribus detegendis. *An quod* ... *mihi?* Indignantis et irridentis animi est, rogare, ne ea nobis obsint, quæ prodesse nobis vel maxime in causa debent, ut IX, 21 sq, et infra vers. 135 sq. Antisth. p. 56, tantum de Ulysse : ὃς οὐχ ἑκὼν, ἀλλ' ἄκων ἀφῖκται εἰς Τροίαν· et de Ajace, ὃς πρῶτος ἀεὶ καὶ μόνος τέταγμαι.—*Nullo sub indice*, ut apud Florum, IV, 8, *sub percussore mori*. In his, *sub* causam efficientem notat. — De simulata Ulyssis insania vide Hygini fabulam 95 : « Ei erat responsum : » si ad Trojam isset, post vicesimum annum, solum, sociis perditis, egentem domum rediturum. » Itaque quum sciret ad se oratores » venturos, insaniam simulans, pileum sumsit, et equum cum bove » junxit ad aratrum. Quem Palamedes (Nauplii filius) ut vidit, » sensit simulare, atque Telemachum filium ejus, cunis sublatum, » aratro ei subjecit, et ait : simulatione deposita, inter conjuratos » veni. » De Telemacho res paulo aliter in carmine Cyprio narratur. Ægre certe impelli potuit, ut ad-

Ultima qui cepit, detrectavitque furore
Militiam ficto : donec sollertior isto,
Sed sibi inutilior, timidi commenta retexit
Naupliades animi, vitataque traxit in arma ?
Optima nunc sumat, qui sumere noluit ulla :
Nos inhonorati, et donis patruelibus orbi,
Obtulimus qui nos ad prima pericula, simus.
Atque utinam aut verus furor ille, aut creditus esset ;
Nec comes hic Phrygias unquam venisset ad arces
Hortator scelerum ! non te, Pœantia proles,

versus Trojanos proficisceretur ; Homerus, Od. Ω, 119. Idem, sed obscurius, Ulyssi objicitur apud Quintum Calabr. 193. Sed totum hoc tragici post Homerum finxerunt, monente etiam Cicerone, Offic. III, 26, ubi de honestate hujus consilii disputat. Ibidem habes hoc idem crimen a poeta antiquo tractatum. — *Sollertior*, callidior ; Quintus Calab. 199, ὅς σέο φέρτερος ἔσκε βίῃ καὶ ἐΰφρονι βουλῇ. — *Sed sibi* etc. *Sed* non nisi unus Leidens. unde sumsit Heinsius, qui malit *At*; cæteri (et Regii codices) *Et*. — *Sibi inutilior*, suæ saluti minus consulens ; vide ad vs. 59. — *Vitataque... in arma* ; plurimi *jurataque traxit ad arma* ; duo *invitaque*. Regii codices *vitataque ... ad arma* ; lectio *jurata* videtur emendatio, ortaque e vitio scripturæ codicis alicujus, in quo *uitata* erat scriptum, litera *t* male formata ; nisi etiam orta sit e fabulæ Hygini ultima phrasi supra citata : *simulatione deposita*, *inter conjuratos veni*. Quidquid sit, non placet hic *jurata arma* propter seq. *juratus in arma*, vs. 50. *Ed.*—*In arma* (vel *ad arma*) *trahere*, *vocare*, *venire*, *mittere* amant poetæ. — Commode in rem suam utitur illa simulatione, *Optima nunc sumat* etc. quibus verbis indignitas rei rursus exprimitur. —Florentin. S. Marci habet *num sumat*, per interrogationem. — *Inhonorati*, nullo præmio adfecti. — *Ad prima pericula* pro, primi ad pericula, ut vers. 36, *ultima qui cepit* pro, ultimus.

43. *Furor ille* ; unus Heinsii *furor illi*, quod non improbat Burmannus, modo distinguas post *furor*. — *Nec comes* etc. Quint. Calaber, 194, ὡς μὴ ὤφελλες ἱκέσθαι. Tum eadem, quæ hic, exempla commemorantur, Philoctetæ et Palamedis, sed justo brevius, et sine affectuum commotione. — *Hortator scelerum*, Ulysses, ex Virgil. Æn. VI, 529. — *Pœantia proles*, Philocteta, Pœantis filius, sagittas ab Hercule acceperat (IX, 231), quibus instructus interfuit bello Trojano. Sed in itinere ex colubri morsu in insaniam versus in insula Lemno a Græcis est relictus. Hujus rei culpam in Ulyssem confert Ajax. Agamemnonis jussu factum esse tradit Hyginus, fabul. 102 ; sine dubio suaserat Ulysses Agamemnoni, ut juberet. Jam quid in hac insula per integrum prope decennium peregerit, quantosque cruciatus pertulerit, breviter hic

Expositum Lemnos nostro cum crimine haberet;
Qui nunc, ut memorant, silvestribus abditus antris,
Saxa moves gemitu, Laertiadæque precaris
Quæ meruit : quæ, si Dì sunt, non vana preceris.
Et nunc ille eadem nobis juratus in arma,
Heu! pars una ducum, quo successore sagittæ
Herculis utuntur, fractus morboque fameque,
Velaturque, aliturque avibus; volucresque petendo
Debita Trojanis exercet spicula fatis :
Ille tamen vivit, quia non comitavit Ulixen.
Mallet et infelix Palamedes esse relictus!

tangitur, quia ad Græcos loquebatur, quibus illa nota; singula tamen valent ad commiserationem faciendam, invidiamque creandam Ulyssi. Longiore narratione, eaque luctu plenissima exponitur a Quint. Calabro, IX, 352–396, ubi Diomedes et Ulysses legati ad eum veniunt, ut, quum sine ejus sagittis Ilium expugnari non posse in fatis esset (unde mox *debita*, destinata, *Trojanis fatis*, Trojano excidio, *spicula*), ipsum arcesserent. Ex Attio, qui post Sophoclem, cujus Philoct. exstat, et Euripidem hoc argumentum tractaverat, passim versiculos laudat Cicero, et Philoctetæ exemplo utitur in disputationibus de perferendis doloribus; Fin. II, 29; V, 11; Tusc. II, 7.

48. *Gemitu*, cum gemitu; Cicero, Tusc. d. l. « Adspice Philoctetam! » Cui concedendum est gementi. » Ipsum enim Herculem viderat in » Œta magnitudine dolorum ejulantem. » — *Precaris*, imprecaris. —*Si Dì sunt*, quum Dì sint: *si* nunc, ut sæpe, adfirmantis est, non autem dubitantis. Nonnulli habent *si di sint*; quidam *si di dent*. Heinsius emendabat *quæ di, di dent, non vana preceris*; aut *quæ, di dent, o non v. p.* — Regius codex A *quæ si di sint*; codex B *quæ si di dent*; emendationes Heinsii non placent. *Ed.*

50. *Eadem nobis*, græca syntaxis, ταυτὰ ἡμῖν, *eadem* in quæ nos; Cic. Famil. IX, 6, *quod non idem illis censuissemus*. — *Una* redundanter additum. — *Fractus morbo fameque*; Quint. Calaber, 367 sqq.—*Velatur*, Philocteta apud Attium : « Configo » tardus celeres, stans volatiles, Pro » veste pennis membra textis conte» gens; » confer Q. Calabrum, 358, et Cic. Fin. V, 11.—*Alitur*, Sophocl. vs. 288 s.—*Exercet spicula*, ut apud Attium : « Ingemiscimus, Quod » hæc pennigero, non armigero in » corpore, Exerceantur tela. » *Debita spicula*; vide supra ad vers. 45. — *Comitavit* Heinsius e Florentino S. Marc. et uno Gronov. recepit, quia Noster hoc activo frequenter utitur. Vulgo (et in cod. Regio B) legitur *comitatur*; multi (et cod. A) *comitatus*.

56. *Mallet et Palamedes* etc. Jam Philoctetæ exemplum luctu plenissimum, et ad invidiam Ulyssi fa-

Quod Priamus gaudere senex post Hectora posset,
Hoc fuit : ille igitur tantorum victor, Achille,
Vinceris a timido Graiæ raptore maritæ!
At si femineo fuerat tibi Marte cadendum,
Thermodontiaca malles cecidisse bipenni.

perdere in *sanguine plebis*, frustra mittere tela in milites gregarios, quibus interfectis nihil lucratur summa belli.

607. *Quod Priamus gaudere* etc. Eventum rei sententia declarat, quam valde commendabat Vinicius, summus amator Ovidii; Seneca, Controv. 33. Ad Priamum enim ob Hectorem interfectum maximum gaudium redire debebat ex Achillis morte. — *Senex* solemne Priami epitheton; *veter Priamus* dixerat Ennius. — *Gaudere*, ut *dolere* et *mærere*, passim quartum casum sibi adjunctum habet; vide Burmannum ad VII, 720. Copiosius Achillis casum enarrat Quintus Calaber, III, 176 sqq. Ibi procumbit montis instar, cum tremore telluris, armorumque fragore. In talum eum esse vulneratum idem Quintus Cal. memorat : nempe is solus vulnerabilis fuisse a recentioribus auctoribus fingebatur, quum reliquum corpus, in Styge a matre tinctum, nullis armis lædi posset. De quo commento verissime *Rousseau* (*Pensées*) : *à force d'armer Achille contre le péril, le poète lui ôte le mérite de la valeur. Tout autre à sa place eût été un Achille au même prix.*

608. *Ille igitur tantorum* etc. Epiphonema præclarum, cui simile illud de Priamo apud Virgilium, Æneid. II, 554 sqq. Initium spirat sensum Græcorum, de quo vide ad IX, 7. Ignaviæ et mollitiei Paridis picturam habes apud Horat. I, Od. XV, 13–18; quamquam Latini eum poetæ molliorem finxerunt, quam apud Homerum apparet. Nempe quia elegantia ejus ab heroum reliquorum asperitate abhorrebat, propterea ab his contemnebatur tamquam γυναιμανής; vide Jani Excursum ad Horat. d. loc. Non parum fortitudinis spirat epistola ejus ad Helenam, quæ legitur Heroid. XVI. — *Vinceris*, vulgo, et in nostro Regio A, *victus es;* nonnulli *vincitur*, sed male : vide Heinsium ad Heroid. XIV, 95. — *Maritæ*, quam habebat maritam post raptum, ut vs. 5, *rapta cum conjuge*. Id tamen non placet Burmanno qui ex uno MS præfert *juvencæ*, quia Heroid. V, 117, et apud Iscan. III, 374, Helena *Graia juvenca* vocatur; sed in utroque illo loco allegoriæ servandæ causa commode ita dicitur quæ h. l. nulla est. — *Thermodontiaca bipenni.* Penthesileam intelligit, fortissimam Amazonum, ad *Thermodonta* fluvium habitantium, reginam, quæ Trojanis auxilium tulerat adversus Græcos. Q. Calaber, I; Virgilius, Æn. I, 490; Justinus, II, IV, 31. *Bipennifera* Amazonis effigies expressa est apud Drakenb. ad Silium, II, 77. Ipsa Penthesilea in gemmis pluribus conspicitur. Etiam apud Quintum Calabr. I, 157, fert ἀμφίτυπον βουπλῆγα· sed in tabula, quam Pausanias, Phoc. p. 875, describit, arcum habebat Scythicis similem. Fortior Paride in eadem tabula apparebat; vultu enim declarabat, se

Jam timor ille Phrygum, decus et tutela Pelasgi
Nominis, Æacides, caput insuperabile bello,
Arserat: armarat Deus idem, idemque cremarat.
Jam cinis est, et de tam magno restat Achille
Nescio quid, parvam quod non bene compleat urnam.
At vivit, totum quæ gloria compleat orbem:
Hæc illi mensura viro respondet, et hac est
Par sibi Pelides; nec inania Tartara sentit.
Ipse etiam, ut, cujus fuerit, cognoscere possis,

eum præ se spernere. Sed et Amazonum auxilium post Homer. a poetis assumtum in belli Trojani historiam; vide Heynium ad Virg d. l.

614. *Arserat*. De combustione hac vide Homerum, Od. Ω, 57 sqq; Quintum Cal. III. — Ineptissimo rursus ingenii lusu maculat locum pulcherrimum: *armarat deus idem, idemque cremarat*, nempe Vulcanus arma ejus fabricaverat, et Vulcanus, hoc est, ignis, corpus ejus absumserat; Homerus, d. l. vers. 71, εἰ φλὸξ ἤνυσεν Ἡφαίστοιο.

615. *Cinis est* aut *cinis exiguus jacet*, sollemne de mortuo, sed h. l. magna cum vi post superiora illa, *timor ille Phrygum* etc. et τὸ *exiguus* præclare sic exornat, *de tam magno restat Achille Nescio quid*, particula minima, et vix sensibilis, *quod non bene* (exquisite pro, non prorsus, non plane) *urnam compleat*. Pro *nescio quid, parvam quod* etc. omnes fere libri scripti (exceptis Regiis nostris) habent *nescio quid parvum, quod* etc. mutata distinctione. *Parvæ* autem et exiles esse solebant urnæ, ut apparet ex iis, quæ etiam nunc supersunt. Præiverat Nostro Propertius, II, VII, 51, ubi Briseis *tanti corpus Achillei Maximaque in parva sustulit ossa manu*; et IV, XI, 14, ubi sepulta Cornelia, postquam dignitatem suam nihil sibi profuisse questa est, addit. *En! sum quod digitis quinque levatur onus*. Sed pueriliter gravissimam sententiam tractavit Senec. Herc. Œt. vs. 1758 sq: « Tam parvus cinis Herculeus est; » huc ille decrevit gigas. O quanta, » Titan, in nihil moles abit!... ecce » vix totam Hercules Complevit urnam; quam leve est pondus mihi, » Cui totus æther pondus incubuit » leve. » Achillis cineres vino conspersos et unguento Thetis condidit in urna, quam, Vulcani opus, a Baccho acceperat: Hom. d. l.

617. *At vivit, totum quæ* etc. Non minus bene sequentia de gloria dicta. — *Respondet*, congrua est viro illi. — *Hac*, ab hac parte. — *Inania Tartara non sentit*, nunquam morietur. — Hunc locum ita e vestigiis codicum constituit Heinsius, quem vide ad Heroid. XX, 62. In Regiis nostris legitur *Par tibi*, non male per apostrophen; sed voces non concordant; legi enim deberet: *et hac es Par tibi. Pelide, nec inania Tartara sentis*. Ed.

620. *Cognoscere* sic etiam Heroid. IX, 151, *Tu quoque cognosces in me, Meleagre, sororem*; et apud Justinum, XIV, VI, 11, *ut Alexandrum*

Viveret, aut certe letum sine crimine haberet:
Quem male convicti nimium memor iste furoris
Prodere rem Danaam finxit; fictumque probavit
Crimen; et ostendit, quod jam præfoderat, aurum.
Ergo aut exsilio vires subduxit Achivis,
Aut nece: sic pugnat, sic est metuendus Ulixes.
Qui licet eloquio fidum quoque Nestora vincat,
Haud tamen efficiet, desertum ut Nestora crimen
Esse rear nullum; qui, quum imploraret Ulixen
Vulnere tardus equi, fessusque senilibus annis,

ciendam aptissimum; tamen magis etiam lugendum Palamedem prædicat Ulyssis culpa. De tristi Palamedis sorte vide Hyginum, fab. 105. Exposita jam erat in Carmine Cyprio; et attingitur etiam a Virgilio, Æn. II, 82 sqq, quamquam alia ibi odii causa commemoratur: sed nec hujus rei mentionem fecit Homerus: adeo multa rebus Trojanis addiderunt posteriores poetæ! — *Male convicti*, magno suo dolore, in damnum suum convicti. Itaque minime opus est ut cum pr. Gronov. et tribus aliis MSS legamus, *male convictum*, scil. Palamedem, aut cum Scheppero emendemus, *male conficti*, id est frustra, temere conficti, quamquam etiam Burmannus illam emendationem probat. Et *male* ita, ut dixi, usurpari docet Drakenb. ad Silium, XIII, 50; ita Seneca, Suas. V: *Errat circa damna sua, et quæ male expertus est, vota deponit.* Ut sequentia intelligantur, notanda sunt hæc: Ulysses captivo Phrygi epistolam Priami nomine ad Palamedem scriptam dedit, in qua ille huic magnam vim auri pollicebatur, si ex composito castra græca proderet. Simul militem misit, qui Phrygem non longe a castris interficeret. Epistola reperta, quum Palamedes ad Agamemnonem perductus rem negaret, Græci, auctore Ulysse, in tentorio quæsiverunt, inveneruntque aurum, quod Ulysses noctu clam ibi obruerat.

63. *Qui, licet eloquio* etc. Transitus justo argutior: *fidum* vocat, quia tanto majus crimen, *fidum* socium deserere. Lenius conjungit *eloquio fidum*, id est, fretum eloquentia, ut XI, 125, de Nesso, *ope fidis equina*. Sed primum dubito, an *fidus* dicatur pro, *fidens*; deinde Nestor nihil moliebatur eloquentia sua fretus. Denique major inest vis, si *eloquio* cum *vincat* conjungamus. De Ulyssis facundia vide Homer. Il. Γ, 222. Pro *fidum quoque*, Basileensis *fidum sibi*, quod efficacius.—*Desertum ut Nestora*; septem libri non habent *ut*; vide Burmannum ad Quintilian. decl. XI, 7. — Quum Græci fulmine Jovis consternati fugerent, Nestor relictus est tarditate equi, Paridis hasta in summo vertice vulnerati. Hectore igitur irruente, Diomedes in senis auxilium imploravit Ulyssem, sed frustra; et ni Diomedes ipse auxilio occurrisset, haud dubie interiisset Nestor; Ulysses fugam jam paraverat;

Proditus a socio est : non hæc mihi crimina fingi,
Scit bene Tydides ; qui nomine sæpe vocatum
Corripuit ; trepidoque fugam exprobravit amico.
Adspiciunt oculis Superi mortalia justis.
En eget auxilio, qui non tulit : utque reliquit,
Sic linquendus erat ; legem sibi dixerat ipse.
Conclamat socios : adsum, videoque trementem
Pallentemque metu, ac trepidantem morte futura.
Opposui molem clypei ; texique jacentem ;
Servavique animam, minimum est hoc laudis, inertem.
Si perstas certare, locum redeamus in illum :
Redde hostem, vulnusque tuum, solitumque timorem ;
Post clypeumque late : et mecum contende sub illo.
At postquam eripui, cui standi vulnera vires
Non dederant, nullo tardatus vulnere fugit.
Hector adest, secumque Deos in prælia ducit ;

Il. Θ, 80. — *Proditus* gravius quam desertus. — *Trepido*, præ metu celeriter fugienti. — *Exprobravit* ; alludit ad verba quæ Homerus, vers. 94, Diomedi attribuit : Πῆ φεύγεις, μετὰ νῶτα βαλὼν, κακὸς ὣς, ὁμίλῳ.

70. *Adspiciunt Superi* etc. Gravis hæc sententia eo pertinet, quod auxilio mox ipse egebat, qui non tulerat. — *Mortalia* absolute et substantive ponitur, res humanæ ; vide Bentleium ad Horat. Art. Poet. 68. — *Eget auxilio* : egebat autem Ulysses, quum Trojanorum cohortes in eum, Soci hasta vulneratum, irruerent ; tum ter ita *clamabat*, ὅσον κεφαλὴ χάδε φωτός· Il. Λ, 461. Atque hæc ignominiose admodum hic narrantur, Ulyssemque faciunt ignavam mulierem. — *Legem sibi dixerat*, conditionem ipse præscripserat, qua tractandus esset. — *Adsum* cum Menelao. — *Molem clypei* ; Hom. vers. 485, φέρων σάκος ἠΰτε πύργον. Idem beneficium ingrato exprobrat apud Quint. Cal. 201 sqq, sed non tam graphice et contumeliose, ut hic *jacentem*. Apud Homerum etiam vulneratus fortiter pugnat, et postea Menelaus eum manu ducit e prælio. Pro *jacentem* tres habent *latentem* quod non improbat Burmannus, quia repetit, *post clypeumque late*. — Et quia repetit *late*, præferendum hic *jacentem*, quod habent nostri codices ; alterum non convenit. *Ed.* — Mox pro *vulnusque tuum* Schepperus corrigit *vultumque tuum*, male ; vide Burmannum.

82. *Secum Deos in prælia ducit*. Apollo missus a Jove anteibat Hectorem, nube tectus ægideque armatus, terrebatque Græcos, ut fugerent ; vide Homer. Il. O, 220 sqq, 307, 326. Verum non tum *pondere*, id est, saxo, *fundebat*, ad terram

Quaque ruit, non tu tantum terreris, Ulixe;
Sed fortes etiam: tantum trahit ille timoris!
Hunc ego sanguineæ successu cædis ovantem
Cominus ingenti resupinum pondere fudi.
Hunc ego poscentem, cum quo concurreret, unus
Sustinui: sortemque meam vovistis, Achivi;
Et vestræ valuere preces: si quæritis hujus
Fortunam pugnæ; non sum superatus ab illo.
Ecce ferunt Troes ferrumque, ignemque, Jovemque

dabat, Hectorem, sed hoc jam antea factum erat; Il. Ξ, 416 sqq. Itaque Ovidius aut diversa miscuit, aut alios auctores secutus est, et quidem eosdem, quos Dictys Cretensis, qui lib. II, ubi de pugna ad naves Græcorum loquitur, « Tum jam » cedentibus, *inquit*, acrior insi» stens *Ajax*. Hectorem, qui ad» versum eum promtius steterat, » ictum immani saxo, ac mox con» sternatum ejicit. » MSS tamen magno numero pro *pondere* habent, *vulnere*. — *Trahit* terrorem exquisitius, quam, facit terrorem. Pro *timoris*, decem *timorem*. Regii codices ambo dant *timoris*. — *Cominus* ex uno MS Oxon. recepit Heinsius pro *eminus*, quod reliqui tuentur omnes. Causam reddit hanc: « plus enim laudis Ajaci, quod cominus cum Hectore erat congressus, quam si eminus congressus fuisset. » Verum hoc non sufficit. Lenzius contra putat, τὸ *eminus* magis testari Ajacis robur. Apud Homerum quidem lapide fundit Hectorem, postquam is se jam receperat ad suos, adeoque eminus; sed apud Dictyn cominus.—Codices Regii habent *eminus*, quod prætulerim tum propter Homeri testimonium, tum propter rationem a Lenzio adlatam. *Ed.* — *Resupinum*; ὕπτιοι apud Homerum plerumque cadunt vulnerati.

87. *Poscentem*, provocantem ad certamen singulare; Il. Η, 67 sqq. Hoc igitur diu ante factum. — *Concurrere* de certamine singulari. — *Sustinere* de eo, qui parem se præbet adversario viribus. Obtulerunt se ad hoc certamen novem heroes, e quibus unum sorte eligendum esse auctor fuit Nestor. Tum Græci *voverunt sortem Ajacis* (quod Burmann. dubitat an satis latinum sit), vota, preces fecerunt, ut sors Ajacis exiret, quamquam et duos alios voto suo comprehenderunt. Voverunt enim his verbis: Ζεῦ πάτερ, ἢ Αἴαντα λαχεῖν, ἢ Τυδέος υἱὸν, Η αὐτὸν βασιλῆα πολυχρύσοιο Μυκήνης· vs. 179. Permulti et Regius codex B *novistis*; codex A *vovistis*; Medic. tertius *movistis*; Heinsius conjicit *fovistis*; ex his quatuor lectionibus, quam rejicerem, est certe Heinsiana. *Ed.*— *Valent preces* et *vota* (vers. 128), quum fit, quod voveramus, precati eramus.—*Non sum superatus*; immo quum hastis nihil profecissent, et res ad saxa venisset, tum quoque ingenti saxo stravit Hectorem; vers. 270.—*Fortuna*, exitus pugnæ.

91. *Ecce ferunt . . . ignemque*; codices Regii *ignesque*; et mox vulgo,

In Danaas classes : ubi nunc facundus Ulixes?
Nempe ego mille meo protexi pectore puppes,
Spem vestri reditus : date tot pro navibus arma.
Quod si vera licet mihi dicere, quæritur istis,
Quam mihi, major honos : conjunctaque gloria nostra est;
Atque Ajax armis, non Ajaci arma petuntur.
Conferat his Ithacus Rhesum, imbellemque Dolona,
Priamidenque Helenum rapta cum Pallade captum.
Luce nihil gestum, nihil est Diomede remoto.
Si semel ista datis meritis tam vilibus arma,
Dividite; et pars sit major Diomedis in illis.

et in codice B, *ubi tunc;* sed codex A et castigatiores habent *ubi nunc;* vide ad I, 321. Elegans particula *ubi;* usus in exprobrationibus et irrisionibus; Heroid. IV, 150, *ubi nunc fastus altaque verba? jacent.* Ibi Heins. permulta exempla collegit. — *Nempe ego* etc. Il. O, 745 sqq. Est autem *nempe* vox ejus, qui ipse sibi respondet.—*Spem vestri reditus;* ita codices Regii; sex, in quibus Oxoniensis, *spem nostri reditus.*

95. *Quæritur istis* etc. *Præclara* foret sententia, si alius id de Ajace dixisset, non ipse de se. Simile illud apud Valerii Max. VII, v, 6 : « Non Catoni prætura, sed præturæ Cato negatus est. » *Quæritur,* comparatur.

98. *Rhesus,* rex Thracum, equos habebat maximos et pulcherrimos; Il. K, 435 : eum cum sociis interfecit Diomedes. Inter cædem operam dedit Ulysses, ut ejus equis potiretur; vs. 489 sqq.—*Dolon,* Trojanus, facie turpis, sed pedibus velox, explorator venit in castra Græcorum. Cognitum persecuti sunt Diomedes et Ulysses. Quum captus esset, pallidus et tremens auro æreque vitam redimere voluit; hinc *imbellis* Dolon : sed Diomedes eum interfecit ense; Il. K, 314 sqq. Fortem inducit Dolonem Virgilius, Æn. XII, 346 sqq.—De *Heleno,* Priami filio, ab Ulysse rapto confer Sophoclem, Philoct. 601 sqq, qui tamen nec Diomedis mentionem facit, nec dicit hoc factum esse, quum Palladium raperetur. Nempe *cum* non indicat, idem eodem tempore factum, sed duo diversa conjungit, et Helenum captum, et Pallada raptam. — *Pallas,* Palladium, e cælo delapsum et antiqua religione cultum a Trojanis, quod ab Ulysse et Diomede, noctu clanculum urbem Trojanam ingressis, ablatum esse, antiqua fuit narratio, quam secuti sunt etiam Euripides, Rhes. 501; Virgilius, Æn. II, 164; Quintus Cal. X, 346. Ob Pallada raptam Ulysses apud Antisth. pag. 53 et 55 sacrilegus vocatur : ἱεροσυλήσας τὸ ἄγαλμα τῆς θεοῦ νύκτωρ. — Pro *rapta Pallade,* multi *casta.* vel *capta;* Regii nostri *capta,* quæ repetitio *capta* ... *captum* esse Ovidiana potest.

101. *Si semel;* permulti et Regius A a prima manu, et codex B in margine *si tamen.* — *Et pars sit ma-*

Quo tamen hæc Ithaco, qui clam, qui semper inermis
Rem gerit; et furtis incautum decipit hostem?
Ipse nitor galeæ, claro radiantis ab auro,
Insidias prodet, manifestabitque latentem.
Sed neque Dulichius sub Achillis casside vertex
Pondera tanta feret: nec non onerosa gravisque
Pelias esse potest imbellibus hasta lacertis.
Nec clypeus, vasti cælatus imagine mundi,

jor; unus Heinsii et codex B *sit melior*, ut sæpe *pars bona*.—*In illis*, illorum, ut vs. 311, *in illo*, illius.

103. *Quo tamen* etc. Codex Regius A, *Quo tamen hæc Ithaco prosint, qui semper inermis;* codex B, *Quid tamen hæc... qui clam*, etc. valde placet mihi lectio codicis A. *Ed.*—Inutilia, quin adeo perniciosa hæc arma Ulyssi. Hoc maximam in Ulyssis ignominiam tractat.—*Furtis*, insidiis et dolis.—*Nitor galeæ;* Achillis enim galea, ἀστὴρ ὥς ἀπέλαμπεν, Il. T, 381; Quint. Calaber, V, 102. Ovidius hic cumulavit verba, quandoquidem *nitor*, *clarus et radiare* eodem redeunt. Quod tamen quum sæpius fecerit Ovidius, neque h. l. vitiose, non erat, cur Burmannus emendaret, *ferro radiantis et auro*, cum explicatione: ferreæ enim erant et auro inductæ, ferrum vero in splendorem erat datum. Sed si auro inductæ, non poterat nitor ferri (*lumen ferri* dixit Valer. Flac. III, 100) cerni. Tanaq. Faber corrigit *cono radiantis ab aureo.*—Regii codices bene servant lectionem vulgatam. De verbo *radiare* vide ad II, 4.—*Manifestare*, facere, ut latens in oculos incurrat; vide Burmannum qui monet, usurpatum esse apud Ovid. ad imitationem græci δηλοῦν, nec aptius huic rei exprimendæ superesse verbum.—Pro *latentem* Oxoniensis et duo alii MSS *paventem*, quod valde adblanditur, et satis poeticum videtur Schirachio: « nempe, inquit, qui pavet, ejus galea quasi tremit, et radiat aurum magis, quum trepidat. » Hoc vero est argutari! Si hoc voluisset Ovidius, notatione dignus esset, qui irato et convicianti Ajaci talem ingenii lusum tribuisset. Neque hic de pavore Ulyssis sermo est, sed de insidiis. Aliter apud Antisth. p. 53: δειλὸς οὐδεὶς ἂν ἐπισήμοις ὅπλοις χρήσαιτο, εἰδὼς, ὅτι τὴν δειλίαν αὐτοῦ ἐκφαίνει τὰ ὅπλα.

107. *Sed neque* etc. Hanc membrorum debilitatem Ajax ei objicit etiam apud Quint. Calabrum, 224. — *Dulichium*, insula prope Ithacam, quæ tamen secundum Homerum, alii regi serviebat.—*Pelias esse potest* etc. Hic versus aliter legitur in Regiis codicibus: *Pelias hasta potest imbellibus esse lacertis:* de hasta Peliade vide ad XII, 73.—Achillis *clypeus*. Vulcani opus, inprimis nobilitatus est Homeri, Il. Σ, 468-607, descriptione, (quacum cf. Quint. Calab. V, 5-101) et recentiorum disputationibus. *Cælatus imagine vasti mundi*, in quo cælum cum sideribus, terra non modo cum fluviis, mari et urbibus, sed etiam cum omnibus iis, quæ cadunt in vitam humanam, figuris eminentibus ex-

Conveniet timidæ, natæque ad furta sinistræ.
Debilitaturum quid te petis, improbe, munus?
Quod tibi si populi donaverit error Achivi,
Cur spolieris, erit, non, cur metuaris ab hoste:
Et fuga, qua sola cunctos, timidissime, vincis,
Tarda futura tibi est, gestamina tanta trahenti.
Adde, quod iste tuus, tam raro prælia passus,
Integer est clypeus: nostro, qui tela ferendo
Mille patet plagis, novus est successor habendus.
Denique, quid verbis opus est? spectemur agendo:
Arma viri fortis medios mittantur in hostes;
Inde jubete peti, et referentem ornate relatis. »
  Finierat Telamone satus, vulgique secutum
Ultima murmur erat: donec Laertius heros
Adstitit, atque oculos paulum tellure moratos
Sustulit ad proceres, exspectatoque resolvit

pressa erant. De verbo *celare* vide ad II, 6. — *Natæ ad furta*, vide ad XV, 116 et 120.

116. *Trahere* eleganter de pondere, quod tardat incedentem et fugientem; Virgilius, Georg. IV, 94, de obeso, *latam trahens inglorius alvum*.—*Prælia passus*; quidam *vulnera* passus; sæpe *vulnera pati*: sed Burmannus recte præfert *prælia* (quod habent Regii codices), quia si raro vulnera esset passus clypeus, aliqua tamen haberet, nec esset integer.

121. *Arma viri fortis* etc. Seneca, Controv. II, 11, de Ovidio: « Adeo » autem studiose Latronem audivit, » ut multas ejus sententias in versus » suos transtulerit. In armorum ju» dicio dixerat Latro: Mittamus ar» ma in hostes, et petamus. Naso » dixit: Arma viri fortis etc. » Simile quid Q. Calab. 218 sqq, habet.

123. *Finierat* orationem, peroraverat causam suam. — *Murmur* et alias *fremitus*, sermo multorum promiscue loquentium.—*Adstitit*, surrexit ad eos.— *Oculos ... moratos* ex Homer. Il. Γ, 217 sqq, ubi hoc moris Ulyssi fuisse traditur, ut, antequam verba facere inciperet, staret oculis in terram defixis, immotoque sceptro. Causam, cur hoc ita finxerit Homerus, reddit Quintilianus, Inst. XI, III, 158: « Mire auditu» rum dicturi cura delectat, et ju» dex se ipse componit. Hoc præcipit » Homerus Ulixis exemplo, quem » stetisse oculis in terram defixis, » immotoque sceptro, priusquam » illam eloquentiæ procellam effun» deret, dicit. » Ut igitur Ajax torvo vultu indignitatem rei profitebatur, sic Ulysses modestiæ gratia audituris se commendabat.—*Exspectato*, quia nota omnibus ejus facundia.—

Ora sono; neque abest facundis gratia dictis:
« Si mea cum vestris valuissent vota, Pelasgi,
Non foret ambiguus tanti certaminis hæres;
Tuque tuis armis, nos te poteremur, Achille!
Quem quoniam non æqua mihi vobisque negarunt
Fata (manuque simul veluti lacrymantia tersit
Lumina); quis magno melius succedat Achilli,
Quam per quem magnus Danais successit Achilles?
Huic modo ne prosit, quod, ut est, hebes esse videtur;
Neve mihi noceat, quod vobis semper, Achivi,
Profuit ingenium : meaque hæc facundia, si qua est,
Quæ nunc pro domino, pro vobis sæpe locuta est,
Invidia careat : bona nec sua quisque recuset.

Neque abest etc. Burmannus putat, hæc a Propertio, I, II, 29, sumta: *nec desit jucundis gratia verbis;* itaque et ibi malit *facundis* : sine causa. —Dicit autem Ulysses oratione sequenti composite, moderate, callide, et ubi Ajacis nonnulla et crimina et argumenta diluit, opera sua mirifice enarrat.

128. *Si mea cum vestris* etc. Incipit cum pio voto, sibi et auditoribus communi, idque fictis adeo lacrymis confirmat. — *Valuissent vota;* vide ad vs. 89.—*Non foret... hæres*, non ambigeretur, quis possideret illa arma, de quibus jam certatur, quorum hæres Ajax esse magna contentione vult. — *Poteremur* antique pro, *potiremur;* vide Heinsium et Burmannum : *potiri* nunc, uti, possidere.—*Tuque tuis... Achille!* hac apostrophe animos auditorum ad fletum inclinat. *Ed.* —*Melius*, meliore jure. Tanaq. Faber neminem natum arbitrabatur, a quo doceri posset, quid sibi hoc vellet, *Danais successit Achilles*, itaque corrigebat, *accessit;* at facile doceri poterat, *succedere* centies poni pro, accedere ; obvia enim sunt illa, *succedere antro, muro, urbi;* et XI, 142, *succedere aquæ* : igitur et nunc intellig. quo auctore numero Græcorum accessit Achilles. Et de industria hoc idem verbum repetitum, quia quasi vim argumenti habet.

135. *Huic modo* etc. vide ad vs. 34. — *Hebes*, destitutus *ingenio*, h. e. prudentia et facundia, quam utramque virtutem Ulyssis spreverat Ajax. — *Videtur;* unus Basil. *hebes esse fatetur*. ut sit græcism. quem Heins. illustrat, et qualis mox v. 142 : *retulit esse Jovis pronepos*. Regii cod. *videtur;* sed pæne mallem *fatetur*. Ed.—Illam autem facundiam Ulysses et præclare commendat : *quod vobis semper profuit*. *quæ pro vobis sæpe locuta est*, et modeste, *si qua est*, tum, *bona nec sua* (quæ ipse sibi *fecit*, paravit, non autem natura ei tribuit) *quisque* (quisquam) *recuset*, recuset iis uti. — *Dominus facundiæ*, ut *dominus artis* I, 524,

Nam genus, et proavos, et quæ non fecimus ipsi,
Vix ea nostra voco : sed enim, quia rettulit Ajax
Esse Jovis pronepos, nostri quoque sanguinis auctor
Jupiter est, totidemque gradus distamus ab illo.
Nam mihi Laertes pater est, Arcesius illi,
Jupiter huic; neque in his quisquam damnatus, et exsul.
Est quoque per matrem Cyllenius addita nobis
Altera nobilitas : Deus est in utroque parente.
Sed neque materno quod sum generosior ortu,
Nec mihi, quod pater est fraterni sanguinis insons,
Proposita arma peto : meritis expendite causam.
Dummodo quod fratres Telamon, Peleusque fuerunt,
Ajacis meritum non sit; nec sanguinis ordo,
Sed virtutis honos spoliis quæratur in istis.
Aut si proximitas, primusque requiritur hæres,
Est genitor Peleus, est Pyrrhus filius illi;
Quis locus Ajaci? Phthiam Scyronve ferantur :

qui eam novit et exercet. Confer Q. Calabrum, 290.

140. *Nam genus, et proavos* etc. Verissime de generis nobilitate judicat, quam non sprevisset, nisi scivisset, meritis se posse contendere cum Ajace. — *Esse pronepos*, græca syntaxis, se esse pronepotem. —*Damnatus et exsul*, qualis Peleus, quamquam nec Telamon *fraternæ cædis insons* ex nonnullorum opinione; vide XI, 267 sqq. Sic vicissim Ulysses Ajaci quamdam generis maculam objicit; confer vers. 26.— *Mater* Ulyssis fuit Anticlea, Autolyci filia, Mercurii neptis; Od. Λ, 84.—*In parente utroque*, in stemmate utriusque parentis. Commode repetit duo illa, quibus sua nobilitas major Ajacis.

151. *Dummodo quod* etc. Non potest Ajax hæreditario jure niti. — *Spolia* alias arma hosti detracta, h. l. arma exstincti relicta.—*In istis* tradendis novo domino non *quæratur*, respiciatur, *sanguinis ordo*, consanguinitas, sed *virtutis honos*, virtus, quæ hoc honore et præmio sola digna est; *proximitas* etiam X, 340.

156. *Phthiam Scyronve ferantur*; duo nostri codices Regii, et alter etiam Regius quem in manu insuper habemus, dant *Phthiam hæc*, scil. arma, *Scyronve ferantur*; eam lect. quam habebant veteres edit. non video cur mutaverit Heinsius. *Ed.* —*Phthiæ* habitabat Peleus. *Ed.* — Quum Achilles in insula *Scyro* lateret, rem habuit cum Deidamia, regis filia, ex qua natus est *Pyrrhus*; Apollod. III, XIII, 8.—*Scyros* per *c* est patria Lycomedis; *Syros* absque *c*

Nec minus est isto Teucer patruelis Achilli.
Num petit ille tamen, num sperat, ut auferat arma?
Ergo operum quoniam nudum certamen habetur,
Plura quidem feci, quam quæ comprendere dictis
In promtu mihi sit; rerum tamen ordine ducar.
Præscia venturi genetrix Nereia leti
Dissimulat cultu natum; deceperat omnes,
In quibus Ajacem, sumtæ fallacia vestis.
Arma ego femineis, animum motura virilem,
Mercibus inserui : neque adhuc projecerat heros
Virgineos habitus, quum parmam hastamque tenenti,
« Nate Dea, dixi, tibi se peritura reservant
» Pergama : quid dubitas ingentem evertere Trojam? »

(v. 175) insula Ioniæ. *Ed.*—*Nec minus est isto*; multi *est isti*, *illi*, *istic* aut *illic*; codex Regius A *istic*; codex B *illi*.—*Num sperat, ut auferat arma* dedit Heins. ex Calendræ Excerpt. quarto Mediceo et Junian. —Regii codices habent lectionem vulgatam, *num, si petat, auferat arma?* quam meliorem puto propter repetitionem, *petit*, *petat*; immo altera servata, supplendum est, fore. *Ed.*

159. *Nudus*, ut γυμνὸς, eleganter pro, *solus*; vid. Drakenb. ad Silium, I, 219. — *Rerum ordine ducar* pro vulgar. rem ordine referam, quod solemne in principio narrationum; vide IX, 5.

162. *Præscia venturi* etc. Confer Apollod. III, XIII, 8; Hygin. fab. 96. Festive et jocose res narratur Art. Amat. I, 689 sqq. *Præscia venturi*, futuri, *leti*, nempe filium, si ad Trojam proficisceretur, periturum.—*Dissimulat cultu*, vestitu virgineo tectum in Scyron insulam misit ad Lycomedem, ubi inter virgines latuit. Secundum Schol. Homeri, Il. T, 332, Ulysses, Phœnix et Nestor oratores missi sunt ad Lycomedem, non autem *Ajax*. Ulysses in vestibulo regio deposuit *femineas merces*, instrumenta textoria. Schol. Homer. ἱστουργικὰ ἐργαλεῖα.—*Arma inserui* Schirachius explicat, arma indui latenti Achilli. Immo, arma addidi istis mercibus. Addunt alii, Ulyssem tubicinem jussisse canere, armorumque crepitum fieri, quo strepitu commotum Achillem clypeum hastamque arripuisse. Sed in verbis, *neque adhuc projecerat... dixi*, mira est brevitas.—*Duo dejecerat*, quod non displicet Burmanno; Heinsius malebat *rejecerat* improbante Burmanno. Regii codices *projecerat*. — *Tibi se reservant* tamquam sponte id faciant, quod fato accidebat. Burmannus fabulam inde ortam putat, quod Achilles tum ἀρτίγαμος fuerit; hoc enim moris fuisse apud Græcos, ut νεωστὶ γεγαμηκότας absolverent militandi munere.—*Ingens Troja* etiam vs. 505, et apud Virgilium, Æn. III, 462.

Injecique manum, fortemque ad fortia misi.
Ergo opera illius, mea sunt: ego Telephon hasta
Pugnantem domui; victum orantemque refeci.
Quod Thebæ cecidere, meum est: me credite Lesbon,
Me Tenedon, Chrysenque, et Cyllan, Apollinis urbes,
Et Syron cepisse: mea concussa putate
Procubuisse solo Lyrnesia mœnia dextra.
Utque alias taceam, qui sævum perdere posset
Hectora, nempe dedi: per me jacet inclytus Hector.
Illis hæc armis, quibus est inventus Achilles,
Arma peto: vivo dederam, post fata reposco.
Ut dolor unius Danaos pervenit ad omnes,
Aulidaque Euboicam complerunt mille carinæ;
Exspectata diu, nulla, aut contraria classi,
Flamina sunt; duræque jubent Agamemnona sortes
Immeritam sævæ natam mactare Dianæ.
Denegat hoc genitor, Divisque irascitur ipsis:

Referendum τὸ *ingens* vel ad ambitum urbis (Seneca, Troad. 22: victor *lentum Ilium Metitur oculis, ac decem tandem ferus Ignoscit annis*), vel ad gloriam. Virg. Æn. II, 325.

171. *Opera illius mea sunt.* Operum Achillis indiculum jam XII, 105 sqq, habuimus, ubi vide not. Etiam apud Q. Cal. 256 sqq, de eo gloriatur, quod Achillem adduxerit. Sed longius progreditur, et singula quoque ejus opera sibi vindicat, quemadmodum vers. 236 sqq, partem adeo rerum ab ipso Ajace gestarum.

177. *Utque alias taceam*; vulgo et in Regiis codicibus, *utque alios*, quod melius est certe propter sequentem *Hectora*; in hujusce modi phrasi *alius* cum sequentibus, non cum præcedentibus jungitur; ergo male Heinsius dedit *alias* ut referatur ad civitates expugnatas ex quibus Syron et Lyrnesum modo nominavit. *Ed.*—*Sævus*, fortis, frequens bellatorum epitheton.—*Nempe*, certe. Phædrus, II, 11, 2, *nempe exemplis discimus.*—*Per me*, mea virtute. —*Quibus est inventus*, quorum auxilio est detectus. Immo arma Achillis, de quibus jam certabatur, alia erant, a Vulcano fabricata et accepta.

181. *Unius*, Menelai, *dolor* ob ereptam conjugem, *pervenit ad omnes*, quatenus omnes injuriam ei illatam ulcisci voluerunt. Confer Art. Amat. I, 688.—*Sortes*, responsum Calchantis.—Epitheta *immeritam* et *sævæ* non satis commode addita; ita enim apparet, Ulyssem adjuvisse rem atrocem.—*Denegat hoc*, totumque adeo exercitum dimitti jubet.

Atque in rege tamen pater est : ego mite parentis
Ingenium verbis ad publica commoda verti :
Nunc equidem fateor, fassoque ignoscat Atrides,
Difficilem tenui sub iniquo judice causam.
Hunc tamen utilitas populi, fratrisque, datique
Summa movet sceptri, laudem ut cum sanguine penset.
Mittor et ad matrem, quæ non hortanda, sed astu
Decipienda fuit : quo si Telamonius isset,
Orba suis essent etiamnum lintea ventis.
Mittor et Iliacas audax orator ad arces;
Visaque, et intrata est altæ mihi curia Trojæ :
Plenaque adhuc erat illa viris : interritus egi,

— *In rege tamen pater est;* vide ad XII, 29. — *Ego mite... verti*, ego *verbis*, facundia mea, perfeci, ut rex, deposito affectu paterno, mallet commodis publicis satisfacere. *Vertere* cum præpositione *ad*, mutationem consilii, affectus etc. indicat; vide Burm. ad Phædrum, I, XXXI, 5. Conatus suos et propter difficultatem, et quia eloquentia opus erat, cum *causa* forensi comparat, cui præest *iniquus judex*, qui adversatur petenti. — *Tenere causam* etiam apud Ciceronem pro, vincere, obtinere causam.

191. *Fratrisque;* vulgo, et in Regiis codicibus, *fraterque* æque bene; et revocavit Mitscherlichius.—*Summa movet sceptri;* multi *Cura movet*, quæ varietas etiam V Fast. 72; Burmannus addit ita *curam* pro imperio millies poni. *Summa sceptri dati* intellig. summa imperii (ut Cicero loquitur), summum imperium, cujus signum est sceptrum, ei creditum. Agamemnon σκηπτοῦχος apud Homerum, Il. Α, 279. — *Laudem cum sanguine pensare*, gloriam et sanguinem filiæ in trutina ponderare, h. e. non solum affectu paterno, sed gloriæ etiam studio duci.

193. *Mittor et ad matrem* vel solus, vel Diomede comite, ad Iphigeniam arcessendam. — *Quæ non hortanda;* quatuor *oranda*. Regius codex A *hortanda*; codex B *ortanda;* hic ut sæpe alias, et ut alii libri, literam *h* omittit; unde oriri potuit lectio mala *oranda. Ed.* — Matrem *astu decepit*, mentiens, filiam nupturam esse Achilli. Sic etiam Dictys Cretensis, lib. I, et Hyginus, fab. 98. Verum apud Euripidem, Iph. Aul. Menelaus vertit animum fratris, Iphigenia autem cum Clytæmnestra ipsius Agamemnonis literis arcessitur in castra. — *Suis*, sibi faventibus, secundis.—*Lintea;* quidam *carbasa*.

196. *Mittor et Iliacas* etc. Ulysses cum Menelao ante bellum susceptum Ilium missus erat ad Priamum, ut Helenam repeteret; Il. Γ, 205. In hac narratione singula valent ad *audaciam*, qua opus fuerit in hac legatione, declarandam.—*Arces* pro singulari arx, Pergamus; vide vers. 344.—*Alta Troja*, Ἴλιος αἰπεινή, Il. Ν, 773; ut αἰπεινὴ Γονόεσσα, Il. Β, 573.

Quam mihi mandarat communis Græcia, causam;
Accusoque Parin, prædamque, Helenamque reposco;
Et moveo Priamum, Priamoque Antenora junctum.
At Paris, et fratres, et qui rapuere sub illo,
Vix tenuere manus, scis hoc, Menelae, nefandas;
Primaque lux nostri tecum fuit illa pericli.
Longa referre mora est, quæ consilioque, manuque
Utiliter feci spatiosi tempore belli.
Post acies primas, urbis se mœnibus hostes
Continuere diu; nec aperti copia Martis
Ulla fuit: decimo demum pugnavimus anno.
Quid facis interea, qui nil, nisi prælia, nosti?
Quis tuus usus erat? nam si mea facta requiris,
Hostibus insidior: fossas munimine cingo:
Consolor socios, ut longi tædia belli
Mente ferant placida: doceo, quo simus alendi,
Armandive modo: mittor, quo postulat usus.
Ecce Jovis monitu, deceptus imagine somni,

Quia urbes capitales olim securitatis causa in montibus ædificari solebant, hinc *alta urbs*, magna, bene munita; vide Fabri Archæologiam, pag. 272. Lenzius vero h. l. non nisi acropolin intelligit. Ibi, ante Priami ædes, conciones fieri solebant; Il. H, 345. Eum locum Noster *curiam* vocat ex usu romano. De legatione autem illa confer et Carmen Cypr. — *Prædam*, opes, quas una cum Helena abduxerat Paris; Il. H, 363. — *Antenor*, Priamo affinitate *junctus* pacem suasit; Hom. Il. H, 348 sqq. Eam ob causam omne jus belli ab eo abstinuisse Achivos memorat Liv. I, 1.—*Qui rapuere sub illo*, ministri, qui illo duce Helenam rapuere. — *Tenuere*, retinuere. — *Nefandas*, quia legatis intentabantur.

210. *Quid facis interea* etc. Sequentia præclare ostendunt, quantum valeat in bello consilium, nec parum premunt Ajacem. Putidus in hoc argumento est Ulysses apud Quint. Cal. vs. 238 sqq, ubi, tamquam in schola versaretur, plurimis exemplis et rationibus docet, quanta sit vis eloquentiæ et sapientiæ. — *Si mea facta requiris*; Junian. et Leidensis *requiras*, probante Burmanno; codices Regii *requiris*. — *Munimen* illud, ἀλεωρὴν, describit Homerus, Il. M, 52–57. Fossam latam utrimque cingebant præcipitia declivia, κρημνοὶ ἐπηρεφέες, desuper valli acuti, σκόλοπες ὀξέες, defixi erant. Sed illa opus Ulyssis fuisse, Homerus non dicit.

216. *Ecce Jovis monitu* etc. Hein-

Rex jubet incœpti curam dimittere belli :
Ille potest auctore suam defendere causam.
Non sinat hoc Ajax, delendaque Pergama poscat;
Quodque potest, pugnet : cur non remoratur ituros?
Cur non arma capit? dat, quod vaga turba sequatur?
Non erat hoc nimium nunquam nisi magna loquenti.
Quid? quod et ipse fugis? vidi, puduitque videre,
Quum tu terga dares, inhonestaque vela parares.
Nec mora, « Quid facitis? quæ vos dementia, dixi,
» Concitat, o socii, captam dimittere Trojam?
» Quidve domum fertis decimo, nisi dedecus, anno? »
Talibus atque aliis, in quæ dolor ipse disertum

sium offendebat concursus plurium substantivorum uni verbo junctorum; itaque suadebat, *Ecce Jovis monitos deceptus imagine somnos.* Durissimus græcismus. Sed illum concursum non esse insolentem, et *monitu* dictum pro, *ex monitu*, ostendit Burmannus. *Monere* autem esse verbum somniorum, jam sæpius vidimus. — Hic administranda sunt quædam exempla, quæ IX, 700, promisimus : Claudian. I Stil. 216, *Aut monitos certa dignantur imagine somnos;* quod Heinsii conjecturæ egregie suffragatur. Valer. Maximus, I, VII, 8 : *propioribus tamen, ut ita dicam, lineis Aterii Rufi somnium certo eventu admonitum est;* Petronius in Satyrico, c. 106, de Diis quoque : *et quid fecissent admonuerunt pari somniorum consensu;* Virgilius, Æn. VII, 102 : *responsa patris Fauni monitusque silenti Nocte datos :* plurima sunt præterea loca alia plurimorum scriptorum, quæ possim referre; sed illa prætermitto, ne in longius discedam. *Ed.* — Cæterum quod hic commemoratur, sumtum ex Il. B, 1-332. Jupiter, pernicioso ad Agamemnonem somnio misso, monuit, ut invaderet Trojanos : fore enim, ut urbem eorum capiat. Agamemnon autem, ut tentaret milites, jussit *incœpti curam dimittere belli*, desistere a bello, atque navibus in mare deductis in patriam redire. Quod vix audiverant milites, quum læti magnoque cum clamore ad naves festinarent, reditumque pararent. Hic Ulysses unus fuit, qui festinantes vel verbis reduxit, vel verberibus coercuit, et pro concione milites ad bellum continuandum cohortatus est; Homer. vers. 284 sqq. In hoc igitur nunc exsultat ejus oratio. — *Auctore*, auctoritate Jovis, quem sibi suasisse reditum mentiebatur. — *Defendere causam;* vulgo *defendere vocem;* quidam *culpam;* codex Regius A *vocem;* codex B *vocem*, additque *vel causam.* — *Dat*, vel proponit consilium, vel dat exemplum. *Magna loquenti;* vide I, 751.

226. *Captam*, jam capiendam, quam obsidebant, ut caperent. Sic *captivum cælum* I, 184, et *captas jam despectare terras* apud Virgi-

Fecerat, aversos profuga de classe reduxi.
Convocat Atrides socios terrore paventes:
Nec Telamoniades etiam nunc hiscere quidquam
Ausit; at ausus erat reges incessere dictis
Thersites, etiam per me haud impune, protervis.
Erigor, et trepidos cives exhortor in hostem,
Amissamque mea virtutem voce reposco.
Tempore ab hoc, quodcumque potest fecisse videri
Fortiter iste, meum est, qui dantem terga retraxi.
Denique de Danais quis te laudatve, petitve?
At sua Tydides mecum communicat acta;
Me probat; et socio semper confidit Ulixe.

lium, Æn. I, 396, ubi valde laborarunt interpretes.—*Dimittimus* loca ea, a quibus abimus.

229. *Aversos*; ita habent Regii codices; vulgo *adversos*. Aversos a Troja; aut etiam, ego averti eos a classe, qua fugam parabant, et inde reduxi in castra.—*Reduxi*; Langerman. et Argent. *retraxi*, quod proprium quidem de iis qui ex fuga retrahuntur; sed *reduxi* servandum est, quia profugi facundia Ulyssis moti et in pudorem dati, facile et quasi sua sponte redierint. Codices Regii ambo *reduxi*.

232. *Ausit; at ausus erat* ductu MSS dedit Heinsius; hic magna varietas; Regius codex A *Audet, et ausus* cum vulgat. Codex B *Audet, ut ausus* cum Bernegger. Thuan. secundo Palatino, Jureti Excerpt. et quindecim aliis; *Audeat, ausus* in duodecim legitur; alii *Audet, at ausus*; *Audit, et ausus* etc.

233. *Thersites*, homo omnium turpissimus, solebat οὐ κατὰ κόσμον ἐριζέμεναι βασιλεῦσιν, et tum maxime Agamemnoni. Eum Ulysses sceptro percutiebat, ut vibex cruenta in dorso exoriretur; Il. B, 266. Ceterum peracerba comparatio Ajacis cum Thersita.

235. *Voce reposco*; multi *voce refundo*; Bernegger. primus Basil. et Arond. pro diversa lectione *repono*; unus *rependo*; Heinsius putabat *reprendo*, ut ad fugientes socios respiciat. Codex Regius A *reposco*; codex B *refundo*, et pro varia lectione, *repono*.

237. *Meum est, qui dantem*; vulgo *quem dantem*; hanc lectionem dederant librarii metuentes forsan ne solœcissaret Ovidius; sed meliores, et nostri Regii, habent *qui*; sic et Trist. I, v, 41, *Causa mea est melior, qui non contraria fovi Arma*; hic quidem, eodem certe metu, dederant *quia*; III ex Pont. IV, 91, *Nec mea verba legis, qui sum submotus ad Istrum*. Ed. — Pro *retraxi* Junian. male habet *reduxi*; vide ad versum 229.

238. *Petitve*, comitem in periculis adeundis.—*Mecum communicat acta*, me socium sumit actorum. — *Socio confidit Ulixe*; Florentinus *Ulixi*; sed vide Burmannum ad X, 69.

Est aliquid, de tot Graiorum millibus unum
A Diomede legi : nec me sors ire jubebat :
Sic tamen et spreto noctisque hostisque periclo,
Ausum eadem, quæ nos, Phrygia de gente Dolona
Interimo : non ante tamen, quam cuncta coegi
Prodere, et edidici, quid perfida Troja pararet.
Omnia cognoram, nec, quod specularer, habebam;
Et jam promissa poteram cum laude reverti.
Haud contentus ea, petii tentoria Rhesi,
Inque suis ipsum castris comitesque peremi :
Atque ita captivo victor votisque potitus,
Ingredior curru lætos imitante triumphos.

241. *Est aliquid*; vide ad XII, 93. — *Diomedis* laus summa inter Græcos : dictus est *δαίμονι ἶσος* (Homerus, Il. E, 438) quippe Martem etiam et Venerem vulnerare ausus. Sed in Theodectæ Ajace alia reddebatur causa, cur is Ulyssem potius socium actorum suorum adpetierit: *ὅτι ὁ Διομήδης προείλετο Ὀδυσσέα, οὐ τιμῶν, ἀλλ' ἵνα ἥττων ᾖ ὁ ἀκολουθῶν·* Arist. Rhet. II, 23.—*Sic tamen*, licet sorte nulla jussus ire; similiter *sic quoque* VIII, 603, et alibi.—*Ausum eadem, quæ nos*, explorare castra hostilia. Heinsius conjicit *Ausum eadem nobis*.—De *Dolone* vide ad vers. 98.— *Perfida Troja*, vel quia Paris hospitii jure violato perfidus (Horat. I, Od. xv, 1, 2), vel propter id, quod XI, 205 sqq, narratum est : sed Ulysses hic eam sibi laudem soli vindicat, cujus, secundum Homerum, maxima pars debebatur Diomedi.

247. *Nec, quod... habebam*; vulgo, et in codice Regio A, *nec, quid*; sic Virgilius, Eclog. II, 2, *nec quid speraret, habebat.*—*Promissa cum laude reverti*, cum gloria, vel quam mihi ex facinore promiseram (*sibi promittere*, pro sperare, etiam XI, 662), vel quam mihi Græci promiserant : nempe Nestor ei promiserat *μέγα κλέος*, Il. K, 212. Heinsius e compluribus recepit *præmissa*; idem et *promerita* legi posse putabat. *Promissa cum laude reverti* recte quidem dicitur imperator e bello, quum fama aut literæ ipsius militumque rerum ab eo gestarum gloriam jam divulgarunt in patria; sed an idem æque bene de hoc facinore nocturno dicatur, dubito. Præstat haud dubie lectio vulg. *promissa cum laude*, quam etiam Tanaq. Faber defendit; quamquam Lenzius *præmissa*, ut doctius, præferat. Codices Regii ambo *promissa* habent, et bene. — De *Rheso* vide ad vers. 98.

252. *Ingredior* pro, invehor. Diserte hæc distinguit Plinius, paneg. cap. 22 : « Jam hoc ipsum, quod » ingressus es, quam mirum lætumque! Nam priores invehi solebant quadrijugo curru et albentibus equis. » Sic etiam Ulysses; hinc *lætos imitante triumphos* : sed Ovidius oblitus sui Ulyssem facit

Cujus equos pretium pro nocte poposcerat hostis,
Arma negate mihi; fueritque benignior Ajax!
Quid Lycii referam Sarpedonis agmina ferro
Devastata meo? cum multo sanguine fudi
Cœranon Hippasiden, Alastoraque, Chromiumque,
Alcandrumque, Haliumque, Noemonaque, Prytaninque,
Exitioque dedi cum Chersidamante Thoona,
Et Charopen, fatisque immitibus Ennomon actum;
Quique minus celebres nostra sub mœnibus urbis
Procubuere manu: sunt et mihi vulnera, cives,
Ipso pulchra loco: nec vanis credite verbis:

Romanum. De reditu Ulyssis cum curru vide Il. K, 497 sqq.

253. *Hostis*, Dolon, quum speculator mitteretur, *pro nocte*, pro exploratione illa nocturna *equos* Achillis pretium poposcit. Homer. Il. K, 392. Virg. Æn. XII, 346 sqq; conf. etiam Noster, Ib. 629; Trist. III, IV, 34. — *Arma negate mihi* justo impetuosius dictum est, et melius conveniret irato Ajaci, quam blandienti auditoribus Ulyssi; neque hic habet argumentum justum: Date mihi arma Achillis; cur? quia eum cepi, qui equos Achillis poposcerat. — In verbis *fueritque benignior Ajax* laborarunt interpretes; Heinsius τὸ *benignior* passive sumebat pro eo, qui benigne habetur, cujus tamen significationis exemplum se ignorare fatebatur. Burmannus explicat, magis popularis, blandus, ut adeo obtineat quæ velit. MSS quidam, *quia* aut *quoque dignior*, unde Heinsius conjicit *fuerit his dignior*, aut, *tuleritque ea dignior*: prius placebat etiam Capofer. Muretus emendabat *ferat hæc ut dignior Ajax*. Koeppenius pro *Ajax* suadebat *Hector*: quippe qui Doloni promiserat equos Achillis. — Codex Reg. A dat *fueritque benignior Ajax*; codex B *tuleritque benignior Ajax*. Non ingrata est emendatio Mureti; sed Koeppenii conjectura plane est rejicienda. *Ed.*

255. *Sarpedon*, Jovis filius, Lyciis præerat. Is quum, Tlepolemi hasta vulneratus, elatus esset a suis e prælio, Ulysses *agmina* ejus *devastavit ferro*, plures e sociis ejus interfecit, quorum nomina hic ex Homero, Il. E, 677 sqq, recensentur. — *Agmina devastare* felix locutio ad augendam cladem Sarpedonis sociis illatam. Apud Cicer. Pis. 33, *vastitatem efficit* morbus, ex quo multi moriuntur. — Pro *ferro* Francofurt. habet *Marte*, quod gravius altero. — *Hippasiden* legerunt Mariangelus et Constant. Fanensis, ut intelligatur Socus, Hippasi filius, ab Ulysse interfectus, ut narratur in Il. libro undecimo; vulgo, et in Regiis duobus, legitur *Iphitiden*. Ed. — De *Chersidamante*, *Thoone* et reliquis vide Il. Λ, 422.

263. *Pulchra*, honesta, *ipso loco*, quippe corpore adverso accepta, quæ sola laudabilia. Contra *vulnera*

Adspicite en! (vestemque manu deducit) et, hæc sunt
Pectora semper, ait, vestris exercita rebus.
At nihil impendit per tot Telamonius annos
Sanguinis in socios; et habet sine vulnere corpus.
Quid tamen hoc refert, si se pro classe Pelasga
Arma tulisse refert contra Troasque, Jovemque?
Confiteorque, tulit: neque enim benefacta maligne
Detrectare meum est: sed nec communia solus
Occupet, atque aliquem vobis quoque reddat honorem;
Reppulit Actorides, sub imagine tutus Achillis,

inhonesta in tergo; Fast. II, 211. Illa bellatores periclitantes judicibus populove ostendere solebant veste detracta aut scissa, magno plerumque suo bono, ut M. Manlius apud Livium, VI, 20; M. Aquilius, cujus patronus *non orationis habuit fiduciam, sed oculis populi Romani vim attulit;* Quintil. Inst. II, 15. Confer Cic. Or. II, 28. Idem periclitantibus suadet Quintilianus, Inst. VI, 1. Itaque et Ulysses efficace hoc artificio utitur. — *Vanis*, quæ vana esse possunt, et sæpe sunt. — Mox dubitatur utrum *diducit* legendum sit, quod recepit Burmannus, an *deduxit*, quod tuetur Heinsius meliorum MSS auctoritate, pro quo prim. Hamburg. et quinque alii *deducit.* Ubique fere hæc duo verba a librariis confusa reperiuntur: *diducere vestem*, eam in diversas partes trahere, nam *diducere* separationem notat; *deducere*, eam a superiore corporis parte detrahere, ut III, 480. Tunica quidem Græcorum et Romanorum vix *diduci* potuit, nisi scissa. Hinc nos *deducit* revocavimus. — Regii codices ambo *diduxit.* — *Exercitus*; multas molestias, labores perpessus; II, 287; VII, 634. Nominatim milites veterani dicuntur *exerciti.* — *Vestris rebus*, pro salute vestra, quum opem ferrem vobis laborantibus. Gronovii primus, et duo alii, *vestris exercita curis;* ut *curis exercita corpora* VII, 634, et XV, 768. Regii duo *exercita rebus.* — *At nihil impendit* etc. Sixii et unus Heinsii *expendit. Impendere sanguinem in socios* pro vulgari, fundere sanguinem pro sociis; etiam Curtius, IV, x, 3: *In unius hominis jactationem tot millium sanguinem impendi.* — *Pro classe Pelasga:* quinque: *si se pro classe, Pelasgi, Arma* etc.

270. *Neque enim* etc. Observa veteratorium Ulyssis ingenium, non modo in verbis, *neque enim benefacta* etc. sed etiam in illis, *sed nec communia... honorem*, quæ universis Græcis odiosum faciunt Ajacem. — Multi *detractare*, ut V, 246. Regii codices *detrectare.* — *Sed nec communia;* vulgo (et in codice Regio B) *modo ne communia;* plerique (et codex A) *sed ne* etc. — *Occupet*, se immittat in possessionem eorum. — *Reddat*, relinquat, cedat; Cic. Sull. 30, *Non modo nihil mihi assumo, sed etiam reddo ac remitto.*

273. *Actorides*, Patroclus, Actoris nepos, *sub imagine tutus Achillis.*

Troas ab arsuris cum defensore carinis.
Ausum etiam Hectoreo solum concurrere Marti
Se putat, oblitus regisque, ducumque, meique;
Nonus in officio, et prælatus munere sortis.
Sed tamen eventus vestræ, fortissime, pugnæ
Quis fuit? Hector abit violatus vulnere nullo.
Me miserum! quanto cogor meminisse dolore
Temporis illius, quo, Graium murus, Achilles
Procubuit! nec me lacrymæ, luctusque, timorve
Tardarunt, quin corpus humo sublime referrem.
His humeris, his, inquam, humeris ego corpus Achillis
Et simul arma tuli, quæ nunc quoque ferre laboro.
Sunt mihi, quæ valeant in talia pondera, vires:
Est animus vestros certe sensurus honores.
Scilicet idcirco pro gnato cærula mater

quia armis Achillis tectus tam fortiter pugnabat, ut Trojani existimarent Achillem rediisse in castra Græcorum, fugamque capesserent; Il. Π, 280 sqq. — *Cum defensore*, scil. Ajace. — *Hectoreus Mars*, quia additur verbum *concurrere*, est ipse Hector pugnans. Facilius, nec sine gravitate, certamen hoc singulare Hectoris dictum foret *Hectoreus Mars*, de quo vide ad vers. 87 sqq. Vulgo (et in codice B) legitur *Hectoreis ... telis*.—*Regisque ducumque*, Agamemnon κατ' ἐξοχὴν dictus *rex*, *rex regum*, cæteri vero *duces*. Vide Heinsium, qui hanc lectionem dedit pro, *Regisque ducisque*. — In eo *officio* Ajax, secundum Homerum, erat tertius, Ulysses vero *nonus*. Igitur mentitur rursus, ut detrectet facta Ajacis. — *Munere*, beneficio, ope. — *Vulnere nullo*; immo et hasta et lapide misso vulneratus est ab Ajace; Il. Η, 260 sqq.

281. *Murus*, tutela, præsidium: solemne enim poetis, heroa virumque fortem *murum*, *turrem*, *clypeum* etc. vocare. Achilles ἕρκος Græcorum, Il. Α, 284; Ajax πύργος eorumdem, Od. Λ, 555: vide Drakenb. ad Sil. XVI, 68. — *Sublime*, sublatum humo. — *Corpus et arma*; sic et apud Quint. Calabrum, 286: Ἐσάωσα δ' ὁμῶς τεύχεσσι θανόντα. — *His humeris* repetit, quia negaverat Ajax, parem eum esse ferendis istis armis: sed ipse rursus, quod paulo ante in Ajace vituperaverat, solus communia occupat: vide Q. Calabrum, II, 384, ubi duces communiter Achillem e prælio referunt. Apud Antisth. p. 53, Ajax *corpus* fert Achillis, Ulysses *arma*. — *Laboro*, contendo, operam do.—*Est animus*; hic exspectasses animum intrepidum; sed en conversionem modestam et gratiosam! Subjicit enim, *vestros certe sensurus honores*, qui iis tangi-

Ambitiosa suo fuit, ut cælestia dona,
Artis opus tantæ, rudis et sine pectore miles
Indueret? neque enim clypei cælamina norit,
Oceanum et terras, cumque alto sidera cælo
Pleiadasque, Hyadasque, immunemque æquoris Arcton,
Diversasque urbes, nitidumque Orionis ensem:
Postulat, ut capiat, quæ non intelligit, arma.
Quid? quod me, duri fugientem munera belli,
Arguit incœpto serum accessisse labori?
Nec se magnanimo maledicere sentit Achilli?
Si simulasse vocat crimen, simulavimus ambo:
Si mora pro culpa est, ego sum maturior illo.
Me pia detinuit conjux; pia mater Achillem:
Primaque sunt illis data tempora; cætera vobis.
Haud timeo, si jam nequeo defendere crimen

tur, commovetur, gratumque exhibet animum erga eum, qui tribuit.

289. *Ambitiosa* eleganter, quæ ambierat Vulcanum, blanda oratione eum rogaverat, ut filio fabricaret arma; Il. Σ, 369 sq. — *Cælestia*, a Deo fabricata: Grævianus, pro diversa lectione, *Vulcania dona*. Ea Ajax, vers. 110, negat timido convenire; Ulysses, rudi militi. — *Miles* nunc contemptim, sola manu fortis, quum dux etiam consiliis excellere debeat; Velleius, II, 18, de Mithridate, *consiliis dux*, *miles manu*. Etiam alibi *miles* cum contemptu dicitur; Terent. Eun. II, II, 57. — *Rudis*, non imbutus literis. — *Sine pectore*, sine ingenio. — *Cælamina*, argumenta cælata, ut mox, *quæ non intelligit*, quorum argumenta non edoctus est. — *Pleiadas* etc. Ea ipsa sidera Homerus nominat: etiam *immunem æquoris* ex eodem, vers. 489: ἄμμορος λοετρῶν ὠκεανοῖο· vide II, 172. — *Diversas urbes*, in quibus diversa negotia, belli et pacis, tractantur; Il. Σ, 490 sqq. Sed Lenzius disjunctas intelligit, ut magnitudo clypei indicetur. Bononiensis primus, *diversosque orbes*, ut stellas innuat. Regii ambo *diversasque urbes*. — Versum 295 uncis inclusit Mitsch.

296. *Quid? quod me* etc. Insigni calliditate se tegit exemplo Achillis, et mox gravissima crimina a se amolitur in reliquos duces. — *Munera belli*; quidam (et codex Regius B) *munia belli*. *Munera belli*, omnia quæ ad bellum pertinent, bellum ipsum, ex imitatione Lucretii, apud quem *mœnera militiai* I, 30, et *belli mœnera* vers. 33. — *Labori*, bello.

300. *Maturior*, maturius accessi. — *Illis data*, conjugis et matris causa, pio officio fungentes, cunctabamur primis temporibus; post tamen Græcorum causæ accessimus.

303. *Timeo*... *nequeo*. Vulgo *ti-*

Cum tanto commune viro: deprensus Ulixis
Ingenio tamen ille; at non Ajacis, Ulixes.
Neve in me stolidæ convicia fundere linguæ
Admiremur eum; vobis quoque digna pudore
Objicit: an falso Palameden crimine turpe
Accusasse mihi, vobis damnasse decorum est?
Sed neque Naupliades facinus defendere tantum,
Tamque patens, valuit: nec vos audistis in illo
Crimina: vidistis, pretioque objecta patebant.
Nec Pœantiaden quod habet Vulcania Lemnos,
Esse reus merui: factum defendite vestrum,
Consensistis enim; nec me suasisse negabo,
Ut se subtraheret bellique viæque labori,
Tentaretque feros requie lenire dolores.
Paruit; et vivit: non hæc sententia tantum
Fida, sed et felix; quum sit satis esse fidelem.
Quem quoniam vates delenda ad Pergama poscunt,
Ne mandate mihi: melius Telamonius ibit,
Eloquioque virum morbis iraque furentem

meam ... nequeam; Heinsius conjicit: *Haud timeo, ne grande queam defendere crimen*, ut ironice hæc dicantur. Codex Regius A *Haud timeo, si jam nequeam* etc. codex B lectionem vulgatam habet.—*At non Ajacis*; Basileensis *at non illius*. quod placet Heinsio. Ambo Regii *at non Ajacis*. — *Stolida lingua*, ut alibi *acerba*, *docta* etc. — *Fundere verba* convenit irato, ut XII, 469.—*Admiremur*, miremur.

308. *Palamedes*; de eo vide vs. 60. —*Defendere tantum*; duo *defendere notum*. — *In illo*, illius. — *Objecta*, crimina ei objecta, *pretio*, auro in ejus tentorio reperto, *patebant*.

314. *Factum*: ante Heinsium legebatur *crimen*, quod ille mutavit partim codd. auctoritate, partim quia Ulysses jam negaverit esse crimen: at *crimen vestrum* eleganter, factum vestrum, quod crimini datur: *crimen*. ἔγκλημα, διαβολή.—Codices Regii duo habent *factum*.—De *Pœantiade* confer vers. 45. — *Lenire dolores*; multi veteres *finire dolores*; alii (et codex Reg. B) *finire labores*.

319. *Felix* propter eventum; vivit enim ille.—Pro *fidelem* Hensius malit *fideli*.

320. *Vates*; nempe *Helenus*. de quo vers. 99; postquam captus erat, Græcis indicavit, Trojam sine Philocteta capi non posse: Lesches in Iliade parv. p. 36; Sophocl. Philoct.

Molliet, aut aliqua producet callidus arte.
Ante retro Simois fluet, et sine frondibus Ide
Stabit, et auxilium promittet Achaia Trojæ,
Quam, cessante meo pro vestris pectore rebus,
Ajacis stolidi Danais sollertia prosit.
Sis licet infestus sociis, regique, mihique,
Dure Philoctete; licet exsecrere, meumque
Devoveas sine fine caput, cupiasque dolenti
Me tibi forte dari, nostrumque haurire cruorem,
Utque tui mihi, sic fiat tibi copia nostri;

604 sqq. — *Producet* e latebris suis: *callidus aliqua arte*, callido aliquo consilio. Vulgo *perducet*; Heinsius scribendum censet: *producet alia arte*; quia et eloquium ars est.—Regii codices ambo *perducet*: varietas ex vitio scripturæ breviatæ potuit oriri; namque in *per* et *pro* leve est discrimen. *Ed.*

324. *Ante retro Simois* etc. Quum aliquid fieri posse poetæ negant, recursum fere fluviorum (e græco proverb. ἄνω ποταμῶν, Euripid. Med. 410) atque alia naturæ contraria commemorant: confer XIV, 38; Heroid. V, 29; I Trist. VIII init. Horatium, I, Od. XXIX, 11; Claudianum, XVIII, 352 sqq. Exempla autem hæc nostra accommodata sunt personæ loquentis, et loco, ubi hæc gerebantur.—*Simois* prope Trojam cum Scamandro aquas miscebat; Il. E, 774. — Mox quæritur, utrum *sine frondibus*, an cum uno MS Heinsii *sine fontibus* legendum sit. *Ide* vocatur *humida* lib. X, 71; *fontibus celeberrima* II, 218, ubi vide not. et *umbrosa* XI, 762. Pinetis inprimis abundabat; Virgilius, Æneid. IX, 80 sqq; unde naves fabricari solebant: Horat. I, Od. XV. Etiam IV Fast. 249, eadem varietas est, ubi pro *amœnam fontibus Idam*, quatuor codices *frondibus*. Hoc loco præfero *sine frondibus*, auctoritate plurimorum MSS. Burmannus putat, τῷ *stabit* melius convenire *frondibus*: sed hoc nihili est: mons eleganter *stare* dicitur, pro simplici, *esse*, adeoque hoc verbum cum *fontibus* non minus quam cum *frondibus*, convenit; Horatius, I, Od. IX, 1: *Vides, ut alta stet nive candidum Soracte.*—*Pectus* rursus est ingenium.

329. *Dure Philoctete*; multi (et noster Reg. B, pro diversa lectione) *Jure Philoctete*; tres *dire*. *Durus*, iratus, inexorabilis. Respicit autem Sophoclis fabulam, ubi Philoctetes durissimis verbis insectatur reliquos duces, Ulyssem inprimis et Agamemnonem: confer v. c. vers. 314 seqq.—*Haurit cruorem* (etiam apud historicos, v. c. Curt. IV, XIV, 17) is, qui vulnere inflicto facit, ut sanguis profluat. — Versum sequentem, *Utque... nostri* plurimi postponunt sequenti, unus omittit, et Heinsius post Muretum aut adulterinum aut certe valde depravatum judicat. Si genuinus est, postponi certe debet sequenti.— In codicibus Regiis hi duo versus in eodem or-

Te tamen aggrediar; mecumque reducere nitar;
Tamque tuis potiar, faveat Fortuna, sagittis,
Quam sum Dardanio, quem cepi, vate potitus;
Quam responsa Deum, Trojanaque fata retexi,
Quam rapui Phrygiæ signum penetrale Minervæ
Hostibus e mediis: et se mihi comparet Ajax?
Nempe capi Trojam prohibebant fata sine illis.
Fortis ubi est Ajax? ubi sunt ingentia magni
Verba viri? cur hic metuis? cur audet Ulixes
Ire per excubias, et se committere nocti?

dine, quo hic, positi sunt.—In posteriori autem, *Te tamen* etc. valde discrepant MSS: multi (et Regius A) habent, *Te tamen aggrediar, nec inultus, spero, relinquar;* nonnulli, *aggrediar longe formidine pulsa;* sex, *aggrediar sollerti pectore fidus;* duo, *castrisque reducere nitar,* quod Burmanno non displicebat, nec Lenzio: sed hæc mera sunt librariorum supplementa. In prim. Palat. inter lineas erat scriptum, *Te tamen aggrediar*, reliquis omissis; id probat Heins. Non enim dubitat, hunc et plures versus ab Ovidio relictos esse imperfectos. Mihi vero parum credibile videtur, fecundum Ovidii ingenium, tam verba quam sententias sæpenumero temere profundens et cumulans, versus reliquisse imperfectos; putem potius, posteriorem hujus versus partem in antiquissimo codice, unde reliqui descripti sunt, fuisse deletam; hinc librarios, pro suo quisque ingenio, lacunam explesse. Ex his igitur supplementis, quum nesciamus, quid Ovidius scripserit, licet eligere, quod cuique lectori præ cæteris probatur.—*Faveat Fortuna;* subintellig. dummodo. *Ed.*

335. *Dardanius vates*, Helenus, de quo, vs. 99.—*Responsa Deum*, scil. exitio fore Trojanis, si Palladium auferatur.—*Signum penetrale*, stans in penetralibus, ut *penetrales Dii* apud Cic. Nat. Deor. II, 27.—*Sine illis*, Heleno et Palladio. Ita dedit Burmannus ex quatuor MSS, Francofurtensi, Sixii, Francii et Moreti, quum reliqui omnes *sine illo* habeant, quod dupliciter intelligi potest, vel sine Palladio, vel ironice, sine Ajace: sed *illis* multo melius; Mitscherlichius tamen alterum revocavit.—Regii codices ambo *sine illo*, quod bene erat: Palladio rapto, id est sapientia sublata, civitates facile evertuntur. *Ed.*

340. *Fortis ubi est Ajax?* Jam hic rursus habet, in quo exsultet sua oratio; confer Virgil. Æn. II, 162–179, unde apparet, non temere hoc facinore gloriari Ulyssem.—*Magna verba* gloriantis sunt, ut alibi vidimus; sed exsultans Ulysses *ingentia* potius ei tribuit.—Præsens *metuis* Lenzius urget, putatque Ulyssem fingere, eo ipso tempore, quo hæc loqueretur, Ajacem metu esse correptum. Immo per totum hunc locum præsentia sunt pro præteritis.—*Ire per excubias;* unus Heinsii *ire per insidias*. Regii codices *excu-*

Perque feros enses, non tantum mœnia Troum,
Verum etiam summas arces intrare, suaque
Eripere æde Deam, raptamque efferre per hostes?
Quæ nisi fecissem, frustra Telamone creatus
Gestasset læva taurorum tergora septem.
Illa nocte mihi Trojæ victoria parta est:
Pergama tum vici, quum vinci posse coegi.
Desine Tydiden vultuque et murmure nobis
Ostentare meum: pars est sua laudis in illis.
Nec tu, quum socia clypeum pro classe tenebas,
Solus eras; tibi turba comes; mihi contigit unus,
Qui, nisi pugnacem sciret sapiente minorem
Esse, nec indomitæ deberi præmia dextræ,
Ipse quoque hæc peteret: peteret moderatior Ajax,
Eurypylusque ferox, claroque Andremone natus;
Nec minus Idomeneus, patriaque creatus eadem
Meriones; peteret majoris frater Atridæ:

bias, quod melius convenit seq. *et se committere nocti.* Ed. — *Summas arces*, ubi vigiles trucidavit.

348. *Victoria parta est;* Mediceus *victoria pacta*, quod placet Burmanno, qui comparat *laudem desponsatam* Ciceronis, Harusp. Resp. 3; eadem varietas reperta est in lib. XII, 293. Regii codices hic, ut in loco cit. habent *parta*.

350. *Desine Tydiden* etc. Ingeniose, nec sine auctoritate aliorum oratorum, hoc finxit. Præsentis ingenii est, ea arripere, iisque in rem suam uti, quæ inter dicendum ante oculos geruntur. — *Tydiden meum*, Diomedem mihi amicum. *Ed.* — *Ostentare*, demonstrare, indicare, Diomedem fuisse socium istius facinoris. — *Pars ... in illis;* vulgo (et in Reg. codicibus) *in illo;* Heinsius legit *pars et sua laudis in illis;* vel, *pars est sua laudis et illi.*

355. *Indomitæ dextræ*, viribus ratione carentibus, temeritati. *Ed.* — *Ajax*, Oileos; vide XII, 622. — *Eurypyli* plures fuere: vid. Burm. Hoc loco intelligendus Euæmonis filius, qui ex Ormenio Thessaliæ urbe copias adduxerat; Il. B, 734; E, 76. — *Ferox*, bellicosus. — *Andremone natus*, Thoas Ætolorum dux, qui cum quadraginta navibus in expeditionem Trojanam Agamemnona est secutus: is, quum viribus plurimum posset, Achillis tamen arma non poposcit. Hic Eurypylo, quod ad Thoanta pertinet, falso Regius tribuit; confer Homerum, Il. B, 638. *Ed.* — *Idomeneus*, dux Cretensium, δουρικλυτός· Il. B, 651; cujus auriga *Meriones*, fortissimus et ipse, Ho-

Quippe manu fortes, nec sunt tibi Marte secundi,
Consiliis cessere meis: tibi dextera bello
Utilis; ingenium est, quod eget moderamine nostri.
Tu vires sine mente geris; mihi cura futuri est:
Tu pugnare potes; pugnandi tempora mecum
Eligit Atrides: tu tantum corpore prodes;
Nos animo: quantoque ratem qui temperat, anteit
Remigis officium; quanto dux milite major;
Tanto ego te supero: necnon in corpore nostro
Pectora sunt potiora manu: vigor omnis in illis.
At vos, o proceres, vigili date præmia vestro;

ratius, I, Od. VI, 15, et ἀτάλαντος Ἄρηϊ dictus Il. B, 651.

360. *Quippe manu fortes*, etc. Heinsius conjicit *Quippe animæ fortes, tibi nec Mavorte secundæ*. Duo Leidenses *mihi Marte secundi*, quod placet Burmanno, ut sit oppositio cum sequentibus; interpretaturque, mihi non cedunt bellica virtute, sed prudentia.—Regii codices nihil mutant et bene; nec adversatur Florentinus S. Marci optimus, in quo legitur: *Quippe manus fortes, nec sunt tibi Marte secundæ*. Hoc loco, non tam de Ulysse quam de Ajace agitur: « Tu petis arma; sed non *tu solus eras, tibi turba comes: Ajax* Oileos, *Eurypylus*, et alii; *nec sunt tibi Marte secundi*, *Consiliis cessere meis*, id est, mihi cessere in hoc certamine armorum, quia consiliis ego abundo. » Quare tota phrasis, qualem habent codices, et præcipue vox *tibi* est servanda. *Ed.*—*Dextera...ingenium* etc. Comparatio fortis manu ducis cum sapiente; Sallust. Catil. I, 1: « Sed diu magnum inter mortales » certamen fuit, vine corporis, an » virtute animi res militaris magis » procederet. Nam et, prius quam » incipias, consulto, et, ubi consulueris, mature facto opus est. Ita » utrumque per se indigens, alterum alterius auxilio veget. »—*Moderamine nostri*, ingenii. Gronovian. et unus Heinsii *moderamine certo*; omnes alii, præter primum Palat. *moderamine nostro*: ita et in Regiis codicibus.

365. *Corpore prodes*. Bersman. in margine, et editi quidam *corpore polles*, non male.—*Tanto ego te supero* recepit Burmannus ex multis veteribus, pro vulgat. *tantum*, quod in Regiis codd. legitur.

370. *At vos, o proceres*, etc. Quum singula nunc argumenta sine tædio repeti non possunt, quod interdum magnam habet vim in peroratione, reliqua quidem gravissimis his verbis, *Proque...egi* breviter complectitur; validissimum autem de Palladio erepto, quo omnis salus Trojanorum nitebatur, nominatim urget. Vulgare fuisset, etiam in posterum suam operam promittere sociis, sed hoc graviter et inexspectato ita convertit, ut per futura facinora, sive sapientiam, sive audaciam requirant, obtestetur judices, quorum

Vela dat, ut referat, Tirynthia tela, sagittas.
Quæ postquam ad Graios, domino comitante, revexit;
Imposita est sero tandem manus ultima bello.
Troja simul Priamusque cadunt: Priameia conjux
Perdidit infelix hominis post omnia formam;
Externasque novo latratu terruit auras.

Longus in angustum qua clauditur Hellespontus,
Ilion ardebat; neque adhuc consederat ignis;
Exiguumque senis Priami Jovis ara cruorem
Combiberat: tractata comis antistita Phœbi

*que Thoantis*¹, *Vela dat, ut referat, Tirynthia tela, sagittas, Et veterum terras infames cæde virorum*; ut versus extremi verba regat τὸ *referat*. Si ea lectio, quæ certe non est improba, reciperetur, recipi quoque posset versus ille *Transierat tandem portu votoque potitus*, qui cum extremo nostri codicis versu facile jungeretur, sublata distinctione post *virorum*. Ed.—*Sagittas*, nempe *Tirynthia tela*, (ut II, 616, *Odit temeraria tela, sagittas*) tela Herculis, quorum *dominus* nunc Philoctetes; vide ad vs. 44.—*Sero... bello*: vulgo, et in Regiis codicibus, *fero*; unus Heinsii *sævo*.

406. *Novo latratu terruit auras*; canis facta est; confer, 567 sqq: etiam VII, 362, *Mæra novo latratu terruit agros*; namque *terrere* de voce ingrata dicitur, v. c. vaccæ I, 638; asini, Phædr. I, xi, 5, *ut insueta voce terreret feras*. Talis vox terret proprie homines et feras, hinc urbes et agros (VII, 362) et apud poetas etiam *auras*. ut I Fast. 567, *fragor æthera terruit ipsum*. Male igitur h. l. multi, *aures*. — *Externas*, peregrinas, in terra peregrina.—*Novus* solemne de corporibus transformatis.

407. *Longus Hellespontus*; mare est angustum et longum Asiam ab Europa disterminans: *clauditur in angustum*, angustatur, maxime illic ubi olim fuerunt Sestos et Abydos; protenditur autem ad Troas, ubi fuit Ilium. *Ed.* — Quidam legunt: *qua pontus clauditur Helles*, ut XI, 195, ubi vide de hujus nominis origine. — *Consederat*, exstinctus erat; nam qui *consident*, requiescunt, nec progrediuntur. Secundum nonnullos, Ilium sub discessum demum Græcorum est combustum; Arctin. p. 38; Euripides, Troad. 1260 sqq, ubi Talthybius id imperat.—*Senex*; vide ad XII, 607; *exiguum*, quia senes minus sanguinis habent, quam juvenes, qui apud poetas fere *multo cum sanguine* vitam fundunt; confer VII, 315: expressit Nostrum Seneca, Agam. vs. 656: *Vidi senis in jugulo Telum Pyrrhi vix exiguo Sanguine tingui.—Priamus* ad *Jovis aram* trucidatus est a Neoptolemo, Achillis filio; Virg. Æn. II, 512 sqq.

410. *Tractata* habent quinque, in quibus Thuan. primus Moreti, Cantabr. Oxon. unde accepit Heinsius, qui tamen olim legebat *raptata*; vulgo *tractisque* (ut in codice Regio A), aut *tractaque* (ut in codice B). *Tractata* antique pro, tracta, rapta.

Non profecturas tendebat ad æthera palmas.
Dardanidas matres patriorum signa Deorum,
Dum licet, amplexas, succensaque templa tenentes
Invidiosa trahunt victores præmia Graii.
Mittitur Astyanax illis de turribus, unde
Pugnantem pro se, proavitaque regna tuentem
Sæpe videre patrem monstratum a matre solebat.
Jamque viam suadet Boreas; flatuque secundo
Carbasa mota sonant: jubet uti navita ventis.

Exempla e Pacuv. Lucret. et Ennio habet Heinsius. — Etiam *antistita* antique pro, antistes, sacerdos femina; et miratur Gellius, Noct. Att. XIII, 20, ipsum Ciceronem, qui insolentias verborum a veteribus dictorum sedulo respuerit, hujus tamen verbi sonitu delectatum esse Verr. IV, 45. Intelligitur autem h. l. Cassandra ab Ajace, Oilei filio, e Minervæ templo abstracta; vide Euripid. Troad. 69 sqq; Virgil. Æn. II, 403, quem Noster ante oculos habuit: « Ecce trahebatur passis Pria» meia virgo Crinibus a templo Cas» sandra, adytisque Minervæ, Ad » cælum tendens ardentia lumina » frustra: Lumina; nam teneras » arcebant vincula palmas. » Erat autem secundum Arctin. Minervæ antistita, sed a *Phœbo* vaticinandi artem edocta.

412. *Dardanidas matres* etc. Captivas mulieres ad Scamandrum ducebant, ibi distribuendas: desiderium patriæ religiose declarabant, amplectendis ex more veterum tali tempore signis Deorum etc. — *Dii patrii* vel Penates, vel Dii ἐγχώριοι. — *Invidiosa* varie accipi potest, vel quorum species ingrata et tristis, ut V, 573; vel quæ invidiam faciebant inter eos, a quibus expetebantur, ut IX init. *spes invidiosa;* vel denique quæ odio prosequebantur victores.

415. *Astyanax*, parvulus filius Hectoris, consilio et manu Ulyssis *mittitur*, præcipitatur, de turribus Trojanis, quia metuebant Græci, ne quando regnum Trojanum restitueret; Arctin. p. 38; Lesches apud Pausaniam, p. 861; Euripid. Troad. 720, et Act. V. — *Unde videre solebat* etc. vide ad VIII, 21. Consuetudo ibi notata suggessit poetæ commodam hanc circumlocutionem. Expressit Nostrum Seneca, Troad. vs. 1066–1072. — *Pro se* et ad Hectorem et ad Astyanacta referri potest. — *Proavita*, quæ diu sub majoribus suis floruerant, adeoque carissima esse debebant Hectori: bene etiam ad affectum, *monstratum a matre;* talia non facile negligit ingenium Ovidii: Andromachen autem cum Astyanacte spectasse pugnantes e turri, testatur Homerus, Il. Z, 372 et 386. — Pro *regna tuentem*, quidam *regna tenentem*.

418. *Viam*, navigationem. — *Suadet*, monet, ut naves solvant: sic Virgilius, Æn. II, 9, *suadentque cadentia sidera somnos:* sed Burmanno elegantior etiam videtur unius cod. Leidensis lectio, *viam spondet*, promittit prosperum cursum. — *Navita*

« Troja, vale; rapimur; » clamant, dantque oscula terræ
Troades, et patriæ fumantia tecta relinquunt.
Ultima conscendit classem, miserabile visu!
In mediis Hecube natorum inventa sepulcris.
Prensantem tumulos, atque ossibus oscula dantem
Dulichiæ traxere manus: tamen unius hausit,
Inque sinu cineres secum tulit Hectoris haustos.
Hectoris in tumulo canum de vertice crinem,
Inferias inopes, crinem, lacrymasque relinquit.
  Est, ubi Troja fuit, Phrygiæ contraria tellus,

pro plural. navitæ, rectores navium. In sequentibus cum multa brevitate multa etiam vis: *osculabantur* et novam patriam, quam ingrediebantur (III, 24) et veterem, quam relinquebant. Mox *flammantia*, quod pro *fumantia* duo MSS habent, posset quidem e vers. 408 defendi, *neque adhuc consederat ignis*; sed præstat auctoritatem plurimorum MSS sequi. Etiam apud Euripidem, Troad. in abitu Græcorum *fumans* Ilium describitur: vers. 8, νῦν καπνοῦται· vers. 146, τύφεται Ἴλιον· et apud Virgilium, Æneid. III, 3, ubi proficiscitur Æneas, *omnis humo fumat Neptunia Troja*.

422. *Ultima* Hecuba conscendit *classem*, navem, ex Euripid. Troad. vers. 1330; sed Noster causam moræ satis piam addidit: notus mos amplectendi sepulcra amicorum; conf. II, 338; *prensantem*, amplectentem. MSS ultra vigenti, *pressantem*, scil. pectore, ut II d. l. *incubuit*, et lapidem *aperto pectore fovit*; et apud Prudent. Peristeph. II, 535, in simili officio, *Qui pectus in terram premit*; sed propter *traxere*, tueor *prensantem*. — *Dulichiæ*, quia Ulyssi tributa Hecuba; Euripides, Troad. 1285. — *Traxere manus*; nonnulli *rapuere manus*. — *Hausit*, effodit, ut XI, 187, *hausta terra*. Cineres amicorum peregre mortuorum in patriam interdum portari solebant, plerumque in *sinu*: sic apud Martialem, IX, Epigr. 31, *Rettulit ossa sinu cari Nigrina mariti*; sic etiam Agrippina cineres Germanici sui secum adtulit Romam; Tacitus, Ann. II, LXXV, 1.

427. *Canum de vertice crinem*: Heinsius e quinque MSS probat *canum de vertice raptum*; Burmannus mallet *cano de vertice raptum*. — *Inopes*, viles, quales sunt inopum hominum: eas nunc offerre cogitur regina modo beatissima. Contra apud Eurip. Troad. 1249, πλούσια κτερίσματα, divites inferiæ, quas ibi spernit ipsa Hecuba hoc tali tempore.

429. *Contraria*, ex adverso atque e regione posita (vide I, 65): designat Thraciam, quæ Hellesponto a Phrygia separatur. Illius autem partem extremam *Bistones* tenebant; sed h. l. pro universis Thraciæ incolis commemorati sunt; nam Polymestoris regia in Chersoneso Thracica erat; vide Euripid. Hec. 8, et 569; quamquam eam ad Hebri ostia transtulit Virgilius, Æn. III,

Bistoniis habitata viris. : Polymestoris illic
Regia dives erat, cui te commisit alendum
Clam, Polydore, pater, Phrygiisque removit ab armis.
Consilium sapiens, sceleris nisi præmia magnas
Adjecisset opes, animi irritamen avari.
Ut cecidit Fortuna Phrygum, capit impius ensem
Rex Thracum, juguloque sui defigit alumni:
Et, tamquam tolli cum corpore crimina possent,
Exanimem e scopulo subjectas misit in undas.
Litore Threicio classem religarat Atrides,
Dum mare pacatum, dum ventus amicior esset.
Hic subito, quantus, quum viveret, esse solebat,
Exit humo late rupta, similisque minaci
Temporis illius vultum referebat Achilles,

13 sqq, ubi vide Heynii Excurs. I. —Vulgo edebatur *Polymnestor*, sed Heinsius prætulit *Polymestor*, ut legitur apud Euripidem, Tzetzem et alios : similiter veteres scribebant *Clytemestra*. — Regii codices dant *Polymestoris*, quod metro necessarium constat. *Ed.*—*Committi* de iis, qui traduntur alterius curæ.—*Polydorus* apud Homer. Il. Υ, 407 sqq, ab Achille interficitur. Sed Noster et Virgil. secuti sunt Euripid. Hec. init. Alii aliter; vid. Hyginus, fab. 109; Servius ad Virg. Æneid. III, 49. — *Irritamen*, ut I, 140, *opes*, *irritamenta malorum.* Similem sententiam addit Virgilius : *Quid non mortalia pectora cogis, Auri sacra fames?* Etiam a Propertio, III, XI, 55, abominabile hoc avaritiæ exemplum commemoratur.

435. *Fortuna* singulis terris urbibusque tribuebatur, quæ cum illis vel stare vel *cadere* et vinci dicebatur. — *Jugulo defigit alumni*; vulgo *demisit alumni.* Codex Regius A *defixit alumni*; codex B *demisit.* — *E scopulo mittitur in undas* etiam apud Eurip. Hec. 26, et 697; apud Virg. autem, vers. 45, telis obruitur.

439. *Litore Threicio* etc. In Thracia Græci Achilli, in agro Trojano sepulto, κενοτάφιον exstruxerant. Quum igitur discedere vellent, umbra ejus apparet, et postulat, ut Manibus suis Polyxena, Hecubæ filia, immoletur; Euripides, Hec. 35 sqq, 110 sqq; Seneca, Troad. 191; Q. Calab. XIV. Exstat in eam Ausonii Epitaph. XXVI. Ex antiqua traditione, quam Arctin. et auctor carminis Νόστοι servarunt, Achillis umbra Græcis in agro Trojano apparuit: sed Noster hic quoque Euripidis vestigia premit. — *Religarat* retinaculis.—*Dum*, donec; vide Burmannum ad Phædr. III, x, 13.—*Amicior*, ut I Trist. v, 17, *vento ferri amico.*—Docte ex Homero, Il. Α, 188 sqq, certum quoddam tempus memorat, quo minacem habuerat vultum. *Refert* et *reddit* vultum alterius,

Quo ferus injusto petiit Agamemnona ferro.
« Immemoresque mei disceditis, inquit, Achivi ?
» Obrutaque est mecum virtutis gratia nostræ ?
» Ne facite ; utque meum non sit sine honore sepulcrum,
» Placet Achilleos mactata Polyxena manes. »
Dixit : et immiti sociis parentibus umbræ,
Rapta sinu matris, quam jam prope sola fovebat,
Fortis, et infelix, et plus quam femina, virgo
Ducitur ad tumulum, diroque fit hostia busto.
Quæ memor ipsa sui, postquam crudelibus aris
Admota est, sensitque sibi fera sacra parari;
Utque Neoptolemum stantem, ferrumque tenentem,
Inque suo vidit figentem lumina vultu :
« Utere jamdudum generoso sanguine, dixit ;

qui ei similis est; vide Drakenb. ad Sil. II, 634. — *Petiit*, petere voluit.

446. *Gratia* placet præ altero, *gloria*, quod tuentur multi MSS. Illa enim gravius incitamentum ad officia persolvenda, quam hæc. — *Non sit sine :* Broukhusius malebat *ne sit.* — *Sine honore*, sine inferiis, ut sacra sæpe *honores* dicuntur.

449. *Sociorum* sententiæ divisæ erant, aliis non *parendum immiti umbræ* censentibus : sed hic quoque vicit eloquium Ulyssis; Euripid. vs. 119 seq. — *Fovebat* eleganti metaphora amorem exprimit, quo parentes amplectuntur liberos.—*Solus* et *solitudo* de iis dicitur qui parentibus, conjugibus, liberis privati sunt. —*Plus quam femina*, superans sexum suum tolerandis calamitatibus; IX, 543, *plus quam ferre puellam Posse putes, ego dura tuli.* Tan. Faber h. vers. ad artis regulas morose examinans, valde eum improbat, emendatque, *Fortiter infelix.* Æstum ejus componit Burmannus qui suadet, *Fortis* (*at infelix*); verum illud *at* hic vix habet suum locum. Ordo verborum debebat esse, virgo, infelix, sed fortis et plus quam femina : sed licuit poetæ hæc verba transponere, ut centies factum videmus.

453. *Memor sui*, se esse virginem regiam, et animum fortem servans. Hos mores spirat tam quæ sequitur oratio, quam præclara cædis ipsius narratio, vers. 475-480, ad exemplum Euripidis, vs. 345 sqq.—*Fera sacra :* nonnulli *fera fata;* unus Mediceus *fera busta*, unde Heinsius conjicit *fera justa. Fera sacra* in Regiis codicibus. *Sibi sacra parari*, pro, se destinatam esse hostiam, etiam apud Virgilium, Æn. II, 132. Non autem tum demum *sensit*, sed jam ante cognorat.—*Neoptolemus* sacerdos erat constitutus hujus sacrificii; Euripides, vers. 223. Quomodo interfecta sit, diligenter matri refert Talthybius ibid. vers. 521 sqq.

457. *Jamdudum*, continuo, quam

» Nulla mora est : at tu jugulo, vel pectore telum
» Conde meo (jugulumque simul, pectusque retexit).
» Scilicet aut ulli servire Polyxena ferrem,
» Aut per tale sacrum numen placabitur ullum :
» Mors tantum vellem matrem mea fallere posset.
» Mater obest, minuitque necis mihi gaudia; quamvis
» Non mea mors illi, verum sua vita gemenda est.
» Vos modo, ne Stygios adeam non libera manes,
» Este procul, si justa peto; tactuque viriles
» Virgineo removete manus; acceptior illi,
» Quisquis is est, quem cæde mea placare paratis,
» Liber erit sanguis : si quos tamen ultima nostri
» Verba movent oris; Priami vos filia regis,

primum, ut XI, 482.—*At tu*, pro *aut tu* (quod legitur in Reg. nostris), e Moreti et tribus aliis dedit Heinsius; illudque eleganter sic ponitur; vide I, 760; Remed. Am. 371, et alibi. Ap. Eurip. vs. 563, rupto peplo, ἰδοὺ, inquit, *τόδ᾽ εἰ μὲν στέρνον, ὦ νεανία, Παίειν προθυμῇ, παῖσον. εἰ δ᾽ ὑπ᾽ αὐχένα Χρῄζεις, πάρεστι λαιμὸς εὐτρεπὴς ὅδε.* Dictis et factis sic ostenderat, se libentissime oppetere mortem; jam vers. 460 sq, causam addit : malo equidem morte mea numen aliquod placare, quam servitutem ferre. Quum librarii hunc nexum non perspicerent, prius *aut* mutarunt in *haud.* — *Polyxena* cum vi, pro, ego : vide ad vers. 17. Eurip. v. 361, *ἐμὲ τὴν Ἕκτορός τε χ᾽ ἀτέρων πολλῶν κάσιν.* — *Ferrem*, sustinerem, ut Heroid. V, 12, *servo nubere tuli*, et sæpius apud Nostrum. Vulgo legitur *vellem*; sed plurimi (et codex Regius A) *ferrem*; aliud ex interpretatione fluxit.—*Mors tantum* etc. Languidos judicat Burmannus et simul durissimos hos numeros, tribus vocibus in mugientem illam literam *m* exeuntibus, et tribus ibidem spondeis se subsequentibus; mallet : *Mors tamen hæc vellem mea matrem fallere posset.* — *Fallere*, latere. — *Mater obest*; dolor quo mater adficitur morte mea, animum meum cruciat. *Ed.*

465. *Vos modo* etc. Adstabant lecti juvenes Græcorum, qui apprehenderent virginem; Eurip. vers. 545. Hos *esse procul* vult, ut *libera*, volens, non coacta, quod servile foret, moriatur. Hoc quoque sumsit ab Euripide, vers. 548 : *Ἑκοῦσα θνήσκω, μή τις ἅψηται χροὸς Τοὐμοῦ· παρέξω γὰρ δέρην εὐκαρδίως. Ἐλευθέραν* (non adprehensam) *δέ μ᾽, ὡς ἐλευθέρα θάνω, Πρὸς θεῶν μεθέντες, κτείνατ᾽. Ἐν νεκροῖσι γὰρ Δούλη κεκλῆσθαι, βασιλὶς οὖσ᾽, αἰσχύνομαι.* Alio sensu apud Senecam, Troad. 144, *felix Priamus Dicite cunctæ : liber manes Vadit ad imos.* Etiam Gestar apud Silium, II, 367, *liber Acheronta videre* cupit.

470. *Verba movent. Vota* tres Heinsii; idque in suo codice ex antiquis

» Non captiva, rogat : genetrici corpus inemtum
» Reddite; neve auro redimat jus triste sepulcri,
» Sed lacrymis : tunc, quum poterat, redimebat et auro. »
Dixerat : at populus lacrymas, quas illa tenebat,
Non tenet : ipse etiam flens invitusque sacerdos
Præbita conjecto rupit præcordia ferro.
Illa, super terram defecto poplite labens,
Pertulit intrepidos ad fata novissima vultus.
Tunc quoque cura fuit partes velare tegendas,
Quum caderet, castique decus servare pudoris.
Troades excipiunt, deploratosque recensent
Priamidas; et quid dederit domus una cruoris;
Teque gemunt, virgo; teque, o modo regia conjux,
Regia dicta parens, Asiæ florentis imago;

notarat Politianus. Regii cod. *verba.* — Mox pessime vulgo legitur *Nunc captiva*, pro *non captiva.* — In codice Regio B reperimus *nunc;* sed in codice A post literam *n*, quæ est a prima manu, manus posterior literam *c* lineolamque compendii longe dissimili atramento adscripsit. *Ed.* — *Inemtum*, ut ἀπριάτην apud Homerum, Il. A, 99, ubi explicationis causa subjicitur ἄποινον. — *Neve auro redimat* etc. Cicero, Verr. V, 45, in summæ crudelitatis Verrinæ speciminibus numerat hoc, quod parentes occisorum liberorum coacti fuerint *redimere pretio sepeliendi potestatem.* — *Tunc ... auro :* Hectoris corpus auro redemerat Priamus; Homer. Il. Ω, 299 sqq. Quod ille fecerat, id nunc Hecubæ tribuitur.

474. *Populus*, exercitus Græcus tumulum cingens. — *Tenebat*, reprimebat. Magna in his et in sequentibus virginis commendatio. — *Flens invitusque.* Οὐ θέλων τε καὶ θέλων, οἴκτῳ κόρης, Eurip. vers. 560. — *Defecto* (ita legitur in Regiis codicibus); multi *deflexo;* alii *defesso. Defectus*, deficiens, ut IX, 154. *Succiduus poples* labanti tribuitur X, 458.

479. *Tunc quoque cura* etc. De studio moribundorum decore cadendi, post Cortium et Gesnerum ad Plinii Ep. IV, XI, 9, nonnulla collegit Klotzius ad Tyrtæum, p. 63 : idque studium inprimis decebat virginem ingenuam. Sed hæc quoque translata ex Euripid. vs. 569 : Πολλὴν πρόνοιαν εἶχεν εὐσχήμως πεσεῖν, κρύπτουσ' ἃ κρύπτειν ὄμματ' ἀρσένων χρεών. — *Partes tegendas*, modeste.

482. *Quid ... cruoris;* nam Priamidæ omnes fuerant interfecti. — *Teque gemunt* etc. Præclare ad commiserationem faciendam valet hæc pristinæ et præsentis fortunæ comparatio, ut et quæ sequuntur, vers. 509 sqq. — *Asiæ florentis imago*, cujus felicitas respondebat opulentiæ Asiæ minoris, cujus florentissima pars parebat Priamo; Virg. Æn. II, 556 : *tot quondam populis terrisque*

Nunc etiam prædæ mala sors : quam victor Ulixes
Esse suam nollet, nisi quod tamen Hectora partu
Edideras : dominum matri vix repperit Hector.
Quæ corpus complexa animæ tam fortis inane,
Quas toties patriæ dederat, natisque, viroque,
Huic quoque dat lacrymas; lacrymas in vulnera fundit;
Osculaque ore tegit, consuetaque pectora plangit;
Canitiemque suam concreto in sanguine verrens,
Plura quidem, sed et hæc laniato pectore dixit :
« Nata, tuæ (quid enim superest?) dolor ultime matri,
Nata, jaces; videoque tuum, mea vulnera, vulnus!

superbum Regnatorem Asiæ; Seneca, Troad. vers. 6, Troja *columen pollentis Asiæ*. — *Prædæ mala sors*, vilis prædæ pars, quæ sorte distribuebatur : ipsa Hecuba apud Senecam, vers. 58, *præda quem vilis sequar? Mea sors timetur*. — *Nisi tamen* correctioni aut exceptioni declarandæ inseruit, ut vers. 507, *si tamen*.—*Edideras* de suo dedit Heinsius; vulgo (et in codicibus Regiis) *Ediderat*; fragmentum Boxhornii *Hectora partum Ediderat*, ut sit appositio.—*Dominum...Hector*; Hector virtute sua vix effecit, ut quisquam hostium matrem suam servam habere vellet : quo nihil tristius.

488. *Animæ tam fortis inane*; conjunge, *inane animæ*; unde discesserat anima tam fortis : Heroid. III, 60, *Sanguinis atque animi pectus inane*.—*In vulnera fundit*; IV, 140, *vulnera supplevit lacrymis*. — *Osculaque ore tegit*; Thuaneus *petit*, non male, judice Heinsio qui etiam conjiciebat *terit*; idem tamen dedit *legit* ex octo MSS in quibus sec. Palat. Oxon. quartus Medic. et comparat e Virgilii Æn. IV, 684, *extremum halitum ore legere*; et e Senec. Herc. Œt. *spiritum ore legere* : sed aliud est *halitum legere*, aliud, *oscula*. Rectius hoc diceretur de amantibus oscula furtim rapientibus; nempe non movenda erat lectio vulgata *tegit*. Tegit ore suo os filiæ, ex more de quo vid. ad XII, 423, quamquam anima nunc jam aufugerat. Lenzius tamen *legit* exquisitius judicat, atque explicat, colligit oscula, osculatur. Ambo Regii codices *tegit*. — *Canitiemque* etc. Proprie verrit sanguinem canis, sed maluit inverse, canos verrit in sanguine, ut vers. 961, *cæsariem per æquora verrere*.

493. *Sed et hæc*, quæ deploratam Hecubæ sortem egregie pingunt, et commiserationem extorquent legentibus.—*Dolor ultime*, ut X, 193, *Tu dolor es facinusque meum*.—Sine causa Heinsius *matris* MSS Ambr. et unius Patav. auctoritate, mutavit in *matri*; suadebat etiam *Nata tuæ, quis enim superest dolor? ultima matri*. Abstractis pro concretis positis frequentius etiam genitivus additur, quam dativus : XII, 612, Achilles *timor Phrygum*; vide omnino Bentlei. ad Horat. I, Od. xv, 21. — *Tuum, mea vulnera, vulnus!*

En, ne perdiderim quemquam sine cæde meorum,
Tu quoque vulnus habes : at te, quia femina, rebar
A ferro tutam; cecidisti et femina ferro :
Totque tuos idem fratres, te perdidit idem
Exitium Trojæ, nostrique orbator, Achilles.
At postquam Paridis cecidit, Phœbique sagittis,
Nunc certe, dixi, non est metuendus Achilles :
Nunc quoque mi metuendus erat : cinis ipse sepulti
In genus hoc sævit; tumulo quoque sensimus hostem:
Æacidæ fecunda fui : jacet Ilion ingens;
Eventuque gravi finita est publica clades,
Si finita tamen : soli mihi Pergama restant,

eadem forma, quæ X, 197; *videoque tuum, mea crimina, vulnus.* Hoc loco legitur vulgo *meum, tua vulnera, pectus*; quidam *meum, tua vulnera, vulnus*; alii aliter; Heinsius conjicit *tuum, mea funera, funus.*— In codice Regio A *meum, tua vulnera, vulnus*; in codice B *tuum, mea vulnera, pectus*; et pro varia lectione *vulnus*. Ed.

500. *Exitium Trojæ* etiam Paris vocatur a vetere poeta apud Cic. de Div. I, 21; et Ulysses ab Horatio, I, Od. xv, 21. Achilles *exitium Trojæ* ob captas tot urbes, interfectosque tot viros, Hectora inprimis, qui unus omnium fortissime defendebat patriam.

503. *Cinis ipse sepulti*; multi *cinis ipse sepultus*, ut versu 615, et apud Virgil. Æn. IV, 34.—Codices Regii *sepulti.—Cinis ... sævit*, et in *tumulo* (juxta tumulum; Urbinas quidem habet *tumulum*) *quoque sensimus hostem* eodem redeunt; itaque jam Scaurus apud Senecam, Controv. 28, Ovidium vituperat, quod nec hoc, nec aliis locis scierit, quæ bene cesserint, relinquere: sed morosus ille nimis est, quum etiam sequentia, *Æacidæ fecunda fui*, abesse vult; his enim verbis utique aliquid novi additur: Achilles etiam mortuus in genus nostrum sævit, ut adeo ei soli tot liberos peperisse videar. Quamquam nec alterum urgendum est; lugentium enim affectus verbosus esse solet, miseriamque suam varie expressam repetere. Cæterum confer Q. Calabr. XIV, 297 sqq, ubi eadem sententia.

505. *Jacet Ilion*; Boxhornii liber *fuit Ilion*, ut Virgil. Æn. II, 325. — *Ilion ingens*; vide ad vers. 169. — *Eventus gravis*, exitus tristis, ipsum Ilii excidium.—*Si finita tamen*, quod Heinsius e MSS pr. Reg. et uno Med. recepit, bene se habet; vide vs. 486: quamquam nec male cum MS Palat. legeres, *Sit finita tamen*. Temere autem Schepperus emendabat, *Sed finita aliis*, ut valida oppositio esset: atqui oppositio satis valida in *publica clades*, quæ ad omnes pertinet, et *soli mihi.—Pergama restant*, restant pericula et metus, tamquam Pergama adhuc oppugnarentur; etiam Heroid. I,

In cursuque meus dolor est : modo maxima rerum,
Tot generis natisque potens, nuribusque, viroque,
Nunc trahor exsul, inops, tumulis avulsa meorum,
Penelopæ munus; quæ me data pensa trahentem
Matribus ostendens Ithacis, « Hæc Hectoris illa est
» Clara parens : hæc est, dicet, Priameia conjux. »
Postque tot amissos tu nunc, quæ sola levabas
Maternos luctus, hostilia busta piasti.
Inferias hosti peperi : quo ferrea resto?
Quidve moror? quo me servas, damnosa senectus?
Quid, Di crudeles, nisi quo nova funera cernam,
Vivacem differtis anum? quis posse putaret
Felicem Priamum, post diruta Pergama, dici?
Felix morte sua, nec te, mea nata, peremtam
Adspicit, et vitam pariter regnumque reliquit.
At, puto, funeribus dotabere, regia virgo;
Condeturque tuum monumentis corpus avitis.
Non hæc est Fortuna domus : tibi munera matris

51, Penelope Ulyssi : *uni mihi Pergama restant*, nempe quia Ulysses non redibat domum cum cæteris, Ilio exciso.—*In cursu dolor est* etiam IV ex Ponto, XI, 18; vide ad X, 401. — *Maxima rerum*, ut *pulcherrime rerum* VIII, 49.—*Potens*; vide ad vs. 22.—Hecuba Priamo septem filias et duodecim peperisse scribitur; ex aliis namque mulieribus reliquos ad quinquaginta usque Priamus suscepit. *Ed.* — *Trahor* non modo quia invita, sed etiam quia longiore itinere maritimo sequebatur : vide ad VII, 67.—*Exsul* nunc, quæ abducitur captiva e patria. — *Pensa* lanificii; Virgilius, Georg. I, 390, *pensa carpere*. — *Ithacus* pro, *Ithacius*, aut *Ithacensis* etiam apud Virgilium perpetuo. — Commoda μιμήσει voces ipsæ Penelopes hic ponuntur, quas jam audire sibi videbatur Hecuba.

516. *Ferream* nunc se dicit, quia par erat calamitatibus tot tantisque perferendis, neque mortem sibi consciscebat. Quatuor legunt, *quid ferrea resto?* secundus Vaticanus *quid ahenea*. — *Damnosa* habent veteres editiones; MSS (et Regii nostri codices) *annosa*. *Damnosa*, meras mihi calamitates infligens. — *Differre* de homine, ut XII, 76.

523. *Funera* rursus exsequiæ, pompa funebris, ut XI, 540. — *Dotabere* pro, honorabere, aut, ut MSS Medic. Flor. Neap. habent, *donabere*. Nam *dotare* sæpe omnino est, ornare, donare; sed h. l. bene delectum cum respectu ad *virginem*.

Contingent fletus, peregrinæque haustus arenæ.
Omnia perdidimus; superest, cur vivere tempus
In breve sustineam, proles gratissima matri,
Nunc solus, quondam minimus de stirpe virili,
Has datus Ismario regi Polydorus in oras.
Quid moror interea crudelia vulnera lymphis
Abluere, et sparsos immiti sanguine vultus? »
Dixit : et ad litus passu procedit anili,
Albentes laniata comas : « Date, Troades, urnam, »
Dixerat infelix, liquidas hauriret ut undas :
Adspicit ejectum Polydori in litore corpus,
Factaque Threiciis ingentia vulnera telis.
Troades exclamant : obmutuit illa dolore;
Et pariter vocem, lacrymasque introrsus obortas
Devorat ipse dolor, duroque simillima saxo

— *Haustus arenæ*, particula hausta arenæ. Quam invidiose ita humationem in terra peregrina declarat!

527–530. *Omnia perdidimus* etc. Præclare desinit in hoc solatio : ita enim fortius sentis dolorem, quo miserrima mater cruciabatur conspecto repente hujus quoque filii corpore. — *Cur* pro, propter quem. — *Ismario regi:* Polymestori, Thraciæ regi; nam Ismarus Thraciæ mons est. *Ed.*

532. *Immitis sanguis*, qui profluit per hostem immitem. Unus Heinsii *insonti sanguine*; alius *stillanti*. — Regii codices *immiti*.

533. *Procedit*; tres, *properavit*, ut apud Virgilium, Æn. IV, 641, *gradum studio celerabat anili*. — Vulgo et in codicibus nostris Regiis legitur *processit*; nescio unde *procedit* Gierigius exceperit; sed præsens tempus certe bene se habet. *Ed.* — *Anili* non puto hic tarditatem aut tremorem pedum notare, sed ornat tantum, ut passim *virgineus*, *femineus* etc. quia anus erat, propterea *anili* passu procedit. Hic deserit Euripidem, apud quem, vers. 678, ancilla, aquam marinam haustum missa, adfert Polydori corpus.

537. *Ingentia vulnera* illustrat Burmannus e Floro, II, 7 : « Vulnera » non spiculis... sed ingentibus pi» lis, nec minoribus adacta gladiis » ultra mortem patebant. » Addit explicandi τοῦ *ultra mortem* causa, tam ingentia fuisse vulnera, ut etiam mors potuisset minori vulnere inferri, ex uno illorum potuisse quasi plures homines morti dari.

539. *Et*, quippe, siquidem; ulterius enim declarat τὸ *obmutuit*. — *Devorat* accommodatius doloris rabiei, quam, retinet aut simile quid, *lacrymas introrsus obortas*, expressas quidem, sed non profluentes. Et hoc ad rei veritatem observatum;

Torpet, et adversa figit modo lumina terra:
Interdum torvos sustollit ad æthera vultus:
Nunc positi spectat vultum, nunc vulnera nati,
Vulnera præcipue; seque armat et instruit ira.
Qua simul exarsit, tamquam regina maneret,
Ulcisci statuit, pœnæque in imagine tota est:
Utque furit catulo lactente orbata leæna,
Signaque nacta pedum sequitur, quem non videt, hostem;
Sic Hecube, postquam cum luctu miscuit iram,
Non oblita animorum, annorum oblita suorum,
Vadit ad artificem diræ Polymestora cædis,
Colloquiumque petit: nam se monstrare relictum
Velle latens illi, quod nato redderet, aurum.

ira enim furentium oculi hument quidem, sed nullas lacrymas emittunt: *obortæ lacrymæ* etiam I, 350. — Pro *est* multo elegantius *torpet*, quod et naturæ saxi et obstupescenti convenit.—Per *adversam terram* Regius male Troadem intelligebat, e regione Thraciæ sitam. Rectius Micyllus, quam ex adverso intuebatur, opposita, ut XIV, 5, *adversa mœnia Rhegi*. Eo sensu sæpe *adversa arma*, *adversi homines* etc. vide ad XII, 116. Immo, æther et Troas minus bene sibi opponuntur, quam æther et terra. Res etiam clara est ex Heroid. II, 26, quem locum laudavit Burmannus: *Hæsit, in opposita lumina fixus humo.* — *Sustollit*; permulti (et Regii codices) *extollit*; quidam *adtollit*; quatuor *tollit torvos ad sidera vultus*. De verbo *sustollere*, sursum tollere, vide Vossium, lib. 3 de Analog. cap. 37. — *Positi* et dormientes dicuntur et mortui, et omnino jacentes. — *Vulnera præcipue*, quippe quæ clara essent indicia perfidiæ Polymestoris. — *Instruit* idem quod *armat*, et e copia poetica additum, excitat iram, qua ulciscatur perfidam regis crudelitatem. Sic *armari artibus*, *instrui dolis* etc. Burmannus tamen præfert Vaticani et Neap. MSS lectionem, *et instruit iram*: iratam enim jamdudum fuisse Hecubam, nunc autem instruxisse iram, h. e. parasse ea, quibus in ardorem exsequendi, quæ irata concepisset, dari posset; sed vir doctus non attendit ad loci seriem. Conspecto corpore, obstupescit; spectatis paulisper vulneribus, ira excandescit. *Qua simul* ac *exarsit*, tum demum *ulcisci statuit* perfidiam Polymestoris. — Præclare additum, *tamquam regina maneret*; sæpe enim casu gravi jacentibus redit pristinus animus, veteris dignitatis recordatio.—*Pœnæ in imagine tota est*: VI, 586; animum intendit ad pœnam inveniendam. — *Cum luctu miscuit*; unus Mediceus *luctu permiscuit*.

552. *Relictum*; et opes in agro Trojano defossas, et pecunias secum adlatas se indicaturam simula-

Credidit Odrysius, prædæque adsuetus amore,
In secreta venit, cum blando callidus ore;
« Tolle moras, Hecube, dixit, da munera nato:
» Omne fore illius quod das, quod et ante dedisti,
» Per Superos juro. » Spectat truculenta loquentem,
Falsaque jurantem; tumidaque exæstuat ira;
Atque ita correptum captivarum agmine matrum
Involat; et digitos in perfida lumina condit,
Exspoliatque genas oculis, facit ira valentem;
Immergitque manus, fœdataque sanguine sonti
Non lumen, neque enim superest, loca luminis haurit.

bat; Euripid. vs. 1002-1020.—*Odrysius;* Polymestor Thracius, nam Odrysæ sunt populi Thraciæ, et Odrysa urbs eorum. *Ed.*—*Adsuetus amore;* Heinsius suadebat *amori*, vel *allectus amore*: sed in *adsuetus amore* non hærebis, quum verbo *adsuescere* sæpe ablativus addatur; vide Burmannum. — *Tolle moras;* vide ad XI, 685.

561. *Involare* aliquem, aut in aliquem, frequenter de impetu in aliquem facto; vide Heinsium. Idem ad Art. Amat. I, 714, *correptum* explicabat, objurgatum, sed. h. l. rectius illustrat e Phædr. I, 1: *Atque ita correptum lacerat injusta nece.* — Ante *agmine* subintelligend. *ab;* Troades erant σύμμαχοι· Euripid. 882, 1043.—*Exspoliare* verbum probum et antiquum, quod apud Cic. Sallust. aliosque auctores egregios legitur; vid. Grævius ad Cic. Attic. X, 4. Itaque miror, ab Heinsio et Burmanno ejus confirmandi causa non nisi Nonium, Cyprianum et similis notæ scriptores laudatos esse: est autem h. l. simpliciter privare, ut *spoliare lucum ramo* IV Fast. 753; *spoliare anima* aliquem Ibide, 623. Quæri tamen potest, an ab Ovidii manu fluxerit hoc verb. quod non nisi quinque MSS agnoscunt, quum multo plures æque bene habeant, *expilatque*, quod eamdem habet vim: et centies *spoliatus expilatusque* conjunctim leguntur. Est et tertia lectio, *expellitque*, cui favet τὸ *genis oculos*, quod, præter unum Regium exhibent MSS omnes: apud Euripid. vs. 1170, fibulis effodiunt oculorum pupulas. — Lectionem *exspoliatque genas oculis* dedit Heinsius, quia ita legitur in Jureti excerptis, et pro diversa lectione in Arondeliano. Codex Regius A habet *expilatque genis oculos;* codex B, *expellitque genis oculos;* utrumque bene, quamvis aliter quidam putare videatur, qui dicit *expellit* femineam infirmitatem repugnare. *Ed.* — *Valentem;* unus Ciofani, tertius Mediceus, et multi alii *potentem;* plurimi *nocentem.* Regius codex A *nocentem;* ita codex B, et pro varia lectione *valentem. Facit ira valentem*, validam, vires dat. Talia adspergit Noster, quum mulieres insigue facinus ausas esse narrat. — *Non lumen... haurit;* hæc verba condonabimus lu-

Clade sui Thracum gens irritata tyranni
Troada telorum lapidumque incessere jactu
Cœpit : at hæc missum rauco cum murmure saxum
Morsibus insequitur ; rictuque in verba parato
Latravit, conata loqui : locus exstat, et ex re
Nomen habet ; veterumque diu memor illa malorum,
Tum quoque Sithonios ululavit mœsta per agros.
Illius Troasque suos, hostesque Pelasgos,
Illius fortuna Deos quoque moverat omnes ;
Sic omnes, ut et ipsa Jovis conjuxque, sororque,
Eventus Hecubam meruisse negaverit illos.

III. Non vacat Auroræ, quamquam isdem faverat armis,
Cladibus et casu Trojæque Hecubæque moveri ;
Cura Deam propior, luctusque domesticus angit

xurianti Ovidii ingenio : si oculis jam exspoliaverat genas, sane non potuit eos denuo *haurire*, effodere ; *loca luminis* (VIII, 805, *locus ventris*) non possunt effodi, itaque nunc cogitabimus vicinas oculis partes.

566. *Lapidumque incessere jactu ;* unus Ambrosianus et Heinsii *lacessere ;* sed Amor. III, XIII, 21, *jaculis incessitur index ;* et infra XIV, 402, *sævisque parant incessere telis ;* Regii nostri codices *incessere*. Ed.— *At hæc... insequitur* etc. Canis facta est, ut prædixerat Polymestor apud Euripidem, Hec. 1265.—Ingeniose, *saxum morsibus insequitur*, adcurrit, ut mordeat saxum missum, more canum.—*In verba* (plurimi, et nostri Regii, *ad verba*) *parato*, quum conformaret et aperiret os, ut voces humanas proferret, ut Lycaon, I, 233, et Io, vs. 637.—*Exstat*, adhuc ostenditur, et *ex re* dictus Cynossema (κυνὸς ταλαίνης σῆμα, Euripid. vers. 1275) quod Julius Pollux, V, 5, ad Sestum, et Dictys, lib. V, pag. 137, ad Abydum collocat. Vid. et Strabo, lib. XIII, p. 812 ; Steph. Byz. h. v. Nempe Hecuba ob animi acerbitatem quamdam et rabiem in canem transiisse tradita est, et sepulcrum ejus dictum Cynossema ; Cicero, Tusc. III, 26 ; Dictys d. l. A Græcis eam esse lapidatam narrat Schol. Euripidis ad Hec. vers. 1257. Alii aliter ; vide Hygini fab. 111 ; Servium ad Virg. Æn. III, 6. Ille : *in Hellespontum mare se præcipitavit, et canis dicitur facta esse, unde et Cyneum est appellatum.* Confer et Quintum Calabr. XIV, 345 sqq. — *Jovis conjux*, quæ stabat a partibus Græcorum.

576-622. *Memnon*, Auroræ et Tithoni filius, rex Æthiopum, opem ferens Trojanis, interficitur ab Achille. Jupiter, Auroræ precibus motus, cineres ejus mutat in aves Memnonides, quæ quotannis ad sepulcrum Memnonis bella gerunt ; Aurora autem rore luget filium. Fabula tractata, ut ex Arg. Lactantii

Memnonis amissi; Phrygiis quem lutea campis
Vidit Achillea pereuntem cuspide mater.
Vidit; et ille color, quo matutina rubescunt
Tempora, palluerat; latuitque in nubibus æther.
At non impositos supremis ignibus artus
Sustinuit spectare parens: sed crine soluto,
Sicut erat, magni genibus procumbere non est
Dedignata Jovis, lacrymisque has addere voces:
« Omnibus inferior, quas sustinet aureus æther,
» Nam mihi sunt totum rarissima templa per orbem,
» Diva tamen venio, non ut delubra, diesque
» Des mihi sacrificos, caliturasque ignibus aras.
» Si tamen adspicias, quantum tibi femina præstem,
» Tum cum luce nova, noctis confinia servo;

apparet, ab Hesiodo, tum ab Arctino Milesio in vetusto carmine Æthiopis. Exstabat etiam Sophoclis Memnon. Confer et Q. Calabri II fere totum. Nempe rex aliquis Orientis australis socios adduxerat Trojanis; inde poetæ hunc Memnona ejusque fata finxerunt; vide *Jablonsky* de Memnone. Æthiopes autem Græcis et Asiæ orientalis incolæ.

579. *Lutea*, flava: vide ad VII, 703. Mater se abscondidit, ut Lucifer in morte Ceycis, XI, 570. Tryphiodorus, vers. 29: *ἦδ' ἐπὶ πότμῳ Μέμνονος οὐρανίην νεφέλην ἀνεδύσατο μήτηρ* etc. Sic et Q. Calaber, vs. 548, et Seneca, Troad. 237. — *Achillea cuspide*, quemadmodum ab eo interfectus Antilochus; Homerus, Od. Δ, 187; Hyginus, fab. 112.

581. *Et ille color*; prior Gronovii pro div. lection. *et ille Deus*, unde Heins. conjicit *decor*; Oxon. etiam *rubescit*, ut sit græcismus. — Regii nostri nihil mutant. — *In nubibus*: Excerp. Langerm. *sub nubibus*.

585. *Genibus*, ad genua. — *Sustinet*, habet. — *Aureus*, pulcher: sed quia modo præcessit *æther*, propterea Heins. malit ex uno Argent. *aureus axis*: idem etiam volebat *quot sustinet*.

590. *Sacrificum* poetis est, quidquid ad sacra pertinet: *sacrifica securis*, *sacrifica ara*, *sacrifici ritus*. Ergo etiam licuit *sacrificos dies* dicere, quibus sacra fiunt. Non igitur erat, cur Heinsius et Burmannus h. l. hærerent, et ille suaderet, *popasque sacrificos*, hic vel *dapes sacrificas*, vel *focos sacrificos*. Schirachius interpretatur, sacerdotes, quod ferri non potest. — *Caliturasignibus* pro, in quibus victimæ adoleantur; confer XII, 12.

591. *Si tamen adspicias*, consideres, *quantum tibi femina præstem*, quantum tibi prosim quamvis femina sim. *Ed.* — *Luce nova*, exoriente. — *Confinia lucis et noctis* amat Noster de crepusculo et Aurora; IV, 401; VII, 706. — *Servo*, teneo.

» Præmia danda putes : sed non ea cura, neque hic est
» Nunc status Auroræ, meritos ut poscat honores :
» Memnonis orba mei venio ; qui fortia frustra
» Pro patruo tulit arma suo, primisque sub annis
» Occidit a forti, sic vos voluistis, Achille.
» Da, precor, huic aliquem, solatia mortis, honorem,
» Summe Deum rector, maternaque vulnera leni. »
Jupiter annuerat ; quum Memnonis arduus alto
Corruit igne rogus, nigrique volumina fumi
Infecere diem ; veluti quum flumina natas
Exhalant nebulas, nec sol admittitur infra.
Atra favilla volat, glomerataque corpus in unum
Densatur, faciemque capit, sumitque calorem,
Atque animam ex igni : levitas sua præbuit alas.
Et primo similis volucri, mox vera volucris
Insonuit pennis : pariter sonuere sorores

594. *Status*, conditio, fortuna.— *Meritos ut poscat ;* Argent. *meritos sibi poscat.*—Regii codices *ut poscat.* —*Pro patruo ;* nam Tithonus, pater Memnonis, frater erat Priami : inde Aurora *iisdem faverat armis*, vers. 576.—*Primis sub annis*, vide ad XII, 183.—*Occidit a forti*, vide ad V, 192. —*Sic vos voluistis*, ut *sic visum Superis*, sollemnis formula solatii in rebus duris. Hoc loco plurimi, et codices Regii, *sic Di voluistis ;* vide ad I, 2.—*Maternaque vulnera ;* quidam *pectora*. Regii codices autem servant *vulnera*, et bene. *Ed.*

601. *Volvi fumum* dixerat Virgil. Æn. III, 206 : hinc eleganter *volumina* ei tribuuntur : etiam *undare* suavi metaphora dicitur Æneid. II, 609.—*Natas exhalant*, exhalant sic, ut nascantur, exhalant nascendas, ex usitata poetarum loquendi ratione, quam illustravimus ad I, 32, et alibi. Frustra igitur hic se torquet Burmannus qui suadet *latas ;* prior Basileensis habet *nigras*. — Regii codices *natas*. — *Nec sol admittitur infra*, solis radii non admittuntur in terram ; conf. I, 603.

604. *Glomerataque . . . Densatur*, ut IX, 222, *spissa glomerari grandine corpus*. — Non adsentior Heinsio probanti *densetur*, quod habent quidam, ut S. Marci, Neap. primus Palatinus ; verbum istud rarius apud auctores latinos occurrit. *Ed.* — *Calor*, vis vitalis ; hinc cum *anima* conjungitur.—Propter motum celerem, quidam philosophi *animam igneæ* esse naturæ dixerunt. *Ed.* — *Levitas sua*, leves particulæ favillæ præbuerunt materiam alarum. *Plumæ* et *alæ* sollemni epitheto *leves* dicuntur. — *Vera volucris*, confer ad X, 250.— *Insonare* de clangore alarum ; etiam V, 294, *pennis sonuere per auras.*—

Innumeræ, quibus est eadem natalis origo;
Terque rogum lustrant: et consonus exit in auras
Ter clangor: quarto seducunt castra volatu.
Tum duo diversa populi de parte feroces
Bella gerunt, rostrisque et aduncis unguibus iras
Exercent, alasque adversaque pectora lassant:
Inferiæque cadunt cineri cognata sepulto
Corpora; seque viro forti meminere creatas.
Præpetibus subitis nomen facit auctor; ab illo
Memnonides dictæ, quum sol duodena peregit
Signa, parentali perituræ Marte rebellant.

Satis fuisset, *eadem origo;* sed addidit *natalis*, quia *natalis dies*, *natale solum* dicitur.

610. *Consonus*, quia conjunctim sonant. Ciofano male placet ex uno *et ter sonus*.— *Exit in auras*, fit in aere. — *Seducunt castra* bene pro, discedunt, in diversa loca volant; bella enim gerunt. Minime ergo præferam alteram lectionem, *succedunt astra*, quæ Heinsio non displicebat.—Regius A habet *quarto fecerunt castra volatu*, de qua lectione silent omnes. *Ed.*—*Populus*, ut *gens* et apud Græcos ἔθνος, sæpe de animantibus. — *Diversa de parte*, partibus factis.— *Iras exercent;* vide ad XII, 581.

615. *Inferiæque cadunt* etc. Plinius, X, 26: « Auctores sunt, omnibus » annis advolare Ilium ex Æthiopia » aves, et confligere ad Memnonis » tumulum, quas ob id Memnonidas » vocant. Hoc idem quinto quoque » anno facere eas in Æthiopia » circa regiam Memnonis, exploratum » sibi Cremutius tradit. » Confer Ælianum, Nat. An. V, 1. Hellespontii tradebant, eas quotannis ad Memnonis sepulcrum advolantes humum everrere, eamque aqua pennis collecta adspergere; Pausanias, X, p. 875. Græcis illæ aves, monente Burmanno, dictæ sunt ἀντίψυχοι, quia pro anima Memnonis suam perdunt. Apud Q. Calabrum, II, vs. 550 sqq, venti auferunt Memnonis corpus, et e guttis decidentibus oritur fluvius Paphlagonius, qui, quoties funesta Memnonis dies illucescit, sanguinolentus labitur. Corpus a ventis deponitur in Æsepi ripa, ibique a Nymphis exstruitur monumentum. Milites Memnonis, dum lugent ducem, ab Aurora mutantur in aves, quæ, partibus factis, quotannis pugnant ad monumentum illud, donec aut altera alteram conficiat, aut ambæ pereant.— *Parentali Marte*, pugna, qua parentatur, h. e. inferiæ fiunt in honorem Memnonis; I Amor. XIII, 3, *sic Memnonis umbris Annua sollemni cæde parentet avis*. Pro *morte* Heinsius ex ingenio dedit *Marte*, ut alludatur ad gladiatores in funeribus patriciis exhiberi solitos. Sed reclamant omnes MSS, nec locus ille ex Amor. laudatus huic emendationi favet, quamquam Heinsius et ibi

Ergo aliis latrasse Dymantida flebile visum :
Luctibus est Aurora suis intenta, piasque
Nunc quoque dat lacrymas, et toto rorat in orbe.
IV. Nec tamen eversam Trojæ cum mœnibus esse
Spem quoque fata sinunt : sacra, et sacra altera patrem,
Fert humeris venerabile onus Cythereius heros.
De tantis opibus prædam pius eligit illam,
Ascaniumque suum ; profugaque per æquora classe
Fertur ab Antandro ; sceleratаque limina Thracum,

mallet, *sollemni Marte*. Dan. Heinsius præfert quod est in Palatinis (et in nostris Regiis) *parentali morituræ more rebellant*. De verbo *rebellare* vide ad IX, 81.

620. *Ergo ... visum*. Hic versus deest in multis. — Regii nostri post *visum* addunt *est*. — *Dymantida*, Hecubam, Dymantis filiam Homero; Euripidi, Cissei regis Thraciæ; vide et Apollodorum, III, XII, 5. — *Rorat in orbe* : Servius ad Virg. Æn. I, 493, de Memnone, *cujus mortem mater Aurora hodieque matutino rore flere dicitur*. — Ros matutinus, cujus guttas in herbis et floribus videmus, poetica phantasia sunt lacrymæ Auroræ : ideo autem *toto orbe* sparguntur, quoniam et ipsa Aurora amplitudine sua, totum orbem, arcticum puta, complectitur. *Ed.*

623–704. *Anius* Æneam, qui relicta Thracia in insulam Delum venerat, excipit : illius filiæ in columbas mutatæ erant : Æneam cratere donat, in quo Orionis filiæ expressæ ; auctores vide ad vers. 631 laudatos. — *Nec tamen eversam* etc. Fatale erat, Deos Trojanorum patrios Italiæ inferre, ibique Lavinium condere, unde Roma oriunda. — *Sacra*, simulacra deorum patriorum lignea : docte de iis disputat Heynius, Exc. IX ad Virgil. Æneid. II. — Præclare additum, *sacra altera*, ob pietatem, quam parentibus debemus. Et ita etiam I Fast. 527, et IV, 38. Hectoris umbra ad Æneam : *Sacra suosque tibi commendat Troja Penates : Hos cape fatorum comites : his mœnia quære Magna, pererrato statues quæ denique ponto* ; Virg. Æn. II, 293. — *Pius* ergo ille in Deos, *patrem* et filium, *Ascanium*, qui et Iulus dictus ; is dextræ se implicuit patris. — *Prædam ... illam* ; quidam *unam* ; pro *eligit*, Palat. secundus *excipit*. — Regii codices *eligit illam* ; sed malim *unam*, quamvis vox *prædam* non ad Deos tantum, sed et ad patrem et filium referatur ; collectivum nempe est. Præterea verbum *eligit* servandum mihi videtur : capto enim Ilio, Græci per præconem denuntiarunt, ut singuli ex civibus quod vellent unum aliquod secum auferrent. Æneas Deos *elegit*, et, teste Æliano, Var. hist. III, 22, Græci pietate viri moti permiserunt, ut unum aliquid insuper ex suis tolleret : ille patrem senio confectum humeris sublatum portavit. *Ed.*

628. *Fertur ab Antandro* ; ad Idam montem multi Trojani congregati sunt, quibuscum Æneas *Antandrum* petiit, inque hujus urbis portu clas-

Et Polydoreo manantem sanguine terram
Linquit : et utilibus ventis æstuque secundo
Intrat Apollineam, sociis comitantibus, urbem.
Hunc Anius, quo rege homines, antistite Phœbus
Rite colebantur, temploque, domoque recepit;
Urbemque ostendit, delubraque vota, duasque

sem fecit : ex eo portu solvit, vel autumno ejusdem anni, quo Troja capta, ut vult Dionysius Halic. I, 63 ; vel æstate sequentis, secundum Virgilium : vide omnino Heynii Exc. I et II ad Æneid. lib. III, de Æneæ erroribus et de annis illorum errorum. Primum ad ostia Hebri adpulit, ibique urbem Ænum condidit: cognita Polymestoris perfidia, inde digressus est : Virg. Æn. III, 13 sqq, quem Noster omni h. l. sequitur. *Antandrus* autem tempore belli Trojani nondum condita fuisse videtur : vide Woodii Addit. ad librum de Homeri ingenio, pag. 98. —*Limina*, sedes; vulgo legitur *litora Thracum* : in codicib. Regiis *limina*. —*Polydoreo ... sanguine* ; unus Basil. *Polydore. tuo... sanguine*.—*Manantem* hyperbolice. — *Æstus*, ventus, ut vers. 728, *remisque æstuque secundo* ; et Æn. X, 687, *fluctuque æstuque secundo*.

631. *Intrat Apollineam urbem* ; venit in insulam Delum, Apollinis oraculo insignem : his lucem pete ex Æn. III, 79 ; *egressi veneramur Apollinis urbem : Rex Anius, rex idem hominum, Phœbique sacerdos, Occurrit* etc. *Ed.*—Etiam serioribus temporibus multa hujus adventus indicia visebantur : Dionys. I, 50. De *Anio*, qui in veterum poetarum mythis fuit celebratissimus, et de filiabus ejus confer Lycophr. Cass. 570, et Schol. ad e. l. Servium ad Æn. III, 80 ; Dictyn, lib. I, fin. Esse hanc ex antiquissimis fabulis, siquidem Pherecydem et Cypria Epe de ea laudat Tzetzes, monet Heyn.—Rex *colit* homines, curam eorum gerit, ut *Dii* homines *colere* dicuntur VIII, 724, et apud Cic. N. D. I, 41, ubi vide Davisium.—*Rite*, e legibus sacris, *colere* Deum formula sollemnis. More antiquo simul rex, simul sacerdos fuit.—Ante *antistite* duo (et Regius noster B) repetunt *quo*.—*Templo recepit* nil aliud est, nisi, duxit nos in templum, ut ibi preces faceremus; more suo uni verbo duo diversa nomina adjunxit. Virg. d. l. *Templa Dei saxo venerabar structa vetusto*.—*Vota*, ex voto posita, ut *vota munera*, *vota victimæ* etc. passim : etiam *votiva* talia dicuntur. *Vota* e quinque MSS recepit Heinsius ; vulgo *nota*.— Regii codices etiam habent *nota*, ut *Anchisæ* subintellig. Virgilius enim, d. l. *veterem Anchisen agnoscit amicum* : si *vota* hoc loco otiosum puto, sed *nota* parum clarum, namque de amicitia veteri Anchisæ cum Anio mentionem non jam fecit poeta. *Ed.* —*Duas stirpes*, palmam et laurum, a *Latona retentas*, quarum truncos manibus apprehendit Latona parturiens : Eurip. Hec. vs. 453. Unius palmæ mentionem faciunt Homer. hymn. Apol. vs. 17 : Theognis, vs. 6; Callimachus, h. Del. 210. Vetustissimam palmam inde ab Apollinis ætate in insula Delo conspici, narrat Plinius, XVI, 44. Cf. ad VI, 335.

Latona quondam stirpes pariente retentas.
Ture dato flammis, vinoque in tura profuso,
Cæsorumque boum fibris de more crematis,
Regia tecta petunt; positique tapetibus altis
Munera cum liquido capiunt Cerealia Baccho.
Tum pius Anchises : « O Phœbi lecte sacerdos,
» Fallor? an et natum, quum primum hæc mœnia vidi,
» Bisque duas natas, quantum reminiscor, habebas? »
Huic Anius niveis circumdata tempora vittis
Concutiens, et tristis ait : « Non falleris, heros
» Maxime; natorum vidisti quinque parentem;
» Quem nunc, tanta homines rerum inconstantia versat!
» Pæne vides orbum : quid enim mihi filius absens
» Auxilii? quem dicta suo de nomine tellus
» Andros habet, pro patre locumque et regna tenentem.

637. *Fibræ*, exta : proprie extorum extremitates. — *De more crematis*; tres *de more litatis*; vide ad XIV, 156.—Regii codd. *crematis*.—*Positi*, adcumbentes; vide ad vs. 543 : *positi* Heinsius recepit e Barberin. et uno suo, pro *positis*.—Regii codices habent *positis* quod rectum est; quamvis clar. *Gierigius* hunc locum cum versu 543 conferri jubeat, non possum tamen *positi* hic interpretari, adcumbentes. *Ed.*—*Tapetibus*, vestibus stragulis, pulvini lectulorum instrui solebant. — *Altis*, quia pulvini alti : sic etiam Virgilius, Æn. IX, 325.

640. *Tum pius Anchises* etc. Servius ad Æn. III, 82 : « Ad Anium » Anchises ante Troicum bellum » consultum venerat, an Salami» nam peteret comes Priamo.» Hinc Anius etiam apud Virg. d. l. *veterem Anchisen agnoscit amicum*. — *Bisque duas natas*; Anius quatuor habuit filias, quibus Bacchus concessit, ut quidquid tangerent, in frumentum, vel vinum, vel oleum commutaretur : eas quum Agamemnon vi ducere vellet in expeditionem Trojanam, ut exercitum alerent, Bacchi auxilio in columbas fuisse conversas fabulantur. *Ed.*

643. *Niveis... vittis*; candida vitta insigne sacerdotum ; apud Virgil. vers. 81, Anius *vittis et sacra redimitus tempora lauro*.

646. *Inconstantia rerum*; item cura, spes, pavor, *versare* homines dicuntur, quamquam multis locis librarii ei substituerunt *vexare*, quod notius est, atque interpretationi alterius inservit : vide Bentleium ad Horat. Ep. II, II, 90. Etiam h. l. Basileensis MS *vexat*.

649. *Pro patre*, relicto patre, *locum et regna*, loci, insulæ illius regnum tenebat; VI, 677, *Sceptra loci, rerumque moderamen*.—Hoc loco nu-

» Delius augurium dedit huic; dedit altera Liber
» Femineæ sorti voto majora fideque
» Munera : nam tactu natarum cuncta mearum,
» In segetem, laticemque meri, baccamque Minervæ
» Transformabantur; divesque erat usus in illis.
» Hoc ubi cognovit, Trojæ populator, Atrides;
» Ne non ex aliqua vestram sensisse procellam
» Nos quoque parte putes; armorum viribus usus,
» Abstrahit invitas gremio genitoris; alantque
» Imperat Argolicam cælesti munere classem.
» Effugiunt quo quæque potest : Eubœa duabus,
» Et totidem natis Andros fraterna petita est.
» Miles adest; et, ni dedantur, bella minatur.
» Victa metu pietas consortia pectora pœnæ
» Dedit : et ut timido possis ignoscere fratri,
» Non hic Æneas; non, qui defenderet Andron,
» Hector erat, per quos decimum durastis in annum.
» Jamque parabantur captivis vincla lacertis :
» Illæ tollentes etiamnum libera cælo
» Brachia, « Bacche pater, fer opem, » dixere : tulitque

meros satis evincere nihil Nasonianum esse censet Heinsius; suadet ergo *locos et regna*, vel *loci jam regna* aut *sceptra*. — Codex Regius A *pro patre locum et regna tenentem*; codex B, *pro patre locus quo regna tenente*, ut et Bernegger. et Arond. pro diversa lectione. *Ed.* — *Augurium*, vis divinandi. — *Altera*, alia. — *Sorti*, sexui, et VI, 680; IX, 676: vulgo, et in Regiis nostris, legitur *stirpi*. — Ab hoc munere illæ dictæ sunt Œnotropæ; vide Tzetz. ad Lycophr. Cass. vs. 570; H. Stephanum in voce Ἄνδρος, ubi et de conditore Andri docte agitur. — *Dives erat usus in illis*, maximum emolumentum, magnæ divitiæ mihi inde redibant.

656. *Procella*, ut *tempestas*, de calamitatibus et turbis bellicis.

662. *Ni dedantur*; fere omnes, et codex Regius B, *ni reddantur*. — *Consortia pectora*, consortes, ut supra *cognata pectora* pro, cognatus: *consortes* autem sunt sorores, ut *consors sanguis*, fraternus, VIII, 445: vide ad XI, 348. Ante Heinsium edebatur *consortia corpora* (quod habet codex Regius B), ut passim *sociorum corpora*. — *Dedit* nunc est a *dedo*. — Mox perquam humaniter additum, *Non hic Æneas* etc. — *Durastis*, restitistis.

» Muneris auctor opem : si miro perdere more
» Ferre vocatur opem : nec qua ratione figuram
» Perdiderint, potui scire, aut nunc dicere possim.
» Summa mali nota est; pennas sumsere, tuæque
» Conjugis in volucrem, niveas abiere columbas. »
Talibus atque aliis postquam convivia dictis
Implerunt, mensa somnum petiere remota :
Cumque die surgunt, adeuntque oracula Phœbi;
Qui petere antiquam matrem, cognataque jussit
Litora : prosequitur rex, et dat munus ituris;
Anchisæ sceptrum; chlamydem, pharetramque nepoti,
Cratera Æneæ; quem quondam miserat illi
Hospes ab Aoniis Therses Ismenius oris.
Miserat hunc illi Therses; fabricaverat Alcon

673. *Summa mali nota est* pro vulgari, ad summam, aves factæ sunt, ut notum est : *summa* rei, id quo tota res redit. — *In volucrem*, in volucres, ut V, 298, *ales erant.*

675. *Convivia dictis implerunt*, multis variisque, ut fit, confabulationibus institutis convivium transegerunt. — *Mensa remota*, vide ad IX, 92. — *Cum die*, eodem tempore, quo dies illucescebat; vide Cortium ad Sallust. Jugurth. LXVIII, 2. — *Adeunt oracula*, more eorum, qui novas terras quærunt; vide ad III, 8. — *Antiquam matrem*, terram unde prisci gentis Trojanæ auctores originem ducebant, nempe Italiam, unde Dardanus venerat; Virg. d. l. vers. 94, « quæ vos a stirpe parentum Prima tulit tellus, eadem vos ubere læto Accipiet reduces : antiquam exquirite matrem. » Hinc Noster ex ingenii sui abundantia addidit *cognata litora.*

679. *Prosequitur* discedentes, honoris causa eos comitatur et deducit. — *Sceptrum* forte cum significatione futuri imperii, quamquam sceptrum omnino insigne hominum honore aut genere conspicuorum. — In muneribus heroum *crater* plerumque esse solebat, isque *cælatus*. Additur fere singulis locis, quis eum elaboraverit, et per quas manus ad novissimum dominum pervenerit; confer Homer. Od. O, 115 sqq; Virgilium, Æn. V, 535 sqq, quem Noster imitatus est : « Ipsius Anchisæ longævi hoc munus habebis, » Cratera impressum signis; quem » Thracius olim Anchisæ genitori » in magno munere Cisseus Ferre » sui dederat monumentum et pignus amoris. » In nominibus quæ hic reperiuntur librorum magna varietas : pro *Aoniis* alii *Hæmoniis*, *Hispanis*, *Ioniis* (codex Regius A *Aoniis*, et B *Ioniis*); et pro *Ismenius* (quod habent ambo codices Regii), unus Heinsii *Ymeneius*, Grævianus *Imeneius*, unde Heinsius conjicit *Minyeius*. — *Alcon*,

Myleus, et longo cælaverat argumento.
Urbs erat; et septem posses ostendere portas:
Hæ pro nomine erant; et quæ foret illa, docebant.
Ante urbem exsequiæ, tumulique, ignesque, rogique,
Effusæque comas, et apertæ pectora matres
Significant luctum: Nymphæ quoque flere videntur,
Siccatosque queri fontes: sine frondibus arbos
Nuda riget: rodunt arentia saxa capellæ.
Ecce facit mediis natas Orione Thebis,
Hanc non femineum jugulo dare pectus aperto,
Illam, demisso per fortia vulnera telo

faber argentarius, inclytus fortasse priscis temporibus ab arte sua. — *Lydius* Alcon vocatur a Lactantio in Argum. Sed h. l. pro *Myleus* MSS prope omnes *Nileus*, unde Heinsius conjicit *Nileos*, Nilei filius. — Regii codices ambo dant *Nilcus*, quod Heinsii conjecturam firmare possit; si *Myleus* servare velit lector, interpretetur non Mylei filium, sed a patria sic cognominatum, id est Siculum: Mylæ enim oppidum est Siciliæ; ad distinctionem ab illo Cretensi, cujus meminit Virgilius, Eclog. V. Duo autem fuerunt *Alcones*; hic faber argentarius, alter Cretensis, arte sagittandi insignis. *Ed.* — *Argumentum*, historia in cratere expressa, *longum*, cujus multæ partes, multi actus. In operibus artis, v. c. foribus, clypeis, poculis, peplis etiam fabulæ plerumque expressæ erant, quibus enarrandis placent sibi poetæ: confer II, 5 sqq; VI, 69 sqq; Virgilium, Æn. VIII, 625; Moschum, Id. II, 37 sqq.

685. *Ostendere*, nempe alteri simul contemplanti, maluit pro, videre, perspicere. — *Septem... docebant*; illæ portæ docebant, illam urbem esse Thebas, septem portis nobiles, Θήβη Ἑπτάπυλος. Thebas illo tempore siccitas et pestis premebant; quas calamitates quomodo artifex expresserit, in sequentibus ostenditur. — *Ignesque rogique* per hendiadyn, rogi ardentes. Sine causa Heinsius conjicit *urnæque rogique*. — *Flere videntur*; X, 250, de Pygmalionis statua, *quam vivere credas*. — *Riget*; vide ad XI, 150. — Pro *rodunt* vulgo (et in codice Regio A) legitur *lambunt*; sed *rodere saxa* egregie de capellis sparsas in saxis et brevissimas herbas carpentibus.

692. *Orion* Thebanus duas habebat filias, Metiocham et Menippam: quum aliquando pestis sæviret per Bœotiam, et responsum esset, Deorum iram placari non posse, nisi duæ immolarentur virgines, cæteris recusantibus, hæ pro salute patriæ se obtulerunt; confer Anton. Liberalem, cp. 25. — *Facit* ab artifice translatum ad ipsum opus, quod exhibet argumentum. — *Non femineum*; supra, vers. 451, *plus quam femina*. — *Fortia vulnera*, quæ quis forti animo patitur: quia in Florentino *per inertia vulnera* reperit Hein-

Pro populo cecidisse suo; pulchrisque per urbem
Funeribus ferri, celebrique in parte cremari:
Tum de virginea geminos exire favilla,
Ne genus intereat, juvenes, quos fama Coronas
Nominat, et cineri materno ducere pompam.
Hactenus antiquo signis fulgentibus ære
Summus inaurato crater erat asper acantho;
Nec leviora datis Trojani dona remittunt;
Dantque sacerdoti, custodem turis, acerram;
Dant pateram, claramque auro, gemmisque coronam.
V. Inde recordati Teucros a sanguine Teucri

sius, conjecit *per Martia*, ut ad originem Thebarum a Marte respiciat. —*Pulchra funera*, pompa funeralis frequens, adeoque gloriosa mortuo: sic *pulchra mors*, *pulchra vulnera* etc. — *Celebri in parte;* illustribus hominibus illustri loco sepultura apud Græcos et Romanos adsignabatur; Corn. Nepos, X, x, 2, de Dione: *Itaque in urbe celeberrimo loco, elatus publice, sepulcri monumento donatus est;* vide Kirchm. de Funeribus, lib. II, cap. 25 et 26. — *Quos fama Coronas Nominat;* Lactantius, Arg. *qui et virginum nomine Coronæ sunt nominati;* Anton. Liberalis d. l. Προσαγορεύουσι δ' αὐτὰς ἄχρι νῦν Αἰολεῖς Κορωνίδας παρθένους.

700. *Signis fulgentibus;* duo Basileenses et unus Moreti *signis exstantibus*, ut XII, 235.—Regii cod. habent *fulgentibus;* malim tamen *exstantibus*, id est, eminentibus; namque in operibus cælatis partes, quæ eminent, fulgent minus quam quæ planæ sunt. *Ed.—Summus crater*, os crateris, erat *asper inaurato acantho*, h. e. in eo aureo sculpta erat figura aspera acanthi: *acanthus* herba nobilis et mollis, qua et ansæ poculorum ornari solebant; Virgilius, Eclog. III, 45. — *Remittunt*, vicissim dant. — *Sacerdoti*, Anio, quatenus sacerdos erat, dant acerram et pateram; quatenus rex, coronam. *Acerra* non est turibulum, ara, in qua tus adoleretur, ut vulgo putant, sed, ut hic ipse locus satis docet, vasculum aut arcula, in qua tura conservabantur, ut inde deprompta in ignem conjicerentur; hinc *custos turis*, ut VIII, 320, pharetra *custos telorum*. — *Corona* hic non est sacrificantium, ea enim non gemmis ornata erat, sed vittis et infulis aut frondibus sacris implexa; verum diadema, intel. insigne regium, ut apud Virgilium, Æn. I, 655 (quem Noster imitatus est), Æneas ferri jubet inter alia munera, *duplicem gemmis auroque coronam;* vide ibi Heynium.

705–968. Æneas, relictis variis locis, ad *Scyllam* venit, cujus fatis, abrupta orationis serie, immoratur poeta. Scyllæ enim *Galatea* narrat *Polyphemi* amores *Acidisque* obitum, 740–897; ei deinde apparet *Glaucus*, in Deum marinum mutatus, 898 ad finem. Auctores ho-

Ducere principium, Creten tenuere, locique
Ferre diu nequiere Jovem : centumque relictis
Urbibus, Ausonios optant contingere portus.
Sævit hiems, jactatque viros : Strophadumque receptos
Portubus infidis exterruit ales Aello.
Et jam Dulichios portus, Ithacamque, Samenque,
Neritiasque domos, regnum fallacis Ulixei,
Præter erant vecti : certatam lite Deorum

rum vide ad vs. 755 et 898. — *Inde recordati* etc. Quum oraculum antiquam matrem petere jussisset, Anchises revolvens animo veteres historias, Cretam intelligi putat, unde olim *Teucer* venerat in agrum Trojanum. Huc ergo alacres tendunt, ibique et agrum colunt, et urbem Pergameam condunt. Sed *loci ferre diu nequiere Jovem*, nempe quum unum atque alterum annum hic transegissent, aeris gravitas, lues corporibus infesta, et siccitas agrorum relinquere illa loca eos coegit; Virg. Æn. III, vers. 102-133. Pro *Jovem* olim legebatur *luem*; sed *Jupiter* sæpe pro aere, h. l. cum dilectu, quia Creta solum natale Jovis. Quum iterum oraculum consuluissent, non Cretam, sed *Ausoniam* s. Italiam petere jussi sunt; Virgil. vers. 137-191. — *Centum urbes* : IX, 665. — Pro *optant*, sex *aptant* : Heinsius *properant*. — Regii ambo *optant*. — *Sævit hiems*, quia procellosum mare in his plagis esse solet; vide Heyn. ad Virg. vs. 192. — *Strophades*, duæ insulæ in mari Ionio, occidentali Peloponnesi litori obversæ. Huc ex domo Phinei expulsæ erant a Zeta et Calai Harpyiæ, in quibus una *Aello*; vide ad VII, 3 : Virg. vers. 209 sqq. — Dictæ fuerunt *Strophades* ἀπὸ τῆς στροφῆς, hoc est a conversione Zetæ et Calais; nam illuc usque Harpyias persecuti retro redire. *Ed.* — *Exterruit* horrifico alarum clangore, dira voce, tetro odore, dapibus partim direptis, partim immundo contactu fœdatis, tristique oraculo edito. — *Same* postea Cephalenia dicta : vulgo *Samumque*; sed vide Heinsium ad Remed. Amor. 268. — Codex Regius A *Samam*; codex B *Samos*; Glareanus horum priorem ex Strabone defendit; sed confer de hoc vocabulo interpretes. *Ed.* — Juxta *Samen* est *Dulichium*. — *Neritos*, Ithacæ mons : sed Noster diversam facit ab Ithaca insulam, secutus Virg. vers. 270 sqq : « Jam » medio apparet fluctu nemorosa » Zacynthos, Dulichiumque, Sa» meque et Neritos ardua saxis. Ef» fugimus scopulos Ithacæ, Laertia » regna, Et terram altricem sævi » exsecramur Ulixi. »

713. *Præter erant vecti* : vulgo (et in codice Regio B) *prætereunt*. — *Certatam . . . nota est* : ad Actium adpulerunt, sinus Ambracii promontorium. Inde in urbem *Ambraciam* venerunt, in qua regnabat Ambrax, Herculis nepos; Dionys. Halic. I, 51. De ea olim *certaverant* Apollo, Diana et Hercules. Cragaleus, *judex* (nonnulli *Iudicis*; Passerat. ad Propertium, III, 10, legit *Vindicis*) electus a Diis, quum Ambraciam adservisset Herculi, ab

Ambraciam, versique vident sub imagine saxum
Judicis, Actiaco quæ nunc ab Apolline nota est,
Vocalemque sua terram Dodonida quercu,
Chaoniosque sinus, ubi nati rege Molosso
Irrita subjectis fugere incendia pennis.
  Proxima Phæacum felicibus obsita pomis
Rura petunt: Epiros ab his, regnataque vati
Buthrotos Phrygio, simulataque Troja tenentur.
Inde futurorum certi, quæ cuncta fideli

Apolline in *saxum versus* est; Anton. Lib. cap. 4. Ibi etiam nobile templum *Apollinis Actiaci*; Strabo, lib. X, p. 451. — Apollinem *Actiacum* dictum puto ex eo, quod in navali prælio, quo divicit Augustus Antonium et Cleopatram, auxilium Augusto tulisse credebatur; et meam sententiam probant verba *nunc ab Apolline nota est.* Ed.

716. *Vocalemque... Dodonida* etc. Nunc male deserit ducem suum: apud Virgilium, vers. 291 sq, relicto Ambracio sinu, prætervehuntur *Phæaciam* s. Corcyram, tum litora Epiri legunt, portum Chaonium intrant et Buthrotum adeunt; sed apud Nostrum prius conspiciunt *Dodonam*, quod fieri non potuit; Dodona enim in septemtrionali Epiri parte sita fuit. Secundum Dionys. Halic. I, 51, Æneas, relicta classe apud Buthrotum, cum lectissimis viris, duorum dierum itinere per terram confecto, Dodonam pervenit, Jovis oraculum consulturus. Ea olim a *Chaonibus* habitata postea *Molossis* paruit; Eustathius ad Homerum, Od. Ξ, p. 544. Ibi nobile quercetum, cujus quercus voce humana locutæ esse atque oracula edidisse traduntur, unde προσήγοροι et μαντικαὶ δρύες dictæ sunt.—*Molossorum rex* Munichus tres habuit filios et unam filiam, qui, quum latrones ignem injecissent domibus, a Jove in aves mutati sunt; Anton. Liberalis, cap. 14.—*Irrita* pro *impia* dedit de suo Heinsius, qui malit etiam *subvectis pennis*: Mitscherlichius *impia* revocavit.—Hoc postremum ambo codices Regii habent.

719. *Felicibus obsita pomis.* Respicit ad Alcinoi hortos, qui per totum annum abundabant omnis generis fructibus: Homer. Od. H, 112 sq.—*Buthrotos*, aut Buthrotum, ad portum Pelodem. Hic regnabat *vates Phrygius*, Helenus, Priami filius, (cf. vs. 320) qui Pyrrhi et conjuge et regno potitus, pristinæ patriæ nomina ad novas sedes transtulerat, more eorum, qui colonias deducebant in alias oras: hinc *simulata Troja*, adsimilata priori Trojæ. Virgilius, vs. 349: « Procedo, et parvam Trojam simulataque magnis » Pergama, et arentem Xanthi cognomine rivum Agnosco; » et vs. 302 *falsus Simois* eodem sensu. Apud Dionys. d. l. Æneas cum sociis Dodonam profectus, in Helenum incidit; sed Virgilius, unde Noster pendet, ad Buthrotum illum occursum transtulit.

722. *Inde futurorum certi*: quum

Priamides Helenus monitu prædixerat, intrant
Sicaniam : tribus hæc excurrit in æquora linguis;
E quibus imbriferos obversa Pachynos ad Austros :
Mollibus expositum Zephyris Lilybæon : at Arcton
Æquoris expertem spectat, Boreanque Peloros.
Hac subeunt Teucri; remisque æstuque secundo,
Sub noctem potitur Zanclæa classis arena.
Scylla latus dextrum, lævum irrequieta Charybdis
Infestant : vorat hæc raptas, revomitque carinas :
Illa feris atram canibus succingitur alvum,

orientalis Italiæ pars jam prope in conspectu esset Trojanorum, ab Heleno *monentur*, ad occidentales oras se a fatis duci; itaque antea Siciliam adeundam esse. Simul ab eo docentur, quæ loca transeunda aut prætereunda, quid petendum quidque vitandum, et in quo loco considendum sit; Virgil. vs. 374-462.

724. *Tribus hæc excurrit* etc. Heinsius legit *trinis excurrit*, et τὸ *hæc* inepti glossatoris figmentum esse putat. — *Lingua* frequenter de promontorio; vide Heinsium : sic et fluviis *labia*, montibus *supercilia*, mari *brachia* tribuuntur; vide Gataker. Miscel. pag. 364. Verba in hac re sollemnia *excurrere* et *procurrere*, unde promontoria ipsa *procursus* vocantur. De Siciliæ promontoriis confer V, 350. — *Obversa* pro *est versa* e septem MSS reposuit Heinsius, quia illud verbum familiare est Ovidio. — Regius noster A habet *est versa*; codex B, ut Florentinus S. Marci et septem alii, *eversa*. — *Arcton æquoris expertem*; conf. vers. 293. — *Peloros* dictus est a Peloro, classis Hannibalis gubernatore, ibi sepulto. *Ed.*

728. *Hac subeunt*; vulgo *Hanc subeunt*. Codex Regius A *hac*; codex B *hanc*, et *hac* pro varia lectione. — *Potitur arena*, ut XI, 55, et apud Virgilium, Æn. I, 172. Florentinus S. M. *patitur arenam*, unde Heinsius suspicatur *potitur arenam*, ut III Fast. 21, *potiturque cupitam*. — Regii codices ambo dant *arenæ*. — *Zancle*, postea Messana, dicta a forma falcata, quam habet promontorium portum illius urbis includens.

730. *Scylla ... Charybdis*; duæ fuerunt Scyllæ a poetis decantatæ : quarum altera, Nisi filia, in avem fuit commutata; de hac in libro VII agitur; altera Phoci filia in monstrum, quod in freto Siculo navigantibus insidiatur. Charybdis vetula fuit furacissima, quæ quum Herculi boves furata esset, ab illo in fretum projecta, in monstrum marinum fuit conversa, quod adhuc pristinam retinet rapiendi naturam : nam illac transeuntes naves ad se rapit, devoratque ac revomit. *Ed.* — *Charybdis* Nostro *irrequieta*, et Virgilio *implacata*, quod et h. l. unus Medic. agnoscit, et Heinsius ex *impacata* ortum temere putabat. — *Vorat* etc. Virgilius, ibid. « Imo barathri ter » gurgite vastos Sorbet in abruptum » fluctus, rursusque sub auras Erigit alternos, et sidera verberat » unda. » Copiosius *Scyllam* descri-

Virginis ora gerens : et, si non omnia vates
Ficta reliquerunt, aliquo quoque tempore virgo.
Hanc multi petiere proci; quibus illa repulsis
Ad pelagi Nymphas, pelagi gratissima Nymphis,
Ibat, et elusos juvenum narrabat amores.
Quam, dum pectendos præbet Galatea capillos,
Talibus adloquitur, repetens suspiria, dictis :
« Te tamen, o virgo, genus haud immite virorum
Expetit : utque facis, potes his impune negare.
At mihi, cui pater est Nereus, quam cærula Doris
Enixa est, quæ sum turba quoque tuta sororum,
Non nisi per fluctus licuit Cyclopis amorem
Effugere : » et lacrymæ vocem impediere loquentis.
Quas ubi marmoreo detersit pollice virgo;
Et solata Deam est; « Refer, o carissima, dixit,
» Neve tui causam tege, sum tibi fida, doloris. »
Nereis his contra resecuta Cratæide natam :

bit; vide ad XIV, 60. — *Aliquo quoque* parum placet auribus. — *Virginis* hujus mutationem habet lib. XIV init. Mater ejus mox, vs. 749 memoratur.

740. *Te tamen*, ut IX, 326. — *Haud immite*, quia mox, vers. 759, Polyphemus *immitis* vocatur.— Pro *negare*, nonnulli (et codex Reg. A) dant *negari*; sed *negare* apud Nostrum sæpe absolute : negare consuetudinem, concubitum; vide Burmann. — *Cui pater est*, quamquam mihi antiquissimus Deus marinus pater est. — *Turba sororum*, nempe quinquaginta, ut admonitum ad II, 11 : nomina earum Hygin. in præfatione habet, in quibus et *Galatea*.— Quum fugam *per fluctus*, tamquam rem periculosissimam, commemorat, non meminit, Galateam esse Nympham pelagi : neque vero arbitror, Ovidium ita scripsisse; namque MSS omnes (et Regii ambo) habent *per luctus*, præter unum Basileens. qui *fluctus* habet pro diversa lectione, unde recepit Heinsius. *Per luctus effugere* posset accipi, ut Liv. I, 5, *per lusum atque lasciviam currere*. — Heinsius malebat *loquenti*. Hujus varietatis exempla jam plura vidimus.

746. *Marmoreo*, candido. Virgil. Georg. IV, 523, *marmorea cervix* Orphei, ubi vid. Cerda.—*Resequi*, respondere, ut VI, 36; VIII, 862. —*Cratæis* mater Scyllæ etiam apud Homer. Od. M, 73; Hesych. in Κραταιΐς et Plin. Hist. Nat. III, 5. Multa de Scyllæ parentibus disputat Munkerus ad Hyginum, fab. 199. Stesichoro fuerat Lamiæ filia; Schol.

« Acis erat, Fauno, Nymphaque Symæthide cretus,
Magna quidem patrisque sui, matrisque voluptas;
Nostra tamen major: nam me sibi junxerat uni
Pulcher; et, octonis iterum natalibus actis,
Signarat dubia teneras lanugine malas.
Hunc ego; me Cyclops nullo cum fine petebat:
Nec, si quæsieris, odium Cyclopis, amorne
Acidis in nobis fuerit præsentior, edam:
Par utrumque fuit. Proh! quanta potentia regni
Est, Venus alma, tui! nempe ille immitis, et ipsis
Horrendus silvis, et visus ab hospite nullo
Impune, et magni cum Dis contemtor Olympi,

Apollon. IV, 828. Eo respicit Virg. Cir. vers. 66.

750. *Symæthis* in orientali Siciliæ parte fluvius; vide Cluv. Ital. antiq. I, 10.—De *Fauno* vide ad I, 193.

752. *Me sibi junxerat;* Burmannus, qui præferebat e tribus libris, *se mihi*, non attendebat ad antecedentia, *Nostra tamen major:* nunc additur causa; namque et pulchritudo et juventus ejus faciebant, ut, spretis aliis procis, eo uno tenerer. — *Dubia lanugo*, ut IX, 398; *dubiam lanuginis umbram* dixit Claudianus, XXXI, 42. — *Signarat lanugine* pro, lanugo signarat, tegebat malas.

755. *Hunc ego; me Cyclops* etc. Polyphemus ex Homero, Od. I, 182 sqq, et Virgilio, Æn. III, 610 sqq adumbratus, quorum ille Ulyssem, hic Æneam ad illud monstrum deducit. Atque etiam infra XIV, inde a vers. 167, plura de eo cognoscemus. Hic vero amores ejus narrantur, et quomodo *Acin* interfecerit. De amore ejus nihil Homerus habet, sed Siculi poetæ eum certatim cecinerunt, Alexis, Nicochares, Posidippus, Philoxenus, et, cujus carmen restat, Theocritus, Id. XI. — *Præsentior,* major, ardentior, ut *præsens gloria, præsens benevolentia, præsentes fructus* etc. *Præsentior* ex Neapolitano placuit Heinsio; Florentinus habet *præsentius;* cæteri (et Regii ambo) *præstantior.* — *Par utrumque fuit;* Heinsius comparat e Statio, Theb. X, *Par utrimque dolor.* Verum ibi sermo est de uno affectu, qui *utrimque*, utraque ex parte, par fuerit: nunc autem uterque affectus in Galatea par fuisse notatur; itaque restituendum putavi *utrumque*, quod Heins. duorum MSS auctoritate ejecit, primi Bonon. et unius sui.

758. *Proh! quanta* etc. Exemplo insigni epiphonema hoc verissimum illustratur. — *Nempe* nunc est cum admiratione rationem reddentis. — *Impune* sæpe est, sine damno aut periculo, h. l. cujus visceribus non vesceretur; conf. Virgilius, vs. 619 et 658. — *Magni cum Dis cont. Olympi;* Cantabr. et unus Heinsii *magnis*, quod non temere repudiandum judicat Burmannus, quia *magni* pro-

Quid sit amor sentit : nostrique cupidine captus
Uritur ; oblitus pecorum, antrorumque suorum.
Jamque tibi formæ, jamque est tibi cura placendi ;
Jam rigidos pectis rastris, Polypheme, capillos ;
Jam libet hirsutam tibi falce recidere barbam,
Et spectare feros in aqua, et componere vultus.
Cædis amor, feritasque, sitisque immensa cruoris
Cessant ; et tutæ veniuntque abeuntque carinæ.
Telemus interea Siculam delatus ad Ætnen,
Telemus Eurymides, quem nulla fefellerat ales,
Terribilem Polyphemon adit ; « Lumenque, quod unum
» Fronte geris media, rapiet tibi, dixit, Ulixes. »
Risit, et, « O vatum stolidissime, falleris, inquit :
» Altera jam rapuit. » Sic frustra vera monentem

prie dicantur Dii, quibus Olympum habitare datum sit. Polyphemus Ulyssi apud Homer. vers. 273 : Νήπιός εἶς... ὅς με θεοὺς κέλεαι ἢ δειδίμεν, ἢ ἀλέασθαι. Οὐ γὰρ Κύκλωπες Διὸς αἰγιόχου ἀλέγουσιν, Οὐδὲ θεῶν μακάρων, ἐπειὴ πολὺ φέρτεροι εἰμέν. Conf. Euripides, Cycl. 319 sqq, et infra, vers. 857.

763. *Oblitus pecorum* etc. Amor nascens duplici fere se modo prodit : neglecto priore studio, et cura placendi ; cf. X, 529 sqq. — Cyclopes non domos habebant, sed *antra*, Euripides, vers. 118, *pecoribus*que habendis operam dabant, Homer. vers. 210 sqq.—*Rastris, falce*. Hæc instrumenta Ovidius fero giganti convenire putat. Pro *jam libet* duo habent *placet : libet* declarat eum animi habitum, quum, consuetudine priore relicta, aliquid facimus antea non soliti. — *Aqua* pro speculo utebantur veteres. — *Componere vultus*, eos fingere ad hilaritatem ; confer IV, 318.

770. *Telemus interea* etc. Hæc ex Homero, vers. 508, commode huc translata. Ibi Polyphemus jam privatus oculo reminiscitur hujus vaticinii. — *Siculam ... Ætnen*. Multi *Siculum*, quod non temere rejiciendum judicat Burmannus, quum montium nomina sæpe masculino genere ponantur.— Regii nostri codices habent lectionem vulgatam, *Siculum delatus in æquor ; Ætnen* in Florentino tantum legi videtur, *Ætnam* in uno Moreti. Quod ad *Siculam* pro *Siculum* vide ad V, 442, et infra vers. 868. *Ed.* — Ad *Ætnen* Cyclopas collocant etiam Euripides, Virgilius et Tibullus, IV, 1, 56 ; unde II ex Ponto, 11, 115, *Ætnæus Polyphemus* ; ad Drepanum et Erycem alii. — *Quem nulla fefellerat ales*, augur, vates longe certissimus. Homerus : Τήλεμος Εὐρυμίδης, ὃς μαντοσύνῃ ἐκέκαστο· inde sua habet Hyginus, fab. 125. — *Altera*, alia, *jam rapuit*, quia puellæ ocellos eorum, a quibus amantur, *rapere* di-

Spernit; et aut gradiens ingenti litora passu
Degravat; aut fessus sub opaca revertitur antra.
Prominet in pontum cuneatus acumine longo
Collis: utrumque latus circumfluit æquoris unda;
Huc ferus adscendit Cyclops, mediusque resedit:
Lanigeræ pecudes, nullo ducente, secutæ.
Cui postquam pinus, baculi quæ præbuit usum,
Ante pedes posita est, antennis apta ferendis;
Sumtaque arundinibus compacta est fistula centum;
Senserunt toti pastoria sibila montes;
Senserunt undæ: latitans ego rupe, meique
Acidis in gremio residens, procul auribus hausi
Talia dicta meis, auditaque mente notavi:

cuntur; II Amor. XIX, 19, *Tu quoque, quæ nostros rapuisti ocellos.*

776. *Gradiens ingenti passu* Homeric. μακρὰ βιβάσθων; apud Virgilium, vers. 656, Polyphemus *vasta se mole movens*: illam vastam molem exprimit verbis *degravat litora*. — *Sub* cum accusat. pro *in*.

778. *Prominet in pontum* etc. Sumtum hoc ex Theocrito, vers. 14 sqq; sed Noster, more suo, diligentius sive ex rei veritate, sive ex ingenio, illam rupem descripsit. — *Cuneatus acumine*, cujus acumen cunei formam habebat. — *Medius*, in medio, ut X, 144. Florentinus S. Marci, *medios per æstus*, non male judice Heinsio; *medioque resedit* Berneg. et multi alii; at Virgilius, Georg. IV, 436, *Considit scopulo medius.* Regius codex A *medius*; codex B *medio*, et pro varia lectione *medius*, quod certe melius est, et ex uno Virgilii exemplo servarem. *Ed.* — *Nullo ducente*; Theocrit. αὐταὶ ἀπῆνθον.

782. *Pinum* habet e Virgilio, vers. 659: *Trunca manum pinus regit et vestigia firmat*; nam Homerus, vs. 319, ei dat μέγα ῥόπαλον ἐλαΐνεον. Sed sqq *antennis apta ferendis* ex Homero, vers. 322, Ὅσσον θ' ἱστὸν νηὸς ἐεικοσόροιο. — *Fistulam* ipse Ovidius accommodavit ejus moli; vide ad I, 710. Ad citharam carmina, quibus amori mederetur, canebat apud Philoxenum: vide Schol. Aristophanis ad Plut. 290. Fistulæ *sibila* tribuuntur; vid. Heins. nisi putas, sonum inconditum nunc hac voce indicari. Apud Homer. 315, greges ducit πολλῇ ῥοίζῳ, *magno sibilo*, haud dubie vocis. — *Pastoria* Heinsius explicat, rudia: malim dictum pro, pastoris, id est, ejus; vide ad vers. 533. — *Senserunt*, audiverunt. — *Rupe*, scil. sub. — *Mente notavi*; vulgo, et in Regiis codicibus, *verba notavi*; alteram lectionem dederunt Thuan. secundus Palatinus et complures alii; sic Fast. V, 10, *silent aliæ, dictaque mente notant.* Ed. — *Mente*, aut *pectore*, *notamus* dicta maxime memorabilia, quæ memoria tenere cupimus.

« Candidior nivei folio, Galatea, ligustri;
» Floridior pratis; longa procerior alno;
» Splendidior vitro; tenero lascivior hædo;
» Lævior adsiduo detritis æquore conchis;
» Solibus hibernis, æstiva gratior umbra;
» Nobilior pomis; platano conspectior alta;
» Lucidior glacie; matura dulcior uva;
» Mollior et cycni plumis, et lacte coacto;
» Et, si non fugias, riguo formosior horto.
» Sævior indomitis eadem Galatea juvencis;
» Durior annosa quercu; fallacior undis;
» Lentior et salicis virgis, et vitibus albis;

789. *Candidior nivei* etc. In carmine hoc pastoritio Noster pendet a Theocrito, Id. XI; sed in principio insigne rursus habemus inepte lascivientis ingenii exemplum. Breviter et præclare Theocriteus Polyphemus : Ὦ λευκὰ Γαλάτεια, τί τὸν φιλέοντ' ἀποβάλλῃ; Λευκοτέρα πακτᾶς ποτιδεῖν, ἁπαλωτέρα δ' ἀρνὸς, Μόσχω γαυροτέρα, φιαρωτέρα ὄμφακος ὠμᾶς... φεύγεις δ', ὥσπερ ὄϊς πολιὸν λύκον ἀθρήσασα. Sed quid inde Noster? cumulatis ad nauseam usque similitudinibus, Galateæ virtutes et vitia narrat.— *Ligustrum* Italiæ flos candidus : qualis fuerit, non constat; vide Martin. ad Virg. Ecl. II, 18. Putant esse nostrum *Reinweide*. — Videtur autem poeta ad Galateæ nomen alludere, quod a candore lactis illi inditum fuisse innuit Hesiodus, qui ait Galateam candidas comas et faciem lacti similem habuisse. *Ed.* — *Folio*, flore ipso ligustri. *Ed.* — *Floridus* de juvenili vigore et viriditate. Viriditas autem et *pratis* convenit. — *Lasciva* puella bono sensu, hilaris, jocosa. Atque etiam *hædi* et vituli *lasciviunt*, quum petulantes et lætos motus dant; VII, 321.—*Adsiduo æquore*, assiduo motu æquoris. — *Nobilior*, generosior, præstantior : *nobilior pomis*, quia priscis temporibus divitiæ maximæ in pomis.—*Conspectior*, pulchrior, ut IV, 295, et alib.—*Platanus*, pulchra arbor et Romanis gratissima; Plinius, XII, 1.—*Matura*... *coacto*; vide locum Theocriti supra adscriptum. — *Riguus hortus* etiam VIII, 646. In tali horto omnia lætius proveniunt.

799. *Fallax*, quæ, quum eam prehendis, continuo e manibus effluit: *fallax* puella, quam loco destinato non reperis, frustraque exspectas; IV, 128. — *Lenta* puella, difficilis, quæ non movetur precibus lacrymisve amantis, ut et *lentum pectus*, quod non facile movetur : sed longe alio sensu, ut notum, *lenta virga*. — *Albarum vitium* meminit etiam Palladius, lib. I, cap. 35 : sed propter τὸ *lentior* malim cum aliis *altis*. Mox versu 813, *longis in vitibus*; Phædrus, IV, fab. 2, *alta in vinea*. *Alta vitis* erit maritata ulmo altæ; V Trist. III, 35, *altam degravet ul-*

» His immobilior scopulis; violentior amne;
» Laudato pavone superbior; acrior igni;
» Asperior tribulis; feta truculentior ursa;
» Surdior æquoribus; calcato immitior hydro;
» Et, quod præcipue vellem tibi demere, possem,
» Non tantum cervo claris latratibus acto,
» Verum etiam ventis, volucrique fugacior aura.
» At, bene si noris, pigeat fugisse; morasque
» Ipsa tuas damnes, et me retinere labores.
» Sunt mihi, pars montis, vivo pendentia saxo
» Antra, quibus nec sol medio sentitur in æstu,
» Nec sentitur hiems : sunt poma gravantia ramos;
» Sunt auro similes longis in vitibus uvæ;
» Sunt et purpureæ; tibi et has servamus, et illas.

mum Vitis. — Quamvis Regii nostri codices *albis* dent, et obstante Heinsio, malim tamen cum cl. Gierigio *altis*, quia vites ad altitudinem lente veniunt, sed Galatea etiam lentior est. *Ed.* — *Laudato pavone*; alibi *Laudatas ostentat avis Junonia pennas*, et spectata superbit. *Ed.* — *Acris* et flamma sæviens, et puella iracunda, torquens amantem : *acria* enim quæcumque urunt, pungunt, stimulant. — *Aspera*, difficilis, morosa; apud Horatium, I, Od. 33, *aspera Pholoe*; Tibullum, I, IX, 20, *aspera est illi difficilisque Venus*. Sed et spinæ, e quarum genere *tribuli* in Italia, *asperæ*; Virgilius, Georg. I, 152, *aspera silva* tribulorum. — *Surda aqua* et *surdior æquoribus*, *freto*, proverbium vulgare; I Art. 531; inf. XIV, 711, ubi vid. Heinsius. — *Calcato ... hydro*. Mediceus unus et tres alii *calcata hydra*. — *Latratibus* pro, a canibus, *agi* sollemne poetis; vide Drakenb. ad Sil. I, 421.

808. *At, bene si noris* etc. Locus sequens ex parte expressus etiam e Virgilio, Ecl. II, 19 sqq : *Despectus tibi sum, nec qui sim quæris* etc. quamquam et Virgilius Theocritum ante oculos habuit. — *Moras* puellarum difficilium frequenter apud poetas accusant amantes. — *Retinere*, absolute dicitur pro, retinere in amore, ut h. l. aut in amicitia, ut apud Cicer. Div. I, 7.

810. *Antra pendentia saxis*, antra, in quibus saxa pendent, saxis camerata et fornicata; Lucretius, VI, 194, *Speluncas velut saxis pendentibus structas* : sed illam formam amant poetæ; etiam Virg. Georg. IV, 374, *pendentia pumice tecta* : nempe *pendere* (Plin. XXXVI, 27, *dependere*) verbum propr. de scopulis et saxis imminentibus; vide Broukh. ad Propert. III, II, 28.

812. *Sunt poma* etc. Deliciæ, quæ hic commemorantur, non satis convenire agresti et efferatæ Cyclopum vitæ videri possint : sed cogitandum est, Ætnam semper fuisse insigni

» Ipsa tuis manibus, silvestri nata sub umbra,
» Mollia fraga leges; ipsa autumnalia corna;
» Prunaque, non solum nigro liventia succo,
» Verum etiam generosa, novasque imitantia ceras.
» Nec tibi castaneæ, me conjuge, nec tibi deerunt
» Arborei fetus; omnis tibi serviet arbos.
» Hoc pecus omne meum est; multæ quoque vallibus errant,
» Multas silva tegit; multæ stabulantur in antris:
» Nec, si forte roges, possim tibi dicere, quot sint.
» Pauperis est numerare pecus: de laudibus harum
» Nil mihi credideris: præsens potes ipsa videre,
» Ut vix sustineant distentum cruribus uber.
» Sunt, fetura minor, tepidis in ovilibus agni;
» Sunt quoque, par ætas, aliis in ovilibus hædi.

fertilitate: etiam apud Theocritum, vers. 46, prope antrum ἄμπελος ἁ γλυκύκαρπος, atque adeo apud Homerum, vers. 358, terra Cyclopibus fert οἶνον ἐριστάφυλον. — *Fraga: corna*; vide ad I, 104.—*Autumnalia corna*; autumni tempore maturescentia. Corna autem sunt baccæ rubicundæ, in medio nucleum durissimum habentes; unde Virgilius *lapidosa corna* dixit. *Ed.*

817. *Liventia*, nigricantia; Horat. II, Od. V, 11, *lividos racemos*. Sed his *generosiora*, præstantiora, quæ colore flavo aut candicante *novas imitantur ceras*, et Virgilio, Ecl. II, 53, *cerea pruna* dicuntur; Plinius, XV, 13, de prunis: *Sunt et nigra ac laudatiora cerina atque purpurea.*— De *arbuteis fetibus* vide ad I, 104. Sed ego e pluribus MSS *arborei* (quod habet codex noster Reg. A) revocavi, quia Polyphemus delicatos fructus promittit, uvas, pruna etc. et addit, *omnis tibi serviet arbos: tibi serviet*, tibi fructus feret; similiter *servire* apud Plinium in Epist. et in Paneg.

821. *Multæ*, scil. oves, e vs. 781; Theocritus, vs. 34, βοτὰ χίλια βόσκω· Virgilius, vs. 21, *Mille meæ Siculis errant in montibus agnæ*: sed Noster in talibus omnibus copiosior esse solet.

826. *Sustineant*, ferre possint. Hoc verbum e quinque MSS et editionibus nonnullis recepit Heinsius, qui monet posse etiam *circuagant* legi, quo verbo Horatius usus sit; duo *contineant*; vulgo *circumeant*. — Hoc postremum habet codex Regius B; codex A *circueant*. — *Cruribus*, inter crura. — *Fetura*, ipsi fetus. — *Tepidis* bene e natura stabulorum additum.—Dixit, *par ætas*, non, pari ætate, quia *ætas* etiam de hominibus, hinc pecoribus, certæ ætatis, inprimis teneræ dicitur. — *Aliis in ovilibus*; diligenter enim secundum Homerum, vers. 220, varia pecorum suorum genera separabat, seorsimque includebat. Ple-

» Lac mihi semper adest niveum : pars inde bibenda
» Servatur ; partem liquefacta coagula durant.
» Nec tibi deliciæ faciles, vulgataque tantum
» Munera contingent, damæ, leporesque, capræque,
» Parve columbarum, demtusve cacumine nidus :
» Inveni geminos, qui tecum ludere possint,
» Inter se similes, vix ut dignoscere possis,
» Villosæ catulos in summis montibus ursæ :
» Inveni ; et, dominæ, dixi, servabimus istos.
» Jam modo cæruleo nitidum caput exsere ponto ;
» Jam, Galatea, veni ; nec munera despice nostra.
» Certe ego me novi, liquidæque in imagine vidi

rumque tamen et oves et capræ uno septo claudebantur ; hinc *ovile* etiam stabulum hædorum, notante Bentleio ad Horat. I, Od. XVII, 9.

829. *Lac mihi semper* etc. Tanta mihi est ovium copia, ut lac *semper*, quovis anni tempore, suppetat ; Virgilius, vs. 22, *Lac mihi non æstate novum, non frigore defit*, et Theocrit. vs. 36, de caseo, Τυρὸς δ' οὐ λείπει μ' οὔτ' ἐν θέρει etc.—*Pars inde bibenda* etc. ex Homero, vs. 246, ἥμισυ μὲν θρέψας λευκοῖο γάλακτος ... Ἥμισυ δ' αὖτ' ἔστησεν ἐν ἄγγεσιν, ὄφρα οἱ εἴη Πίνειν αἰνυμένῳ.—*Coagula*, particulæ ventriculi vitulini sectæ et aqua maceratæ, quibus immissis lac *duratur*, cogitur in massam ; Theocrit. 66, τάμισον δριμεῖαν ἐνεῖσα.—Pro *deliciæ faciles*, Patav. et unus Heinsii *divitiæ*.—Mox pro *capræque*, veteres plerique (et noster Regius A) *caperque*.

834. *Inveni geminos* etc. Theocrit. vers. 40 : Τρέφω δέ τοι ἕνδεκα νεβρὼς, Πάσας μαννοφόρως, καὶ σκύμνως τέσσαρας ἄρκτων.—*Vix ut dignoscere possis* ; Heinsius conjicit, *et vix dignoscere quos sit*, per græcismum, quia præcessit *possint*.—Noster donum commendat multis modis, etiam a difficultate, *summis in montibus*. Hinc vs. 831, opponuntur *deliciæ faciles*, id est, parabiles, obviæ : etiam Virgilius, vs. 40, *Præterea duo, nec tuta mihi valle reperti, Capreoli, sparsis etiam nunc pellibus albo, Bina die siccant ovis ubera : quos tibi servo.*—Ad *ludendum* catuli ursæ non nisi Polyphemo idonei videri poterant. — *Dominæ* ; vide ad IX, 465.

838. *Jam modo cæruleo* etc. Sic eam etiam apud Theocrit. vers. 63, invitat, Ἐξένθοις, Γαλάτεια, καὶ ἐξενθοῖσα λάθοιο οἴκαδ' ἀπενθεῖν· *egredere, Galatea, et egressa obliviscere domum redire.* — Pro *nitidum*, quum MSS varient et dent alii *niveum*, alii *rutilum*, Burmannus conjicit *glaucum*, quod sane proprie Deæ marinæ convenit : sed *nitidum* h. l. omnino pulchrum, ut sæpius ; atque ita amatæ suæ caput non male vocat amans ; Horat. I, Od. XIX, 5 : *Urit me Glyceræ nitor.* Supra *splendidiorem vitro* et *lucidiorem glacie* Galateam vocabat.

840. *Certe ego me novi* : apud Theo-

» Nuper aquæ; placuitque mihi mea forma videnti.
» Adspice, sim quantus: non est hoc corpore major
» Jupiter in cælo; nam vos narrare soletis
» Nescio quem regnare Jovem: coma plurima torvos
» Prominet in vultus; humerosque, ut lucus, obumbrat.
» Nec mihi quod rigidis horrent densissima setis
» Corpora, turpe puta: turpis sine frondibus arbos;
» Turpis equus, nisi colla jubæ flaventia velent:
» Pluma tegit volucres; ovibus sua lana decori est;
» Barba viros, hirtæque decent in corpore setæ.

crit. vs. 31, sat habet ostendisse, turpitudinem suam pecorum copia compensari; sed h. l. dignam adeo sibi formam vindicat, idque magna cum arte. — *Me*, formam meam. — *In imagine aquæ*, in imagine, quam aqua referebat. Tredecim tamen MSS *in margine*. Hoc quoque e Virgilio, vers. 25: *Nec sum adeo informis; nuper me in litore vidi, Quum placidum ventis staret mare.* — *Sim quantus*; vide Homer. vers. 191; Virgil. Æn. III, 619: apud illum similis est ῥίῳ ὑλήεντι ὑψηλῶν ὀρέων, *vertici silvoso altorum montium*; apud hunc *alta pulsat sidera*.

844. *Nescio quem regnare Jovem.* Impia et Cyclope digna vox: Homerus, Od. K, 275: Οὐ γὰρ Κύκλωπες Διὸς αἰγιόχου ἀλέγουσιν, Οὐδὲ θεῶν μακαρων. *Ed.* — *Torva frons* Polyphemo tribuitur etiam a Virgilio, Æn. III, 636; Burmannus tamen nescit, an tam stolidum Cyclopa fingere liceat, ut *torvos* suos vultus Galateæ, cui placere volebat, jactaret. Præfert igitur e quatuor MSS *fortes*, idque comprobat ex Heroid. IV, 73: *Quemque vocant alii vultum rigidumque trucemque, Pro rigido, Phædra judice, fortis erat.* At *torvus* etiam bono sensu accipitur de vultu severo, et nobilem quamdam fiduciam præ se ferente; apud Horat. III, Od. v, 44, Regulus *virilem torvus humi ponit vultum*: torvos igitur vultus suos Cyclops ipse vocare poterat, quum non venustatem, sed austeram quamdam dignitatem sibi vindicaret: etiam Virgilius *torvam frontem* tribuit. — Regii codices habent quidem *torvos vultus*, et Virgilius tribuit *torvam faciem*, sed non Cyclopem ipsum de se hoc vocab. utentem inducit; quare non improbandam Burmanni conjecturam credo. *Ed.*

846. *Rigidis ... setis*; plurimi (et codices Regii) *duris*. — *Horrent* cum vi pro, sunt; *horrent* enim quæ eminent, ut setæ suis; hic fortasse mollius verbum exspectasses. Ei autem λασία ὀφρὺς ἐπὶ παντὶ μετώπῳ ἐξ ὠτὸς τέταται· Theocr. 31. — *Densissima setis corpora*, densissime setis obsita. — *Turpis ... arbos.* Probat Heinsius ex Genevensi, *turpe est sine frondibus arbos*, ut in illo, *Turpe senex miles*; improbat Burmannus, quia sequitur *Turpis equus*. — *Colla flaventia*; unus Leidensis et Florentinus S. M. *flammantia*. — Regii codices *colla flaventia*; sed placet *flammantia*. Ed.

» Unum est in media lumen mihi fronte, sed instar
» Ingentis clypei : quid? non hæc omnia magnus
» Sol videt e cælo? Soli tamen unicus orbis.
» Adde, quod in vestro genitor meus æquore regnat :
» Hunc tibi do socerum : tantum miserere, precesque
» Supplicis exaudi; tibi enim succumbimus uni :
» Quique Jovem, et cælum sperno, et penetrabile fulmen,
» Nerei, te vereor : tua fulmine sævior ira est :
» Atque ego contemtus essem patientior hujus,
» Si fugeres omnes : sed cur, Cyclope repulso,
» Acin amas, præfersque meis amplexibus Acin?
» Ille tamen placeatque sibi, placeatque licebit,
» Quod nollem, Galatea, tibi; modo copia detur,
» Sentiet esse mihi tanto pro corpore vires.
» Viscera viva traham, divulsaque membra per agros,
» Perque tuas spargam, sic se tibi misceat! undas.

852. *Instar Ingentis clypei.* Sumtum hoc ex Virgilio, Æn. III, 636: *Ingens quod torva solum sub fronte latebat, Argolici clypei aut Phœbeæ lampadis instar.* Etiam Callimachus, hymn. ad Dianam, 53, hunc oculum cum σάκει τετραβοείῳ comparat. Et quia clypeus orbis, κύκλου, formam habet, inde Κύκλωπες dicti sunt; Hesiod. Theog. 144. — *Hæc omnia* ἀντιστικῶς, ut vs. 801, *his scopulis.* — *Magnus*, tamquam proprium solis epitheton, recepit Burmannus; sed vulgo, et priscis in editionibus, sicuti et in nostris codicibus Regiis, legitur *magno* ut referatur ad *cælo*, cujus proprium quoque epitheton potest dici. *Ed.* — Pro *Soli* vulgo *Solis.* — Codex Regius B habet quoque *soli* cum Neapol. Thuan. et multis aliis, unde hoc recepit Heinsius. *Ed.* — Lusus in voc. *orbis* parum probandus; comparantur enim dissimilia.

854. *In vestro æquore*, ubi vos vivitis, o Nereides. *Ed.* — *Genitor* Polyphemi Neptunus; vid. Homerus, Od. Α, 68 sqq. Amantes etiam a genere se commendare solent; I, 517; IX, 14. — Viros virtute præstantes Jovis filios poetæ dixerunt, ut Æacum, Minoa, Sarpedona; feroces vero et immanes Neptuni filios, ut Cyclopa, Cercyona, Scyrona et Læstrigonas : hos mari genitos, illos cælo. *Ed.*

858. *Te vereor*, tuam iram metuo. Alii (ut cod. Reg. B) legunt *veneror.*

863. *Quod nollem*; Heinsius legit *quod nolim.* — *Sentiet*; vide ad XII, 595. — *Viscera* etc. atque adeo *visceribus miserorum et sanguine atro vescebatur*; Virg. v. 622-627. Sed Acin vult *sic miscere* Galateæ. — *Sic se tibi misceat* : vulgo *si se* etc. — Codex Regius A *sic*; ita et codex B pro varia lectione.

» Uror enim, læsusque exæstuat acrius ignis;
» Cumque suis videor translatam viribus Ætnam
» Pectore ferre meo : nec tu, Galatea, moveris. »
Talia nequicquam questus, nam cuncta videbam,
Surgit; et, ut taurus vacca furibundus ademta,
Stare nequit, silvaque et notis saltibus errat;
Quum ferus ignaros, nec quidquam tale timentes,
Me videt atque Acin; « Videoque, exclamat, et ista
» Ultima sit faciam Veneri concordia vestræ. »
Tantaque vox, quantam Cyclops iratus habere
Debuit, illa fuit : clamore perhorruit Ætne.
Ast ego vicino pavefacta sub æquore mergor :
Terga fugæ dederat conversa Symæthius heros;
Et, « Fer opem, Galatea, precor, mihi; ferte parentes,
» Dixerat, et vestris periturum admittite regnis. »
Insequitur Cyclops; partemque e monte revulsam

867. *Læsus*, irritatus; vide ad I, 608. — Pro *viribus*, unus Barberini habet *ignibus*; Heinsius vult scribi *rupibus* : sed *vires* tribuuntur igni II, 280; VII, 81 : atque etiam II, 220, unus MS *geminatis viribus Ætnæ*. — Pro *translatam Ætnam* Cantabrig. habet *translatum*. — Regii codices tuentur *translatam*; vide supra ad vers. 770. *Ed.*

872. *Notis saltibus*; plurimi (et codex Regius A) *notis montibus*; Ambrosianus *vallibus*. — *Faciam* et alibi *faxo* (quod etiam h. l. Heinsius mallet) minitantis est.

876. *Tantaque vox...perhorruit Ætne*; ex Homero, vs. 395 : Σμερδαλέον δὲ μέγ' ᾤμωξε· περὶ δ' ἴαχε πέτρη. Virgilius, 672 : « Clamorem immensum tollit; quo pontus et omnes » Intremuere undæ, penitusque exterrita tellus Italiæ, curvisque immugiit Ætna cavernis. » — *Habere debuit*; credibile est eum habuisse. — *Fer opem, Galatea, precor, mihi : ferte parentes*. Unus *mihi precor*. — Erravit certe hoc loco, quem jam alibi negligentiorem animadvertimus, cl. Gierigius : *mihi, precor* respuit metrum; error forsan ex eo fluxit, quod de hac varietate lectionis nimium brevis sit annotatio Heinsii, quam referre videtur Gierigius; hanc ita restituendam putamus : *Fer opem, Galatea mihi; mihi ferte parentes*; quæ lectio certe venusta est. *Ed.* — *Periturum admittite regnis*; alius *advertite*. — Is, qui alium domo sua vel regno suo excipit, hunc *advertere regno suo* nunquam fuit dictus, sed certe *admittere*, vel excipere. Itaque bona est, quæ in Regiis codicibus reperitur, lectio, *admittite regnis*. Ed.

882. *Partemque e monte* etc. Etiam apud Homerum, 481 : Ἧκε δ' ἀπορ-

Mittit; et extremus quamvis pervenit ad illum
Angulus e saxo, totum tamen obruit Acin.
At nos, quod solum fieri per fata licebat,
Fecimus, ut vires adsumeret Acis avitas.
Pœniceus de mole cruor manabat, et intra
Temporis exiguum rubor evanescere cœpit;
Fitque color primo turbati fluminis imbre,
Purgaturque mora: tum moles fracta dehiscit,
Vivaque per rimas, properataque surgit arundo,
Osque cavum saxi sonat exsultantibus undis:
Miraque res! subito media tenus exstitit alvo
Incinctus juvenis flexis nova cornua cannis;

ῥήξας κορυφὴν ὄρεος μεγάλοιο. — *Ut vires adsumeret avitas*, ut fluvius fieret, quemadmodum avus Symæthus. *Vires* fluminibus tribuuntur etiam I, 278: et *adsumere* sic etiam est XI, 789; XII, 1.

887. *Pœniceus ... mora.* Putida hæc diligentia condonari potest garrulitati puellæ, Acidis sui obitum narrantis.—Mox *moles jacta* Heins. male illustrat ex illo, *jactis in altum molibus*, quod sæpe apud auctores romanos occurrit. Imo, jacta a Polyphemo, ut recte Glareanus et Micyllus. Magis tamen placet, quod duodeviginti MSS habent, *moles fracta dehiscit* e familiari illa poetis et eleganti copia; sic XII, 488, *fracta dissiluit*: Virg. Georg. IV, 410, *in aquas tenues dilapsus abibit*. Hoc igitur recepimus. — Duo Regii nostri habent *tacta*, quod in plerisque MSS legitur, et de quo tacere Gierigium miror: non mala tamen est ea lectio, et τὸ *tacta*. scil. a me, referendum est ad ea quæ præcedunt, *At nos, quod solum fieri per fata licebat, Fecimus*: præterea si tuere nolit lector, *fracta* præstantius, quam *jacta* videtur. *Ed.*

891. *Properataque ... arundo.* Quia fluviorum ora arundine fere cincta esse solent, hinc etiam eorum frontes in monumentis et apud poetas: Art. Amat. I, 222; vide et ad IX, 3. Sed pro *proceraque*, tueor vulgat. *properataque*, id est, properanter nata, ut II ex Ponto, XI, 1, *properatum tempore brevi opus*: vide ad X, 31. Alibi fere *subitus* de corporibus transformatis; V, 560, *subitis flavescere pennis*; XI, 341, *subitis pendentem sustulit alis*. — Regii codices habent *procera*; *properata* autem magis placet, propter subitam transformationem. *Ed.*

892. *Osque cavum saxi* etc. Quidam *saxo*, quod placebat Heinsio. —Cod. Regius A dat *saxis*, litera *s* certe abundante; codex B *saxi*. — Bona prorumpentis e caverna fluvii descriptio: *exsultare* ut hic de prorumpente, sic VII, 263, de fervente aqua. — *Exstitit* ut II, 264. — De *cornibus* fluviorum diximus ad IX, 1. — Pro *flexis*, Heins. conjicit *plexis*, quod sane usitatius. —

Qui, nisi quod major, quod toto cærulus ore est,
Acis erat : sed sic quoque erat tamen Acis in amnem
Versus ; et antiquum tenuerunt flumina nomen. »
  Desierat Galatea loqui ; cœtuque soluto
Discedunt, placidisque natant Nereides undis.
Scylla redit ; neque enim medio se credere ponto
Audet ; et aut bibula sine vestibus errat arena ;
Aut, ubi lassata est, seductos nacta recessus
Gurgitis, inclusa sua membra refrigerat unda.
Ecce fretum findens, alti novus incola ponti,
Nuper in Euboica versis Anthedone membris,
Glaucus adest ; visæque cupidine virginis hæret ;

Major, ut IX, 269, Hercules : habet formam augustam et plus quam humanam, membraque magna ; vide ad vs. 962. — *Acis* fluvius (hodie *il fiume Freddo*) ex Ætna profluens, undas suas gelidissimas maximo cum impetu in mare devolvit. Plura de ejus natura habet Brydon. in *Reise nach Sicilien* P. I, p. 96. Scriptores Siculi ex inscriptionibus antiquis docent, *Acin* fuisse regem antiquissimum, quem Polyphemus gigas, zelotypia incensus, interfecerit.

898. *Glaucus*, vel Polybi, vel Copei filius, quum herbas quasdam gustasset, in mare se præcipitat, fitque Deus marinus ; conf. Palæphatus, cap. 28 ; Eustathius ad Homer. p. 205 ; Tzetzes ad Lycophr. p. 107 ; Schol. Apollonii ad I, 1310 ; Hyginus, fab. 199 ; Fulgentius, Mythol. II, 12. Ex sententia Palæphati Glaucus fuit urinator (κολυμβητὴς), qui diu sub aqua vivere posset, inde dictus θαλάττιος. Similis urinator, Colas nomine, recentioribus temporibus inter Siculos vixit, ab arte [illegible] *Pesce*, id est piscis, dictus ; vid. Brydon. *Reise nach Sicil.* P. I, p. 63.

— *Cœtu* Nereidum ; vide vers. 736 : *soluto*, dimisso.

902. *Recessus gurgitis*, sinus angusti, curvaturæ maris in litore : *seducti*, remoti a conspectu hominum. In iis *inclusa* aqua, non omni, maxima tamen ex parte : confer XIV, 51. Solebat autem Scylla *in mari lavari* ; Hyginus.

904. *Ecce fretum findens.* Non multum egit Heinsius *scindens* e MSS in *findens* mutans : etenim tam mare, quam ager mox dicitur *scindi*, mox *findi* ; quum unus habeat *stridens*, idem conjecerat *stringens* : pessime. — Regius cod. A, et cod. B a secunda manu, habent *scindens*. — De *Anthedone Euboica* vide VII, 232 : etiam Palæph. Glaucus Ἀνθηδόνιος τὸ γένος. Male a Lactantio in Argum. et Fulgentio, Anthedonis filius vocatur. — *Hæret*, vulgo, et in nostris Reg. codicibus, *ardet. Hæret*, conspecta repente virgine, ejus formam stupens constitit : sic I Amor. VIII, 24 : *Hæsit, et in vultu constitit usque tuo.* Hinc II, 409, *hærere in virgine.* Erat autem Scylla *formosissima virgo* ; Hyginus.

Et, quæcumque putat fugientem posse morari,
Verba refert : fugit illa tamen, veloxque timore
Pervenit in summum positi prope litora montis.
Ante fretum est ingens, apicem collectus in unum,
Longa sine arboribus convexus ad æquora vertex.
Constitit hic; et tuta loco, monstrumne, Deusne
Ille sit, ignorans, admiraturque colorem,
Cæsariemque humeros subjectaque terga tegentem,
Ultimaque excipiat quod tortilis inguina piscis.
Sentit : et innitens, quæ stabat proxima, moli;
« Non ego prodigium, non sum fera bellua, virgo;
Sum Deus, inquit, aquæ; nec majus in æquora Proteus
Jus habet, aut Triton, Athamantiadesve Palæmon.
Ante tamen mortalis eram : sed scilicet altis
Deditus æquoribus, jam tum exercebar in illis.

909. *Prope litora*, in litore Italico, Messaniam contra; vide XIV, 17. — *Collectus in unum;* quidam *conjectus;* unus *collatus : colligi* eleganter dicuntur quorum partes in angustum coeunt et desinunt. Montem illum ita describit, ut appareat quam *tuta loco* virgo fuerit. — *Convexus ad æquora;* quidam *conversus in æquora. Convexus*, descendens, declivis, ut XIV, 154. — *Sine arboribus* ex Oxon. et tribus aliis MSS recte prætulit Heins. τῷ *sub arboribus*: neque tamen propterea ei adsentior, quod etiam VIII, 789, *sine arbore tellus;* sed quod ita facilius in Glaucum despicere, et cum eo colloqui poterat.

912. *Monstrum* propter inferiores corporis partes, *Deus* propter superiores. — *Tortilis*, Schirachius explicat, qui se facile torquet. Immo, cujus cauda obliqua curvatur in arcum. [illegible] mox vs. 963, *Crureque pinnigero curvata novissima pisce;* supra III, 681, de delphinis, *falcata novissima cauda est, Qualia dividuæ sinuantur cornua Lunæ.* Et ita Tritoni, cui similis Glaucus, δικραίραν ἀλκίην, bicornem caudam, tribuit Apollon. Rhodius, IV, 1640; *bifidum cornu* apud Claudianum, X, 146. Glauci formam exhibet Lippertus in Dactyl. I, 75. Cæterum pro *piscis* Heinsius et Gronovius conjiciunt *pristis*, atque etiam vs. 963, *priste*, ut apud Virgilium, Æn. III, 427, de Scylla, *postrema immani corpore pistrix;* et ap. Claudian. de Tritone, *Qua pristis commissa viro.*

916. *Innitens*, nam sedere non poterat biformis Glaucus. — *In æquora* ex tribus dedit Heinsius, pro vulg. *in æquore*, quod habent cod. Regii. — *Jus*, potestas; non minoris dignitatis et potestatis Deus sum marinus. — *Palæmon* Deus marinus fit IV, 540.

Nam modo ducebam ducentia retia pisces;
Nunc in mole sedens moderabar arundine linum.
Sunt viridi prato confinia litora, quorum
Altera pars undis, pars altera cingitur herbis;
Quas neque cornigeræ morsu læsere juvencæ;
Nec placidæ carpsistis oves, hirtæve capellæ:
Non apis inde tulit collectos sedula flores;
Non data sunt capiti genialia serta; nec unquam
Falciferæ secuere manus: ego primus in illo
Cespite consedi, dum lina madentia sicco:
Utque recenserem captivos ordine pisces,
Insuper exposui, quos aut in retia casus,
Aut sua credulitas in aduncos egerat hamos.
Res similis fictæ: sed quid mihi fingere prodest?
Gramine contacto cœpit mea præda moveri,
Et mutare latus, terraque, ut in æquore, niti.

922. *Ducentia retia*; quidam *capientia*. — Regii codices nostri *ducentia*: aliam lectionem haud dubie ut vitetur nimis Ovidiana repetitio, si ita dicere fas sit, receperunt librarii; tamen Martial. I, 56, *piscem tremula salientem ducere seta*. Ed. — *In mole sedens*; unus *in rupe*.

926. *Herbis*; *Quas neque cornigeræ* etc. Herbæ prorsus intactæ, ut adeo nec fera, nec homo ullus vim earum experiri potuerit.—*Morsu lædere* exquisitius, quam, mordere.— *Tulit*... *collectos*, plenius, quam, collegit; Virgilius, Georg. IV, 54, *instant flores*.—Pro *sedula* multi habent *semine*. Hoc postremum legitur in ambobus codicibus Regiis; prius in codice B, pro varia lectione. — *Genialia serta*, coronas convivales, quibus ornatur caput, quum genio indulgetur; sic X, 95, *platanus genialis*; et IV, 14, *genialis uva*. — *Ego primus*... *consedi*. Heinsius, invitis omnibus libris, suadet *pronus*.

936. *Mea præda*; pisces capti, jamque exanimes. *Ed.* — *Mutare latus*, pro *motare latus* (quod habent codices Regii ambo) e multis recepit Heinsius, et explicat, utrinsecus jactare crebro latera, ex Apulei. Met. X, ut motus natantium piscium intelligantur. Quod non est: describitur potius actus surgentium piscium: jacuerant in latere, nunc moventur (Lactant. in Argum. *recuperato spiritu, quem amiserant*), atque vertunt se, et erigunt, ut dorsum sursum tollant, more piscium in aqua degentium. Sic *mutare latus* pro, se vertere, apud Virg. Æn. III, 581, de Encelado. — *Niti* proprie de hominibus, aut quadrupedibus in terra vel stantibus, vel incedentibus: hinc etiam *pisces niti in æquore* dicuntur, quum ab eo feruntur et sustentan-

Dumque moror, mirorque simul, fugit omnis in undas
Turba suas, dominumque novum, litusque relinquunt.
Obstupui, dubiusque diu, quæ causa, requiro;
Num Deus hoc aliquis, num succus fecerit herbæ?
Quæ tamen has, inquam, vires habet herba? manuque
Pabula decerpsi, decerptaque dente momordi.
Vix bene combiberant ignotos guttura succos,
Quum subito trepidare intus præcordia sensi,
Alteriusque rapi naturæ pectus amore.
Nec potui restare loco; Repetendaque nunquam
Terra, vale, dixi; corpusque sub æquora mersi.
Di maris exceptum socio dignantur honore;
Utque mihi, quæcumque feram, mortalia demant,
Oceanum, Tethynque rogant: ego lustror ab illis;
Et purgante nefas novies mihi carmine dicto
Pectora fluminibus jubeor supponere centum.
Nec mora; diversis lapsi de partibus amnes,
Totaque vertuntur supra caput æquora nostrum.
Hactenus acta tibi possum memoranda referre;
Hactenus et memini; nec mens mea cætera sensit.

tur; Horatius, IV, Od. 11, 3, de volante: *Nititur pennis.*

939. *Suas* cum vi, quibus adsueti. Cæterum hoc ipsum gramen *vivax* vocatur VII, 232.—*Dubiusque diu.* Plerique (et Regii codices ambo) *dubitoque diu*: sed τὸ *diu* non placet Heinsio qui conjicit, *Obstupui, subitæque rei quæ causa requiro.*

942. *Quæ tamen has.* Quidam *quas tamen hæc.* — *Ignotos succos.* Duo *ignaros*; sed vide Heinsium ad I, 134. — *Subito trepidare intus.* Heinsius conjicit *trepidare metu.* — *Alterius naturæ*, alterius elementi, aquæ. Lactant. in Arg. *alienatus mente ex alto se præcipitavit in pelagus.*

947. *Restare loco* pro *diu* recepit Heinsius ex uno. — Regii codices habent *diu*; et bene est: non potui resistere amori, et cupiditati alterius naturæ. *Ed.* — Ut Hercules, IX, 262 sqq, flammis, sic Glaucus lustratione mortalitatem exuit. — Nescio an *partibus*, vs. 954, trium MSS auctoritate jure mutatum sit ab Heinsio in *fontibus*: *partes* nunc sunt cæli regiones, ut II, 160; XI, 490. Quidam habent *montibus*. — Regii codices ambo *partibus.*

956. *Hactenus ... sensit.* Hos duo versus, ut valde frigidos et jejunos, tollendos esse opinatur Heinsius; et mox legit *Utque animus rediit*, aut

Quæ postquam rediit, alium me corpore toto,
Ac fueram nuper, nec eumdem mente, recepi.
Hanc ego tum primum viridem ferrugine barbam,
Cæsariemque meam, quam longa per æquora verro,
Ingentesque humeros, et cærula brachia vidi,
Cruraque pinnigero curvata novissima pisce.
Quid tamen hæc species, quid Dîs placuisse marinis,
Quid juvat esse Deum, si tu non tangeris istis? »
   Talia dicentem, dicturum plura, reliquit
Scylla Deum: furit ille, irritatusque repulsa,
Prodigiosa petit Titanidos atria Circes.

Mox, ubi mens rediit; improbante Burmanno. Pro *memoranda referre*, multi *miranda referre*. — *Alium me recepi* egregie de transformato.

960. *Viridem ferrugine barbam* recepit Heinsius e multis, pro *viridi ferrugine barbam*: et idem in principio versus malit *hac* pro *hanc*. *Viridem ferrugine*, cæruleam: *ferrugo* est ferri politi et a lento calore temperati color. Hinc Non. XVI, 7, *Vere ferrugineus color cæruleus est.* — *Verrere*, ut αἰθύσσειν, de fluitante motu capillorum; Claudianus, X, 145, de Tritone, *undosi verrebant brachia crines*. Proprie *cæsaries verrit æquora*, sed h. l. *quam verro*, verrendo traho, *per æquora*; confer ad vs. 492. — *Ingentes humeri*, et XIV, 8, *magna manus*, quia jam Deus factus; paulo ante vs. 895, Acis *major* factus. — *Pinnigero pisce*. Gronovius, Obs. I, 18, legit *pinnigera priste*; vide supra ad vers. 915.

968. *Prodigiosa atria*; ædes monstrorum plenas. — *Titanidos Circes*, filiæ Solis, qui e Titanum familia et numero erat. Veteres magicæ artis peritas omnes Solis filias dicebant; hinc et Circe talis fingitur, Medea et aliæ. *Ed.* — De *Circe* vide plura ad XIV, 10.

N. B. Argumentum hujus Libri decimi quarti Metamorphoseon relatum invenies in serie CANTERI, tom. III, pag. 41.

P. OVIDII NASONIS
METAMORPHOSEON
LIBER DECIMUS QUARTUS.

FAB. I. JAMQUE giganteis injectam faucibus Ætnen,
Arvaque Cyclopum, quid rastra, quid usus aratri
Nescia, nec quidquam junctis debentia bubus,
Liquerat Euboicus tumidarum cultor aquarum:
Liquerat et Zanclen, adversaque mœnia Rhegi,
Navifragumque fretum, gemino quod litore pressum,
Ausoniæ, Siculæque tenet confinia terræ.

1–74. *Scylla* mutatur Circes herbis et cantu in saxum succinctum canibus. Ita multi poetæ tradiderunt; ita etiam Hyginus, fab. 199. A Neptuno patre eam esse vitiatam, et ab Amphitrita irata corruptis veneno aquis in monstrum mutatam, narrant Virgilius, Cir. 56–73, et Tzetzes ad Lycophr. pag. 13. Allegoricam esse libidinis narrationem volunt alii, ut Fulgentius, Mythol. II, 12, et Heraclides in Allegor. p. 496. Dubium hoc relinquit Virg. Cir. 68 sqq.—*Giganteis* etc. vide V, 346.— *Cyclopes* agro colendo non vacabant, sed terra iis sponte dabat triticum, hordeum, vites; Homer. Od. I, 108 seq. Itaque *arva* improprie dixit agros Cyclopum; *arvum* enim ab arando dictum.—*Usus aratri* pro aratro ipso; vide ad I, 408: nisi malis cum MSS plurimis, *quis usus.* — Regii codices habent *quid*, et bene; hoc enim postulat præcedens *quid rastra*. Ed.—*Debentia bubus*, præparata a bubus frumento seminando et ferendo; sic Plinius, Paneg. 30: *Ægyptus nihil imbribus cæloque debet.*—*Euboicus*, Glaucus, qui in Argum. Lactant. æque recte *Anthedonius* vocatur; vide ad XIII, 905.—*Tumidarum* nunc tantum ornat.—*Adversa*; vide ad XIII, 541. —*Rhegium* olim urbs opulenta.— *Navifragum*, ubi fiunt multa naufragia; Tibul. II, IV, 10, *naufraga unda*, ubi vide Vulp. Etiam hoc loco multi habent *Naufragumque fretum*. — Codices Regii ambo *navifragum*. —*Premi* dicuntur quæ terminis inclusa sunt. Fluminis immensi quidem, fluminis tamen inclusi speciem præbet fretum Siculum.—*Tenet*, occupavit olim illam partem, quæ erat

Inde, manu magna Tyrrhena per æquora lapsus,
Herbiferos adiit colles, atque atria Glaucus
Sole satæ Circes, variarum plena ferarum.
Quam simul adspexit, dicta, acceptaque salute;
« Diva, Dei miserere, precor : nam sola levare
» Tu potes hunc, dixit, videar modo dignus, amorem:
» Quanta sit herbarum, Titani, potentia nulli,
» Quam mihi cognitius, qui sum mutatus ab illis.
» Neve mei non nota tibi sit causa furoris,
» Litore in Italico, Messania mœnia contra,
» Scylla mihi visa est : pudor est promissa, precesque,
» Blanditiasque meas, contemtaque verba referre.
» At tu, sive aliquid regni est in carmine, carmen

terra et terminus inter Italiam et Siciliam; vide XV, 291. Heinsius suadet *terit confinia*, ut alibi *reddere* et *rumpere confinia*.

8. *Manu magna... lapsus. Manus*, qua inprimis opus est natanti, imaginem sensibus subjicit: sed *magna*, quia Deus. Duo et Politiani habent *manu forti*. — *Labi* de quovis celeri motu et cursu; h. l. natantis.—*Circen*, insignem veneficam, *Solis* et Persæ filiam, Æetæ, Colchorum regis, sororem, in insulam quamdam Oceani occidentalis transtulerat summa antiquitas, locorum situs ignorans. Homerus igitur, Od. K, 135 sqq, ut Ulyssem eo deferret, illam collocavit juxta litus Italiæ, ubi postea Circæum promontorium fuit. Siccatis enim paludibus, quibus olim cingeretur, illam insulam partem esse factam continentis veteres tradunt; vide Heyn. Exc. I ad Virg. Æn. VII. Plura de hac venefica infra videbimus inde a vs. 244 sqq. — *Herbiferos adiit colles.* Herbis opus erat in arte magica; conf. vs. 266 sqq; VII, 224 sqq. Et dictum esse olim illum locum πολύῤῥιζον, monet Strabo, V, pag. 355. — De *atriis* et *feris* Circes vid. vers. 255, 260.

12. *Diva, Dei miserere.* Quidam, Ciofani, tum Basil. Bersm. et alii, *mei miserere.* Videbatur nempe librariis superbius loqui Glaucus, si se *Deum*, Circen *Divam* vocaret. Sed vid. Burmannus qui monet, poetas promiscue *divas* et *deas* vocasse. — Nostri Regii ambo *Diva, Dei miserere.*—In versu sequenti pro *amorem* multi habent *amore*, ut cum *dignus* jungatur. Codex Regius A *amorem*, codex B autem *videar modo dignior esse;* ita in quinque legi testatur Burmannus. *Ed.*—*Herbarum potentia;* vide ad I, 522. — *Qui sum mutatus;* Heinsius monet e consuetudine Nostri scribendum, *qui sim.*

17. *Litore in Italico;* sex *Italio:* et mox quinque *Messania litora contra*, quam repetitionem elegantem judicat Burmannus.

20. *Aliquid regni;* vulgo (et in Regiis codicibus) *aliquod regnum.*

» Ore move sacro : sive expugnacior herba est,
» Utere tentatis operosæ viribus herbæ.
» Nec medeare mihi, sanesque hæc vulnera mando,
» Fineque nil opus est : partem ferat illa caloris. »
At Circe (neque enim flammis habet aptius ulla
Talibus ingenium ; seu causa est hujus in ipsa,
Seu Venus indicio facit hoc offensa paterno)
Talia verba refert : « Melius sequerere volentem,
» Optantemque eadem, parilique cupidine captam.
» Dignus eras ; ultro poteras certeque rogari :
» Et, si spem dederis, mihi crede, rogaberis ultro.
» Neu dubites, absitque tuæ fiducia formæ :
» En ego, quum Dea sim, nitidi quum filia Solis,
» Carmine quum tantum, tantum quum gramine possim,

Regnum est potentia, vis magica : sic *regnum* et *regnare* de potentia etiam apud Cic.—*Carmen*, formula incantationis ; VII, 137, et alibi. —*Move*, incipe, profer, sollemni usu apud poetas ; vide Bentleium ad Horat. III, Od. VII, 20 : quia quæ proferuntur, proprie *moveri* dici possunt ; Heynius ad Virg. Æn. I, 262. — *Expugnacior*, efficacior ; supra IX, 620, *expugnare cœpta*, perficere cœpta. Quidam (ut noster codex Regius B) daut *expugnantior.*— *Operosa*, multum operans, efficax. *Tentatis*, usu cognitis.

24. *Fineque nil* (aut cum multis MSS *Fine nihil*) *opus est.* In his verbis frustra hæserunt interpretes : justa oppositio in *finire* et *partem ferre*. Otiose ex Heinsii emendatione subjiceretur, *Hac ope nil opus est*, et argute nimis, aut subobscure e Burm. *Sic quoque nil opis est.*

25. *At Circe*, *neque* etc. Circe ipsa amore ardescit conspecti Glauci. Hunc amorem memorant et alii auctores. — *Aptius* ex more nostri poetæ est accommodatius, quod citius concipit amorem ; Burman. — *Hujus*, ingenii s. pectoris.—*Indicio paterno*, quia Sol indicaverat Veneris adulterium ; IV, 171 sqq.

28. *Sequerere*, peteres.—*Volentem* absolute capi potest, volentem amari ; vide Heins. ad II, 128. Idem autem rursus ter dixit, *volentem, optantem eadem, parili cupidine captam.*

30. *Certeque*. Τὸ *que* in tertium locum translatum, ut sæpius ; vide Burmannum, qui tamen malit, *perteque rogari.* Heinsius præfert lectionem quatuor MSS in quibus pr. Erfurt. *ultro certe poterasque rogari* ; sed etiam conjicit, *poterasque ultro, mihi crede, rogari.*

32. *Absitque* etc. Olim edebatur *adsitque*, male ; sensus : Ne dubites, neve absit etc. Heinsius malit *absitve.* — Regii codices ambo, ut multi alii, teste Heinsio, habent *assitque.* — *Tantum quum gramine possim* ; plurimi, et noster Regius B, *tantum*

» Ut tua sim, voveo : spernentem sperne : sequenti
» Redde vices; unoque duas ulciscere facto. »
Talia tentanti, « Prius, inquit, in æquore frondes,
» Glaucus, et in summis nascentur montibus algæ;
» Sospite quam Scylla nostri mutentur amores. »
Indignata Dea est; et lædere quatenus ipsum
Non poterat, nec vellet amans, irascitur illi,
Quæ sibi prælata est; Venerisque offensa repulsa,
Protinus horrendis infamia pabula succis
Conterit; et tritis Hecateia carmina miscet;
Cærulaque induitur velamina; perque ferarum
Agmen adulantum media procedit ab aula :
Oppositamque petens contra Zancleia saxa
Rhegion, ingreditur ferventes æstibus undas;
In quibus, ut solida, ponit vestigia, ripa,
Summaque decurrit pedibus super æquora siccis.

quoque; codex autem A, ut et multi, *quantum quoque gramine possim.* — *Spernentem*, Scyllam. — *Sequenti*, mihi.—*Unoque duas ulciscere facto.* Burmannus e Vaticano et quinque aliis receperat *duos*, scil. Glaucum et Circen; eamdem lectionem servaverat Gierigius; ego priscam revoco, ut *duas* referatur ad Scyllam et Circen : notum est vocab. *ulcisci aliquem* duplicem esse significationem : punire scilicet, et vindicare. Quare bona erat antiqua lectio quæ reperitur in codicibus Regiis; et bene interpretatus est glossator vetustissimus in codice B his voc. *redde vices nobis duabus in uno facto.* Idem vidit Nostri interpres græcus Planudes, qui vertit : τὴν μὲν τιμώρει, τὴν δε τιμωροῦ· unam punias, alteram vindices. Mox Heinsius pro *facto* volebat scribi *pacto*, ut intelligeretur *pactum* nuptiale. *Ed.*

37. *Talia tentanti.* Basileensis habet *captanti*, quod placet Burm.— *Prius in æquore* etc. De hoc proverbio vide ad XIII, 324.

40. *Lædere*, succis et carminibus mutare ejus formam. — *Quatenus*, quia. — *Non poterat*, quippe Deum. —*Veneris*, in amore.—*Pabula* exquisite pro, gramina.—*Miscet*, interterendum recitat; VII, 248.—*Hecateia* vel omnino magica, vel quibus invocabatur Hecate; vide VII, 74, et 194. — *Cærula*, ut maris accola.—*Ferarum agmen*, vers. 255.

48. *Oppositam contra saxa*; saxis. — *Ferventes* ... *undas* appositionem esse putant Heins. et Burm. Ego sic interpunxi, *Rhegion*, *ingreditur ferventes* etc. ita *petens* non otiose additum. Neque Circe Rhegion urbem ingressa est, sed *ferventes undas*, fretum Siculum, ut tenderet in eam partem, ubi sita illa urbs.

Parvus erat gurges, curvos sinuatus in arcus,
Grata quies Scyllæ: quo se referebat ab æstu
Et maris et cæli, medio quum plurimus orbe
Sol erat, et minimas a vertice fecerat umbras.
Hunc Dea prævitiat, portentiferisque venenis
Inquinat: huic fusos latices radice nocenti
Spargit; et obscurum verborum ambage novorum
Ter novies carmen magico demurmurat ore.
Scylla venit, mediaque tenus descenderat alvo,
Quum sua fœdari latrantibus inguina monstris
Adspicit; ac primo non credens corporis illas
Esse sui partes, refugitque, abigitque, timetque

51. *Gurges.* Fontem habent alii: sed vide XIII, 902. Tzetzes, d. l. φάρμακα ἐμβαλούσης τῇ πηγῇ, ἐφ' ᾗ εἰώθει λούεσθαι, ἀπεθηριώθη. Sic et Fulgentius.—Pro *curvos arcus* Basileensis et Ambrosianus habent *parvos*, unde Heins. conjecit *patulos*: certe offendit Burmannum ille sonus *parvus gurges curvos.* — Ambo codices Regii *curvos.* — *Ab æstu*, ut ibi tuta esset ab æstu, aut, tempore æstus.—*Plurimus*, acerrimus.

55. *Prævitiare* novum verbum, ut *præconsumere* VII, 489; *prædelassare* XI, 731; *præcontrectare* V, 478, et *præcorrumpere* infra vs. 134. —Etiam *portentiferis* novum, quod dictum esse, ut *monstriferum*, *horriferum* et similia apud Nostrum, monet Heinsius. Nescio tamen, an non rectius ante Heins. plurimorum MSS auctoritate editum sit, *portentificisque.* Nam *portentificum*, faciens portenta, mutans in portenta s. miras formas, dictum est, ut V, 217, *saxifici vultus* Medusæ; et VII, 360, *vulnificus sus.* — Etiam mox antiquam lectionem revocandam arbitror, *Hic pressos latices*, quam habent Regii codices. *Ed.* — *Radice*, ex herbis, ut VII, 264.—*Ambages* etiam de obscuritate sermonis, ut IV Fast. 261, *ambages sortis obscuræ*; et in Ibide, 377, *ambages oris obscuri.* — *Ter demurmurat*; vide ad VII, 251.

60. *Fœdari*, deformari, corrumpi.— Scylla succincta *latrantibus inguina monstris*, canibus marinis, etiam apud Virg. Ecl. VI, 75, et Cir. 59 sqq: item apud Nostrum VII, 64, ubi conf. not. et Hygin. d. l. Atque ita apparet in Lipperti Dactyl. I, 78, 79. Sed in Winkelm. Mon. ined. n. 37, exhibetur, qualis a Virg. Æn. III, 426, describitur: « Prima hominis facies, et pulchro » pectore virgo Pube tenus: postre- » ma immani corpore pistrix, Del- » phinum caudas utero commissa » luporum. » Nempe inde ab Homero, Od. M, 85 sqq, varie descripta est. Sensus mutatæ eosdem fere expressit Virgilius, Cir. « Piscibus et » canibus rabidis vallata repente, » Horribiles circum vidit sibi sistere » formas. Heu quoties mirata novos » expalluit artus! Ipsa suos quoties

Ora proterva canum : sed quos fugit, adtrahit una ;
Et corpus quærens femorum, crurumque, pedumque,
Cerbereos rictus pro partibus invenit illis :
Statque canum rabies, subjectaque terga ferarum
Inguinibus truncis, uteroque exstante, coercet.
Flevit amans Glaucus ; nimiumque hostiliter usæ
Viribus herbarum fugit connubia Circes.
Scylla loco mansit : quumque est data copia primum,
In Circes odium sociis spoliavit Ulixen.
Mox eadem Teucras fuerat mersura carinas,
Ni prius in scopulum, qui nunc quoque saxeus exstat,
Transformata foret : scopulum quoque navita vitat.
II. Hanc ubi Trojanæ remis, avidamque Charybdin
Evicere rates, quum jam prope litus adessent

» heu pertimuit latratus! » — *Sed quos fugit adtrahit una.* Schepperus corrigit, *sed quæ fugit adtrahit ora.* Bene autem quidquam contra codic. novandum vetat Burmannus. *Ed.*— *Corpus femorum*, femora.—Jucunde *quærens* et *invenit*.

66. *Statque canum ... coercet.* Hi duo versus mendis laborare visi sunt Heinsio, qui suasit, *Statque canum rabie*, h. e. inferiores partes in canum rabiem mutantur : sed poeta hoc fortasse voluit, stat mutata in canes rabidos ; id ut graviter exprimeret, in duritiem quamdam incidit: nihil ergo mutem. Lactantius in Arg. *tenus pube canibus est efferata.* Idem Heinsius, quum pro *coercet* unus Patavin. et Jureti excerpta *cohæret* haberent, *cohærent* scripsit ; quod mihi paulo languidius videtur. *Coercet* interpretor, complectitur.

71. *Sociis spoliavit Ulixen.* Scylla sex Ulyssis socios e nave devoravit, quamquam Circe eum admonuerat, ut sibi caveret ab hoc monstro ; Homer. Od. M, 85–100 et 245 sqq ; Virg. Cir. 57. Sed Æneas, monitus ab Heleno, fugit conspecta Scylla ; Virg. Æn. III, 684.

75-153. *Cercopes et Sybilla.* Æneas cum alia loca, tum Pithecusas prætervectus, ubi Cercopes, ex hominibus in simias mutati, tandem accedit ad Italiam, et egressus sub promontorio Miseno Sibylla duce ad inferos descendit. In itinere Sibylla naturæ suæ rationem exponit. Presso pede Virgilium sequitur, sed fabulas de Cercopibus et Sibyllæ vivacitate aliunde inseruit. — *Hanc ubi Trojanæ* etc. Redit oratio, unde XIII, 730, digressa erat. Reditum commodum vers. 72 *Teucræ carinæ* præbent. — *Avidam*, quia absorbet quæcumque appropinquant.—*Evincunt*, aut vincunt pericula, qui ea effugiunt : *evasere*, quod habet unus Sixian. MS est ex interpretatione ; etiam XV, 706, *evincere fretum* ; vide Burmannum ad Valer. Flacc. III, 482.

Ausonium, Libycas vento referuntur ad oras.
Excipit Ænean illic animoque domoque,
Non bene discidium Phrygii latura mariti,
Sidonis : inque pyra sacri sub imagine facta
Incubuit ferro, deceptaque decipit omnes.
Rursus arenosæ fugiens nova mœnia terræ,
Ad sedemque Erycis, fidumque relatus Acesten,
Sacrificat, tumulumque sui genitoris honorat:
Quasque rates Iris Junonia pæne cremarat,

77. *Libycas referuntur ad oras.* Cf. Virgil. Æn. III, 687 sqq. Litus legunt Siciliæ australe et occidentale, ad Drepanum, supra Lilybæum promontorium, faciunt escensum, ibique moritur Anchises. Vere anni sequentis classis e Sicilia solvit versus Latium; sed tempestate ab Æolo Junonis precibus excitata (Æn. I, 34 sqq), naves omnes *Libycas ad oras referuntur*, sed diversis partibus, Æneas quidem cum septem navibus eo, ubi nunc Tunitanus sinus. Egressus de colle Carthaginem subjectam prospicit (vs. 418), et quum in Junonis templo singula lustraret, eo incessit Dido *Sidonis*, quæ Æneam *animoque domoque excipit* (IX, 279, *thalamo animoque recipere*), h. e. ipsum in regia tecta ducit, comitibus pecora vinumque mittit, epulum instruit laudatissimum etc. Æneid. I, 630 sqq. Mox correpta insano Æneæ amore, ad nuptias animum intendit; Æn. IV init. Quod quum a Mercurio edoctus esset Æneas, nec precibus nec lacrymis Didonis retineri potuit, quin abitum pararet, noctuque aufugeret. Hoc est *discidium Phrygii mariti*, quod Dido *non bene* (non sine summo furore, per λιτότητα) tulit. Furens igitur dolore *pyram*, scrobem superstructa lignorum mole, facit *sub imagine sacri*, simulans sacra magica Hecatæ; sed quum sola esset, conscendit pyram, *incumbitque ferro*. Atque ita *decepta* ab Ænea *decipit omnes* (lusus non magnopere probandus), Barcen nutricem, Annam sororem et famulas, putantes vere sacra parari; Æn. IV, 504 sqq, et 632 sqq. Cæterum pro *pyra sacri sub imagine facta*, unus Leidensis habet *ficti*, quod referatur ad *sacri*.

82. *Nova mœnia*, urbem, quæ illo ipso tempore condebatur. — Ab *arenis* infamis Africa. — Italiam petens Æneas *refertur*, denuo defertur in Drepani portum. — Prope erat *sedes Erycis*, urbs Eryx, quam condiderat *Eryx*, Veneris et ipse filius. Ibi etiam *Ægestus* Tros, quem Ovidius cum Virgilio *Acesten* nominat (vid. Heyn. ad Virg. Æn. I, 195), conditor urbis Ægestæ s. Segestæ, a quo et nuper erant benigne excepti, et nunc excipiuntur : hinc apud Virg. d. l. *bonus Acestes*, h. l. *fidus*. — Ibi et *tumulum sui genitoris honorat*, genitori, quem superiore anno eodem die ibi sepeliverat, sacrum facit anniversarium; Virgil. Æn. V, 45 sqq.

85. *Iris* a Junone missa mulieribus

Solvit; et Hippotadæ regnum, terrasque calenti
Sulfure fumantes, Acheloiadumque relinquit
Sirenum scopulos : orbataque præside pinus
Inarimen, Prochytenque legit, sterilique locatas
Colle Pithecusas, habitantum nomine dictas.
Quippe Deum genitor fraudem, et perjuria quondam
Cercopum exosus, gentisque admissa dolosæ,
In deforme viros animal mutavit, ut idem
Dissimiles homini possent, similesque videri :
Membraque contraxit, naresque a fronte resimas

Trojanis, errorum maritimorum perosis, persuasit, ut classi ignem inferrent. Quatuor navibus combustis, Jupiter incendium exstinxit pluvia immissa; Æneid. V, 606. — *Hippotadæ regnum*, Æoliæ insulæ, plenæ cavernarum et *sulfuris fumantis*, quapropter et Æoli regnum et Vulcani officinam huc transtulerunt poetæ. Pro *fumantes* unus Mediceus habet *flammantes*.—Regii codices *fumantes*.—*Acheloiadum* pro *Acheloidum*, metri causa.—*Sirenum scopuli*, petræ tres non longe a Capreis, naufragiis infames. De *Sirenibus* vide supra V, 551. — *Pinus*, navis, orbata *præside*, gubernatore Palinuro, qui cum gubernaculo excussus erat in mare; Æn. V, 867.— *Prochyta* et *Pithecusæ* (hodie *Procida* et *Ischia*) insulæ promontorio Miseno objectæ. Has a figlinis doliariorum (dolium enim Græcis πίθος) nomen traxisse, auctor est Plinius, III, 6. Noster autem, ut postulabat operis sui ratio, sequitur eos, qui a simiis, πιθήκοις, insulam dictam esse malebant : hanc eamdem esse atque *Inarimen* s. Ænariam, auctoritatibus geographorum græcorum contendit Salmasius ad Solinum, pag. 97. Diversas faciunt Ovidius, Mela et alii. Fluxit autem hoc nomen ex loco vel depravato vel male intellecto Homeri, Il. B, 783, Εἰν Ἀρίμοις : quos Arimos nonnulli in hanc insulam transferebant. Strabo, V, pag. 379, addit, simios Etruscis dictos esse *arimos*; vide Heins. ad h. l. Munker. ad Lactant. Argum. et Heyn. Exc. II ad Virg. Æneid. IX.

92. *Cercopes*, Lydiæ populus, fraudulentissimus, malitiosa versutia insignis. Jovi adversus Saturnum opem promiserant; sed, accepta pecunia, eum riserunt : inde versuti impostores Κέρκωπες dicti, et κερκωπίζειν, fraudes moliri; vide Zenobium Cent. I, 5; IV, 50. Sed Græcis *cercopes* et genus simiorum caudatorum : *cercopithecos* in Æthiopia memorat et describit Plinius, Hist. Nat. VIII, 21.

93. *In deforme animal*, in simias mutavit. Sed more suo formam simiarum jucunde describit.—*Viros*, homines, ut sæpe apud Nostrum. — *Membra contraxit*. Amm. Marc. XXII, 14, de Juliano, *Videbatur, ut Cercops, homo brevis*.—*Simæ nares*, id est contractæ, simiis dantur. Etiam qui fastidiunt aliquid retortis naribus, *simare nares* dicuntur. Sed Noster maluit, ex emendatione

Contudit, et rugis peraravit anilibus ora:
Totaque velatos flaventi corpora villo
Misit in has sedes: nec non prius abstulit usum
Verborum, et natæ dira in perjuria linguæ;
Posse queri tantum rauco stridore relinquit.
  Has ubi præteriit, et Parthenopeia dextra
Mœnia deseruit, læva de parte canori
Æolidæ tumulum, et loca feta palustribus ulvis
Litora Cumarum, vivacisque antra Sibyllæ
Intrat; et, ut manes adeat per Averna paternos,

quidem Salmasii ad Solin. pag. 68, *resimus*, ἀνάσιμος, quo et Varro, Columella et alii usi sunt; vide Heinsium. Ita *contudit resimas* erit, contudit, ut essent resimæ, et *a fronte*, sub fronte. Miror tamen, in nullis MSS τὸ *resimas*, aut saltem vestigium hujus lect. restare; nam plerique exhibent, *remissas*: pauci, *revulsas*, aut *retusas*. Jam vulg. *remissas* sensum mihi fundere videtur satis bonum: Nares hominum elatiores et cum fronte coeuntes a fronte remisit et contudit. — Regii codices habent vulgatam. — Exquisite *peraravit* (ut II Art. Am. 218; Horat. Epod. VIII, 3), quia rugæ veluti sulci sunt. Hinc supra III, 276, *Sulcavit cutem rugis*. — *Posse queri*, ut *posse loqui* II, 483.

101. *Parthenopeia mœnia*. Neapolis, ab una Sirenum sic dicta; Sil. XII, 32. — *Æolidæ tumulus*, h. promontorium, quod paulo post a Miseno, Æoli filio, tubicine classis, nomen accepit; Dionys. Halic. I, 53. Æneas enim infra Cumas egressus statim antrum Sibyllæ intrat. Ibi quum responsum tulisset, ante condendum esse corpus amici insepultum, quam oracula consulat, rediens ad litus reperit Misenum, a Tritone, quocum cantu certaverat, interemtum. Tum corpus ejus comburit, reliquiasque sub proximo monte sepelit; Æn. VI, 163 sqq. In illo litore speluncæ erant, fontes calidi, loca sulfure fumantia, paludes ferrugineis aquis et ulvis obsitæ, hinc *loca feta palustribus ulvis*. (Vulgo, et in codicibus Regiis, *palustribus undis*: *ulvis* est ex primò Gronov. Norico, Bernegg. pro diversa lectione, Bersman. et tribus aliis; duo *paludibus udis*). Ibi etiam *antrum* immane, secretum horrendum Sibyllæ, cujus responsa, a Phœbo inspirata, per centum ostia antri remeabant. Æn. VI, vs. 43. — *Sibyllam* adit Æneas olim ab Heleno (Æn. III, 441-59), postea ab Anchisa patre in somnis monitus (V, 731-37), ut ea duce in campos Elysios descendat, fataque instantia cognoscat. Fundus fabulæ est hic: Æneas antequam ex Troade discederet, adierat Sibyllam Erythræam, h. vatem quamdam Erythris in Æolide; Dionys. Halic. I, 55. Jam quum Cumæ in Italia ex Cuma Æolidis colonos accepisse crederentur, in Italia autem non minus Sibyllæ alicujus priscæ memoria circumferretur, Cumana illa

Orat : at illa diu vultus tellure moratos
Erexit ; tandemque Deo furibunda recepto,
« Magna petis, dixit, vir factis maxime, cujus
» Dextera per ferrum, pietas spectata per ignes:
» Pone tamen, Trojane, metum : potiere petitis ;
» Elysiasque domos, et regna novissima mundi,
» Me duce, cognosces, simulacraque cara parentis.
» Invia virtuti nulla est via. » Dixit ; et auro
Fulgentem ramum silva Junonis Avernæ
Monstravit, jussitque suo divellere trunco.
Paruit Æneas : et formidabilis Orci
Vidit opes, atavosque suos, umbramque senilem
Magnanimi Anchisæ : didicit quoque jura locorum,
Quæque novis essent adeunda pericula bellis.
Inde ferens lassos averso tramite passus,
Cum duce Cumæa fallit sermone laborem.

et Erythræa pro eadem a nonnullis haberi cœpit ; vide Heynium ad Tibullum, II, v, 19. —*Vivacis* ; vide mox vers. 132 sqq. — De *Avernis* vide ad X, 51.

109. De *pietate* Æneæ ad XIII, 623.—*Novissima regna* V, 368.

114. *Fulgentem ramum* etc. E Virgilio, Æn. VI, 137 sqq, 204–211. *Ramo aureo* instructum Æneam voluit Sibylla, vel ut supplex ad Proserpinam accederet, vel quia Mercurius virga aurea animas deducit ad inferos, vel denique propter mali punici comestionem, de qua supra V, 535. Et quum omnia Deorum aurea essent, etiam in lucis eorum arbores et rami aurei esse fingebantur ; vide Heynii Excurs. VI ad Æneid. VI.—*Juno Averna*, Proserpina ; Virgilius, vers. 138, *Juno inferna*. — *Divellere trunco*. Multi *devellere* ; sed Burmannus prætulit *divellere*, quia ab arbore discerpitur, et dilaceratur ramus : *devellere* autem est, depilare, vellere.

116. *Formidabilis* etc. Schepperus corrigit, *formidabilis Orco Cernit avos* ; temere. *Opes*, multitudo animarum, et quidquid potentiam Orci, omnia ad se rapientis, declarat. —*Atavos*, omnino majores. — *Didicit quoque jura*. Heinsius conjicit *didicitque et jura*. — *Jura locorum* dictum e formula, qua peregrinantes cultus, habitus et jura locorum discere dicuntur ; IV, 765. — *Novis bellis*. Secundum nostri Reg. codicis B glossatorem, bella nova sunt ea, quæ cum Turno gessit Æneas propter Laviniam Latini regis filiam, quæ sibi desponsata erat, quamque Turnus auferre voluit. *Ed.*

120. *Aversus* proprie ipse Æneas rediens ; hinc etiam trames reducens ad superas auras. — *Fallit la-*

Dumque iter horrendum per opaca crepuscula carpit;
« Seu Dea tu præsens, seu Dis gratissima, dixit;
» Numinis instar eris semper mihi : meque fatebor
» Muneris esse tui, quæ me loca mortis adire,
» Quæ loca me visæ voluisti evadere mortis.
» Pro quibus aerias meritis evectus ad auras
» Templa tibi statuam, tribuam tibi turis honorem. »
Respicit hunc vates, et suspiratibus haustis,
« Nec Dea sum, dixit, nec sacri turis honore
» Humanum dignare caput : neu nescius erres,
» Lux æterna mihi, caritura que fine dabatur,
» Si mea virginitas Phœbo patuisset amanti.
» Dum tamen hanc sperat, dum præcorrumpere donis
» Me cupit; « Elige, ait, virgo Cumæa, quid optes :
» Optatis potiere tuis : » ego pulveris hausti
» Ostendens cumulum, quot haberet corpora pulvis,
» Tot mihi natales contingere vana rogavi.
» Excidit optarem juvenes quoque protinus annos :

borem eleganter quidem, ut VI, 60: sed æque eleganter multi MSS (ut noster Regius B) *mollit laborem*, idque parum abest, quin h. l. præferam; vix enim a librariis profectum videtur, quum *fallit* facile potuerit repeti ex VI, 60.

122. *Opaca crepuscula.* Politianus ex veteri codice, Mediceus et unus Basileensis habent, *opaca silentia. Opaca crepuscula*, lux maligna et similis crepusculo, quale apud inferos esse solet; sic *obscura crepuscula* de vespera in noctem inclinante V Fast. 163; inferos vero *opacum mundum* dicit V Metam. 507; Burm.

125. *Muneris esse tui.* Plurimi (ut noster Reg. A) *Munus habere tuum. Muneris esse tui*, fatebor, me debere me meaque cuncta tibi; V, 343, *Cereris sumus omnia munus.*— *Aerias auras* IX, 219.

128. *Templa tibi statuam* etc. Cf. Virgil. d. l. 71–74, ubi libris Sibyllinis honorem habendum promittit. De libris illis etiam hæc nostra verba capienda esse censet Heynius ad d. l. sed reclamat loci series. Numinis mihi instar eris, templa tibi statuam, et turis honorem tribuam.— *Nec Dea sum, nec* ture dignum humanum caput.

134. *Præcorrumpere donis*, ante corrumpere donis, quam concubitu. Dupliciter corrumpitur virgo *patens*, quæ sui facile copiam facit. *Præcorrupta* etiam IX, 296; vide ad vers. 55.

137. *Quot haberet* etc. unus Mediceus *quot haberent.* — *Excidit op-*

» Hos tamen ille mihi dabat, æternamque juventam,
» Si Venerem paterer : contemto munere Phœbi
» Innuba permaneo : sed jam felicior ætas
» Terga dedit, tremuloque gradu venit ægra senectus,
» Quæ patienda diu est ; nam jam mihi sæcula septem
» Acta vides : superest, numeros ut pulveris æquem,
» Tercentum messes, tercentum musta videre.
» Tempus erit, quum me de tanto corpore parvam
» Longa dies faciat, consumtaque membra senecta
» Ad minimum redigantur onus : nec amata videbor,
» Nec placuisse Deo : Phœbus quoque forsitan ipse
» Vel non agnoscet, vel dilexisse negabit.
» Usque adeo mutata ferar ! nullique videnda,
» Voce tamen noscar ; vocem mihi fata relinquent. »
III. Talia convexum per iter memorante Sibylla,

tarem ex altero Hamburgensi, uno Leidensi et uno suo dedit Heinsius ; cæteri, *excidit ut peterem*. — Hanc postremam lectionem habent codices Regii : et in codice A legitur interlinearis hæc glossa : excidit a mente. *Ed.*

142. *Innuba permaneo.* Eadem Sibylla apud Tibullum, II, v, 64, *Vera cano sic... Æternum sit mihi virginitas.*

143. *Ægra*, quia senectus ipsa morbus ; Terent. Phorm. IV, 1, 9, ubi vid. Lindenbr. Hausta hæc de vivacitate Sibyllæ ex ipsis libris Sibyllinis censet Heinsius, quem vide. — *Musta* pro vindemiis, et hæ, ut *messes*, pro annis.

149. *Onus*, molecula.

152. *Mutata ferar* plenius et elegantius, quam, mutabor. — *Voce tamen noscar.* Vocis nomine accipiendum non sonus tantummodo vocis, seu inanis vox ; sed fatidica vox, ut indicetur Sibyllam facultatem vaticinandi cum corporea mole non amissuram. *Ed.*

154-440. In litore *Caietano Macareum*, Græcum, reperiunt, cui *Achæmenides*, Græcus et ipse, et ab Ulysse in Ætna relictus, sed jam Æneæ comes adhærens, narrat, quantopere *Polyphemus* post Græcorum discessum sævierit, et quomodo ipse servatus sit a Trojanis 157-222. Tum, 223-440, Achæmenidi vicissim Macareus refert, quid Ulyssi et sociis, relicta Sicilia acciderit, inprimis in *Circes* ædibus. In his transformatio *sociorum in sues*, et inde rursus in homines, 273-307. Tum Macareus, Circes artem amplius comprobaturus, *Pici* mutationem subjungit, 308-440. Totus in his pendet ab Homero et Virgilio. — *Convexum*, acclive, ut XIII, 911, *convexus apex*, declivis. Lenzius contra excavatam viam in-

Sedibus Euboicam Stygiis emergit in urbem
Troius Æneas; sacrisque ex more litatis,
Litora adit nondum nutricis habentia nomen.
Hic quoque substiterat post tædia longa laborum
Neritius Macareus, comes experientis Ulixei.
Desertum quondam mediis qui rupibus Ætnæ
Noscit Achæmeniden, improvisoque repertum
Vivere miratus; « Qui te casusve, Deusve
» Servat, Achæmenide? cur, inquit, barbara Graium
» Prora vehit? petitur vestræ quæ terra carinæ? »
Talia quærenti jam non hirsutus amictu,
Jam suus, et spinis conserto tegmine nullis,

terpretatur. At etiam IV, 432, ubi descensus ad inferos describitur, *est via declivis*, et X, 53, Orpheus cum conjuge inde rediens, *carpit acclivum tramitem.* — *Euboica urbs*, Cumæ, originem trahentes a Chalcide Euboica; Liv. VIII, 22: etiam Virg. VI, 2, *Euboicis Cumarum adlabitur oris.* — *Emergit* accommodatius inferis, quam, *exit.* — *Sacris litatis* ex Virg. Æn. IV, 50, qui hoc novavit, unde Servius: « *Diis litatis* » dicere debuit; non enim sacra, sed » Deo sacris litamus, id est placamus. » — *Nutricis habentia nomen.* Caietam intelligit, urbem et promontorium in finibus Latii et Campaniæ, quibus nomen dedit Caieta Æneæ nutrix; Virg. VII, init.

158. *Hic quoque substiterat* etc. In Sicilia desertus erat unus ex sociis Ulyssis, Achæmenides; Virg. Æn. III, 590 sqq; sed *hic quoque* alius substiterat: cujus rei causa vs. 440 narratur. Et hoc finxit haud dubie Ovidius ipse ad exemplum Virgilii. Nec male. Ita enim cognoscimus reliqua de Polyphemo, et de erroribus Ulyssis. — *Subsistunt*, qui cessant ab itinere et hærent aliquo. — *Neritius* forte a *Nerito*, patre, Ithacæ conditore et genus a Jove ducente, a quo et Nerito, Ithacæ monti, nomen inditum; Homer. Od. P, 207, ibique Schol. ex Acusilao. — *Experiens*, expertus multa, multa subiens. — *Mediis rupibus*, in antro Polyphemi socii trepidi eum deseruerant; Virg. 616 sqq. — Pro *mediis qui rupibus* vulgo *in rupibus*, et mox, *Quis te.* Vide Burmannum ad Phædrum, I, fab. XIII, 6, ubi existimat, veteres certos fuisse elegantiæ suæ, et ubi *qui*, ubi *quis* præstaret, usu fuisse doctos, licet nos sæpe in his fluctuemus. — *Barbara*, Phrygia (XI, 162), Trojana. Et mirum erat, in ea classe esse *Graium.* Itaque ipse Achæmenides hoc vs. 220 repetit.

166. *Suus*, qui jam ad pristinum cultum redierat, ut agnosci posset. — *Spinis consertum*, consutum, *tegmen*, ne panni dilaberentur. Hæc quoque Virgilii verba, vs. 593, de hoc Achæmenide: *Dira illuvies, immissaque barba, Consertum tegumen spinis: at cætera Graius.*

Fatur Achæmenides : « Iterum Polyphemon, et illos
Adspiciam fluidos humano sanguine rictus ;
Hac mihi si potior domus est Ithaceque carina :
Si minus Ænean veneror genitore, nec unquam
Esse satis potero, præstem licet omnia, gratus.
Quod loquor, et spiro, cælumque, et lumina solis
Adspicio (possimne ingratus, et immemor esse ?)
Ille dedit : quod non anima hæc Cyclopis in ora
Venit ; et ut lumen jam nunc vitale relinquam,
Aut tumulo, aut certe non illa condar in alvo.
Quid mihi tunc animi (nisi si timor abstulit omnem
Sensum animumque,) fuit, quum vos petere alta relictus
Æquora prospexi ? volui inclamare ; sed hosti
Prodere me timui : vestræ quoque clamor Ulixis

167. *Fatur Achæmenides*. Sequitur oratio animi commotissimi, nec sine horrore reminiscentis gravissimi periculi, ex quo inexspectato servatus est. Etiam gravis illa obtestatio, *iterum Polyphemon* etc. perquam accommodata Achæmenidis sorti.—*Fluidos sanguine*, unde fluebat sanguis ; etiam Virg. 626, *atro membra fluentia tabo*.—*Hac mihi* etc. versum sic recte Heinsius e Nauger. et Gronov. restituit, quum antea legeretur, *Hæc mihi ni potior* etc. idem Heinsius suadet etiam *Ithacea*. — Regius codex habet priscam scripturam ; codex B autem recentiorem, et bona est ; altera enim cum versu sequenti male convenit. *Ed.*

172. *Lumina solis* ego in contextu audacter restitui ductu codicis Regii A, pro *sidera solis*, quod reperi in codice B, quodque male receperant Burmannus et Gierigius ex emendatione Heinsii : *sidus* quidem pro sole IX, 286, dicitur, sed nusquam Heinsius legit *sidera solis*, nisi in nonnullis codicibus, in quos irrepere ea lectio potuit, ex altera non improbanda codicis Bononiens. *solemque, et sidera cæli*. Ed. — Pro *Adspicio*, Burmannus mallet *Suspicio*, si libri addicerent ; Heinsius e Florentino, Neapol. Bernegger. et aliis, *respicio* dedit. — Regii codices, *adspicio* ; *suspicio* non placet, propter literæ *s* nimiam repetitionem. *Ed.* — *Anima* pro corpore aut homine interdum ponitur.

175. *Et ut lumen* etc. et quod, etiamsi nunc vitam relinquam, tamen tumulo aliquo condar, aut certe etc. — *Condar* ; VI, 665. Heinsius malebat *illam condar in alvum*, quia alibi Noster sic loquitur, ut vers. 209 ; Burmannus vero exemplis docet utrumque recte dici.

177. *Quid animi* bona et sollemnis Nostro locutio, de qua vide Heinsium ad I, 358. Idem amat *nisi si*, quem vide ad Heroid. IV, 111.

180. *Clamor*, quo, conscensa jam nave, irridebat Polyphemum ; Ho-

Pæne rati nocuit : vidi, quum monte revulso
Immanem scopulum medias permisit in undas.
Vidi iterum, veluti tormenti viribus acta,
Vasta giganteo jaculantem saxa lacerto.
Et, ne deprimeret fluctusve lapisve carinam,
Pertimui, jam me non esse oblitus in illa.
Ut vero fuga vos ab acerba morte removit,
Ille quidem totam fremebundus obambulat Ætnam,
Prætentatque manu silvas, et luminis orbus
Rupibus incursat, fœdataque brachia tabo
In mare protendens gentem exsecratur Achivam,
Atque ait : « O si quis referat mihi casus Ulixen,

merus, Od. I, 475. — *Quum monte revulso.* Vulgo *quum monte revulsum,* aut *a monte;* sed Heinsius e Florentino, Neapol. et secundo Strozzæ, dedit *revulso*, probante Burmanno. — Codex Regius A *a monte revulsum;* codex B, *monte revulsum.* Hoc loco poeta alludit ad id, quod, apud Homerum fingitur ; ubi Ulysses navi aufugiens, Polyphemum clamando et indicando quinam ipse esset, nam se Neminem antea nominaverat, in se irritat; quare jactu ingentis saxi pæne et ipse et tota navis ab eodem Polyphemo obtrita. Versus Homeri sunt, Od. I, 481 : Ἧκεν ἀποῤῥήξας κορυφὴν ὄρεος μεγάλοιο, Κὰδ δ' ἔβαλε προπάροιθε νεὼς κυανοπρῴροιο, Τυτθὸν ἐδεύησεν δ' οἰήϊον ἄκρον ἱκέσθαι. Ἐκλύσθη δὲ θάλασσα κατερχομένης ὑπὸ πέτρης. Ed. — *Vidi iterum* etc. Homer. vers. 537 : Ἐξαῦτις πολὺ μείζονα λᾶαν ἀείρας, Ἧκ' ἐπιδινήσας etc. *veluti tormenti* etc. ἐπέρεισε δὲ ἶν' ἀπέλεθρον. — *Lapis* parum abfuit, quin clavum extremum attingeret, et *fluctus* ἐκλύσθη ὑπὸ πέτρης.

187. *Acerba mors*, quia in mari perire acerbum admodum et detestabile habebatur, monente Burmanno. Hoc loco tamen potius intellig. mors, quam multis simul infert hostis sævus. Heinsius putabat *ab certa morte.* — Pro *removit*, vulgo *reduxit;* pauci *redemit*, *revellit* aut *revulsit.* — Regius codex A *removit;* codex B *reduxit*, et pro varia lectione, *removit.* — *Ille quidem totam* etc. Præclare furentem ob oculum defossum, XIII, 773, Polyphemum describit. — *Fremebundus* ex Sprotiano recepit Heinsius pro vulgato *gemebundus* (quod habent Regii codices); alter Hamburg. et Francof. *tremebundus.* —Multi dant *tota Ætna*, quod ex II, 851, defendi posse Burmannus monet. — Præclare, *prætentat manu silvas*, extensa manu explorat, an obstent arbores ; in Ibide, 259, *Trepidumque ministro Prætentes baculo, luminis orbus, iter;* etiam Tibull. II, I, 77, sic *prætentare iter* dixit ; supra X, 455, *mota cæcum iter explorat.* Vulgo autem legitur *pertentatque manu silvas.* — Regii codices dant *prætemptat;* de qua scribendi forma vide nos ad X, 371. *Ed.*—*Fœdare*

» Aut aliquem e sociis, in quem mea sæviat ira;
» Viscera cujus edam; cujus viventia dextra
» Membra mea laniem, cujus mihi sanguis inundet
» Guttur, et elisi trepident sub dentibus artus;
» Quam nullum, aut leve sit damnum mihi lucis ademtæ! »
Hæc, et plura ferox : me luridus occupat horror,
Spectantem vultus etiamnum cæde madentes,
Crudelesque manus, et inanem luminis orbem,
Membraque, et humano concretam sanguine barbam.
Mors erat ante oculos; minimum tamen illa malorum :
Et jam prensurum, jamjam mea viscera rebar
In sua mersurum; mentique hærebat imago
Temporis illius, quo vidi bina meorum
Ter quater adfligi sociorum corpora terræ;

sollemne de profluente *tabo*, sanguine. Lenzius intelligit sanguinem cæsorum Ulyssis sociorum. Potius ex oculo effosso. Ipse vectis oleaginus, quo terebraverat Ulysses oculum, πεφυρμένος αἵματι πολλῷ, Homer. vers. 397.

194. *Viscera cujus edam.* Hoc per partes cogitare jucundum est animo ira furenti. Itaque immoratur imagini huic fœdæ, *cujus viventia ... artus.* — Pro *trepident*, Basileensis *crepitent*, quod non displicet Burmanno; sed *trepident* e Virgilio, vers. 627 : *vidi atro quum membra fluentia tabo Manderet, et tepidi tremerent sub dentibus artus.* Pro *tepidi* Noster melius *elisi*, quod convenit huic mortis generi.

198. *Luridus horror.* Plurimi *error*, quod Burmannus de caligine capit, quæ oculis offunditur. De voc. *luridus* vide ad XIII, 851. — *Membraque.* Vocab. generis sæpe ponitur inter vocabb. partium. Non igitur erat, cur Schepperus corrigeret, *Mentaque.* — *Concreta sanguine barba* etiam XII, 279.

202. *Minimum tamen illa malorum* ; vulgo *illa doloris* ; Basileensis *laborum* ; Urbinas *ante malorum*, ut apud Virgil. Æneid. I, 198. — Codex Regius A *illa malorum* ; codex B *ipsa doloris. Minimum tamen illa malorum* ; quia timore sensus atque animus illius ita impediti erant, ut morte minimum moveretur, dum cætera quæ viderat, quamquam metuebat, sibi ipse ante oculos poneret; quin et mortem optaret potius, quam cætera illa sustineret. *Ed.* — *Jamjam mea viscera* etc. vide ad VI, 651 et 664. — *Imago*, ut XI, 427. — *Bina corpora sociorum* melius, quam binos socios. Multi (et Regius noster A) *viva corpora*, quod placebat Mariang. Accurs. — Quoniam apud Homerum ter vorat binos, propterea etiam hoc loco quidam distinguunt post *ter*. Melius *Terquater* conjunguntur, nec definitur, quoties cœnam sibi paraverit e so-

Quæ super ipse jacens, hirsuti more leonis,
Visceraque, et carnes, cumque albis ossa medullis,
Semanimesque artus avidam condebat in alvum.
Me tremor invasit: stabam sine sanguine mœstus;
Mandentemque videns, ejectantemque cruentas
Ore dapes, et frusta mero glomerata vomentem,
Talia fingebam misero mihi fata parari:
Perque dies multos latitans, omnemque tremiscens
Ad strepitum, mortemque timens, cupidusque moriri,
Glande famem pellens, et mixta frondibus herba,
Solus, inops, exspes, leto pœnæque relictus,
Haud procul adspexi longo post tempore navim,
Oravique fugam gestu, ad litusque cucurri:
Et movi; Graiumque ratis Trojana recepit.
Tu quoque pande tuos, comitum gratissime, casus,
Et ducis, et turbæ, quæ tecum credita ponto est. »

ciis. Expressit autem Hom. vs. 289 sqq: Σὺν δὲ δύο μάρψας, ὥστε σκύλακας, ποτὶ γαίῃ Κόπτ'. Ἤσθιε δ', ὥστε λέων ὀρεσίτροφος, οὐδ' ἀπέλειπεν Ἔγκατά τε, σάρκας τε, καὶ ὀστέα μυελόεντα. Cf. Virg. vers. 623, ubi resupinus in antro, corpora illa *frangit ad saxum.*—*Jacere* et *stare* super corpora dejecta dicuntur feræ, idque hoc loco minus bene translatum ad Polyphemum. Nec apparet, cur *albitudo* potissimum medullarum hic commemorata sit. Heinsius e MSS nonnullis præferebat vel *esis* vel *oblisisque medullis*. Burmannus mallet vel e conject. *contusisque ossa medullis*, ut sit quasi hypallage, pro contusis ossibus, medullas condebat in alvum; vel ex octo MSS *cumque ipsis*, ut voracitas Cyclopis et immanitas indicetur.

211. *Ejectantemque cruentas* etc. Ex Homer. vs. 373: φάρυγος δ' ἐξέσσυτο οἶνος, Ψωμοί τ' ἀνδρόμεοι· ὁ δ' ἐρεύγετο οἰνοβαρείων. Virgil. vers. 632, *saniem eructans ac frusta cruento Per somnum commixta mero.* Pro *ejectantem* Heinsius suadebat, *eructantem.* Sed expressit haud dubie Euripid. Cyclop. vers. 588, ἐξ ἀναιδοῦς φάρυγγος ὠθήσει κρέα.—*Glomerata*, commixta; Æneid. IX, 349, *cum sanguine mixta vina refert.* — *Mero* illo eum Ulysses inebriaverat.

214. *Perque dies multos* etc. Totus hic locus e Virg. Æn. III, 645-652, expressus.—*Mortemque timens.* Unus Basileensis *mortisque timens*; vide Heinsium ad I, 322.—*Exspes*; omni spe destitutus.—*Haud procul.* Alii *Hanc procul.* — *Fuga*, fugiendi facultas, ut recte Burm. — *Movi*, animum Æneæ. — *Graium* etc. confer, vers. 163, *cur barbara Graium Prora vehit.* — *Et turbæ*; unus Mediceus *et turmæ.*

Æolon ille refert Tusco regnare profundo;
Æolon Hippotaden, cohibentem carcere ventos;
Quos bovis inclusos tergo, memorabile munus,
Dulichium sumsisse ducem; flatuque secundo
Lucibus isse novem, et terram adspexisse petitam:
Proxima post nonam quum sese Aurora moveret,
Invidia socios prædæque cupidine ductos,
Esse ratos aurum, demsisse ligamina ventis;
Cum quibus isse retro, per quas modo venerat undas,
Æoliique ratem portus repetisse tyranni.
« Inde Lami veterem Læstrygonis, inquit, in urbem
Venimus. Antiphates terra regnabat in illa;
Missus ad hunc ego sum, numero comitante duorum:
Vixque fuga quæsita salus comitique, mihique;
Tertius e nobis Læstrygonis impia tinxit
Ora cruore suo: fugientibus instat, et agmen
Concitat Antiphates; coeunt, et saxa trabesque
Continuant, merguntque viros, merguntque carinas.

223. *Æolon ille refert* etc. Sequuntur fata Ulyssis ex Homero, Od. K, fideliter expressa. *Æolus* regnabat in una ex insulis Æoliis, quæ sitæ erant in mari Tusco. Is, secundum Homerum, utribus inclusos cohibet ventos, itaque etiam Ulyssi eos dedit *bovis inclusos tergo*; Homerus, vers. 19, δείρας ἀσκὸν βοὸς ἐννεώροιο. — De *Hippotade* et *carcere* ventorum confer IV, 662. — *Petitam*, nempe patriam; Homerus, vs. 29: et h. l. tres MSS, pr. Bas. et duo Gronov. habent, *paternam*.

229. *Invidia*, invidentes Ulyssi, quem solum res pretiosas secum in patriam ducere putarent; Homerus, vers. 40 sqq. — Pro *cupidine ductos*, alii *victos*, aut *captos*. Codex Regius A *captos*; codex B *captos*, et pro varia lectione *victos*.

233. *Inde Lami* etc. Homerus, vers. 81, ἱκόμεσθα Λάμου αἰπὺ πτολίεθρον. — *Lamus* antiquissimus Læstrygonum rex fuit: qui populi erant feritate famosi in ultimo Italiæ angulo habitantes. Ad eos quum venit Ulysses, Antiphates regnabat, a quo nonnullis et navibus et sociis fuit spoliatus. *Ed.* — *Læstrygones* Formias Campaniæ inhabitabant; Plin. III, 5; Cic. ad Attic. II, 13; erantque gigantes et ἀνθρωποφάγοι; Homerus, vers. 120. *Incultos*, id est, inhumanos, eos vocat Tibullus, lib. IV, 1, 59.

238. *Agmen concitat.* Homerus, vers. 118, ὁ τεῦχε βοὴν διὰ ἄστεος etc. — *Continuant*, sine intermissione jactant, ut Horat. II, Sat. VI, *con-*

Una tamen, quæ nos ipsumque vehebat Ulixen,
Effugit : amissa sociorum parte, dolentes,
Multaque conquesti terris adlabimur illis,
Quas procul hinc cernis : procul hinc tibi, cerne, videnda est
Insula, visa mihi : tuque, o justissime Troum,
Nate Dea (neque enim finito Marte vocandus
Hostis es, Ænea), moneo, fuge litora Circes.
Nos quoque Circæo religata in litore pinu
Antiphatæ memores, immansuetique Cyclopis,
Ire negabamus, et tecta ignota subire.
Sorte sumus lecti : sors me fidumque Politen
Eurylochumque simul, nimiique Elpenora vini,
Bisque novem socios Circæa ad mœnia misit.
Quæ simul adtigimus, stetimusque in limine tecti,

tinnare dapes ; vid. Heinsius qui hoc ex duobus MSS, altero Hamb. et pro diversa lectione pr. Erfurt. recepit pro *Conjiciunt*, quod in omnibus aliis (et in Regiis) legitur.

244. *Procul hinc tibi* etc. Hæc verba recte emendavit Heinsius; vulgo (et in codice Regio B) *procul hinc mihi crede videnda* ; quidam *tibi credo* ; Neapol. (et codex Regius A) *tibi crede videndam*. — De Circes insula vide supra ad vers. 10 ; conf. Homerus inde a versu 135. Commotus periculo ibi superato, commoda conversione Æneam adstantem adloquitur, quæ simul facit, ut hunc ante oculos teneat lector. Neque huc adpulerunt Trojani, sed prætervecti sunt illa litora ; Virgil. VII, 21-23.

249. *Antiphatæ memores* etc. Homerus, vers. 199 : Μνησαμένοις ἔργων Λαιστρυγόνος Ἀντιφάταο, Κύκλωπός τε βίης μεγαλήτορος ἀνδροφάγοιο. — In *immansuetus* frustra hæserunt intt. quasi leviore nimis voc. pro Polyphemi crudelitate ; sævis enim bestiis, ut XV, 85, tigribus, tribuitur *immansuetum ingenium*. — *Ire negabamus, et tecta* etc. Codices Regii nostri, et Florentinus S. Marci, habent *sed tecta* ; certe ut tollatur vitium metri, sed vide quæ ad IX, 405, diximus ; et præter exempla quæ ad locum dictum ex Nostro adtulimus, Virgil. ait, Æn. IX, 609, *versaque juvencum Terga fatigamus hasta*. Ed.

251. *Sors me fidumque* etc. Homerus viginti tres missos narrat, e quibus non nisi *Eurylochum* ducem, et vs. 225, *Politen* nominat ; sed lib. K, 552, et Λ, 60 sqq, *Elpenor* inebriatus de Circes tecto decidisse, fractaque cervice mortuus esse refertur. Hinc *nimii vini*, quod Heinsius et Burmannus illustrant ex Horatio, I, Od. XXXVI, 13, *multi Damalis meri* ; II, Od. 12, *nimium mero Hylæum* ; Suetonio, Aug. 76, *Cibi minimi erat* ; et Columella, VI, 2, *Multi cibi et edaces*.

Mille lupi, mixtæque lupis ursæque, leæque
Occursu fecere metum : sed nulla timenda,
Nullaque erat nostro factura in corpore vulnus.
Quin etiam blandas movere per aera caudas,
Nostraque adulantes comitant vestigia; donec
Excipiunt famulæ, perque atria marmore tecta
Ad dominam ducunt: pulchro sedet illa recessu,
Sublimis solio, pallamque induta nitentem,
Insuper aurato circumvelatur amictu :
Nereides Nymphæque simul, quæ vellera motis
Nulla trahunt digitis, nec fila sequentia ducunt,
Gramina disponunt, sparsosque sine ordine flores
Secernunt calathis, variasque coloribus herbas.

255. *Mille lupi* etc. Homerum in his Noster sequi maluit, quam Virgilium : apud illum humanam mansuetudinem feræ induerant Circes herbis, apud hunc ex hominibus factæ erant feræ; Homer. vs. 212, Ἀμφὶ δέ μιν λύκοι ἦσαν ὀρέστεροι, ἠδὲ λέοντες... Οὐδ' οἵ γ' ὡρμήθησαν ἐπ' ἄνδρας, ἀλλ' ἄρα τοίγε Οὐρῇσιν μακρῇσι περισσαίνοντες ἀνέσταν. — *Blandas*, blande. — *Comitant vestigia*, per archaismum; *comito* enim non ita in usu frequentiore est, ut *comitor:* hoc tamen verbum formam activam alibi usurpavit; confer supra VIII, 692; XIII, 55, et alibi: Propertius etiam, II, VI, 15, *Quod si vera meæ comitarent castra puellæ, Non mihi sat magnus Castoris iret equus.* Ed. — De *famulis excipientibus* nihil Homerus.

261. *Pulchro sedet illa recessu* etc. Domus Circes in convalle e lapidibus politis exstructa, foribus splendidis ornata, supellectile pretiosissima instructa; Homerus, K, 211, 311, 348; hinc *superba tecta* apud Virgilium, VII, 12. De *recessu* dictum ad I, 177. — *Sublimis solio.* Vulgo (et in Reg. nostris codicibus) *sublimi solio;* hinc Heinsius *solenni in solio;* quemadmodum *solennes aræ* etc. Sed Burmanno non placet *solenne* illud *solium;* recepit ergo e quinque MSS *sublimis*, ne tot ablativi cumulentur. De *solio* illo vide Homerum, vs. 311. — *Nitens*, candida, ἀργύφεον φᾶρος Homer. 543: cincta erat zona aurea et in capite gerebat flammeum, καλύπτρην. Pro his Noster eam *circumvelat amictu*, ut Hymenæum X, 1: *amictus* enim neque de zona, neque de calyptra intellig. quamquam ita Lenzius.

264. *Nereides Nymphæque.* Apud Homerum, 221, 254, cantantem Circen reperiunt et telam texentem; sic et apud Virgilium. Idem Homerus, 347, illi dat ministras quatuor, Fontium, Fluminum et Silvarum filias. Negotia earum Ovidius sic finxit, quia Circe venefica. — *Trahunt... ducunt.* Heinsius malit *trahant, ducant.* — *Secernunt*, secretos

Ipsa, quod hæ faciunt, opus exigit: ipsa quis usus
Quoque sit in folio, quæ sit concordia mixtis,
Novit, et advertens pensas examinat herbas.
Hæc ubi nos vidit, dicta acceptaque salute,
Diffudit vultus, et reddidit omnia votis.
Nec mora; misceri tosti jubet hordea grani,
Mellaque, vimque meri, et cum lacte coagula passo;
Quique sub hac lateant furtim dulcedine, succos
Adjicit: accipimus sacra data pocula dextra.
Quæ simul arenti sitientes hausimus ore,
Et tetigit summos virga Dea dira capillos;
(Et pudet et referam) setis horrescere cœpi,
Nec jam posse loqui; pro verbis edere raucum
Murmur, et in terram toto procumbere vultu:

reponunt in calathis. — *Variasque coloribus herbas.* Vulgo *variisque;* Schepperus conjicit *variantque.* Codices Regii habent *variisque.*

268. *Ipsa quod hæ faciunt.* Thuaneus et alter Twisdenii *faciant.* — *Opus exigit*, qui curam operis habet, idque et jubet et examinat; Schwarzius ad Plin. paneg. XIX, 3. —*Pensas*, ponderatas; neque enim pharmaca, nisi ponderentur, recte componi possunt. *Ed.*

272. *Diffudit;* vide ad III, 318; *reddidit omnia votis*, nobis bona voventibus æque bonis votis respondit.

273. *Misceri tosti jubet* etc. Hom. vs. 234: Ἐν δέ σφιν τυρόν τε καὶ ἄλφιτα καὶ μέλι χλωρὸν Οἴνῳ Πραμνείῳ ἐκύκα. Valde gratum Græcis antiquis hoc potionis genus, confectum e farina, caseo, melle, vino; confer Il. Λ, 638; et vide Riccii dissert. Homer. tom. I, pag. 181. Dicitur Κυκεὼν et *cinnus;* vide et Foesium in Œcon. Hipp. h. v. — *Tosti hordea grani*, farinam hordeaceam: *hordea grani* pro grana hordei aut hordeacea. *Torreri* autem solebant olim grana, ut facilius mola frangerentur. — *Vis meri*, merum. — *Coagula;* XIII, 830. —*Latere*, non percipi gustu. — *Succos adjicit;* Homerus, ἀνέμισγε δὲ σίτῳ Φάρμακα λυγρά. — Pro *accipimus* Heinsius malit *arripimus*, quod aviditatem sitientium magis exprimit.

277. *Arens*, siccus ex siti. Sic *aridus viator* apud Virgil. Georg. IV, 97. — *Virga* hæc vim magicam habuit. —*Setis* etc. Mutamur in sues, quos Noster more suo describit, quum Homerus id breviter et simpliciter expresserit: suum habebant capita, vocem, corpus et setas. —*Horrescere* de pilosa hirsutie: *horrescere setis*, *pilis*, *hirto dorso* solemne de suibus; vide Drakenb. ad Sil. I, 422. Satis hic apparet, quid hoc mytho docere voluerint antiqui poetæ, vim nempe voluptatum esse tantam, ut belluinos mores induant hominibus; Horat. Epist. I,

Osque meum sensi pando occallescere rostro;
Colla tumere toris : et qua modo pocula parte
Sumta mihi fuerant, illa vestigia feci :
Cumque eadem passis, tantum medicamina possunt!
Claudor hara : solumque suis caruisse figura
Vidimus Eurylochum; solus data pocula fugit.
Quæ nisi vitasset, pecoris pars una manerem
Nunc quoque setigeri : nec tantæ cladis ab illo
Certior ad Circen ultor venisset Ulixes.
Pacifer huic dederat florem Cyllenius album;
Moly vocant Superi; nigra radice tenetur.
Tutus eo, monitisque simul cælestibus intrat

XI, 23 : « Circes pocula nosti : Quæ » si cum sociis stultus cupidusque » bibisset, Sub domina meretrice » fuisset turpis et excors; Vixisset » canis immundus, vel amica luto » sus. » — *Occallescere*. Nonnulli dant *callescere*, vel *coalescere*; *calliscere* Nonius ex Catone notavit; *callere* Sulpicius Cic. IV ad div. 5; Severus in Ætna, *callent rure manus*. Hæc Heinsius. — Regii ambo codices *occallescere*. — *Vestigia feci*. Heins. malit *vestigia figi*, vel *ferri*, ut a superioribus hæc dependeant; improbat Burmannus, et quidem *vestigia facere* pro incedere, dixerunt etiam Cicero et Quintilian. *Qua parte*, sc. manibus, quibus pocula arripueram, mutatis in pedes, incedere cœpi.

286. *Claudor hara*; vulgo *Claudor in antra*; *suis solum* etc. — Regius codex A quidem habet hanc vulgatam lectionem, sed bene ex multis Heinsius voluit scribi *hara*, quod legitur in Regio B; *antra* enim ex glossa; *hara* autem propria sunt *suibus*: unde Heroid. I, 104, *immundæ cura fidelis haræ*. Ed. — *Eurylochus*, qui ante fores manserat, ad navem cucurrit, atque Ulyssi, quid factum sit exposuit; Homer. 244. — *Pocula fugit*; Heinsius conjicit *pocula vitat*, quia sequitur *vitasset*. — *Manerem* pro *maneret* e conjectura Gruteri recepit Burmannus.

291. *Pacifer huic dederat* etc. Venienti Ulyssi occurrit Mercurius, χρυσόῤῥαπις, atque tam medicamentum, φάρμακον, ei præbet, quam consilis eum instruit; Homer. 277 sqq. — *Florem album*. Idem 304, ῥίζῃ μὲν μέλαν ἔσκε, γάλακτι δὲ εἴκελον ἄνθος. Μῶλυ δέ μιν καλέουσι θεοί. Plinius, XXV, 4 : « Laudatissima herbarum » est Homero teste, quam vocari a » Diis putat Moly, et inventionem » ejus Mercurio assignat, contraque » summa veneficia demonstrat. Nasci eam hodie circa Pheneum, et in » Cyllene Arcadiæ tradunt, specie » illa Homerica, radice rotunda nigraque, magnitudine cæpæ, folio » scillæ; effodi autem difficulter. » Putant, *Nymphæam albam* intelligi, cui Plinius, lib. XXV, 37 s. 26, vim refrigeratricem tribuit. — *Vocant Superi*; vide ad XI, 640. — *Radice*

Ille domum Circes : et ad insidiosa vocatus
Pocula, conantem virga mulcere capillos
Reppulit; et stricto pavidam deterruit ense.
Inde fides, dextræque datæ : thalamoque receptus
Conjugii dotem, sociorum corpora, poscit.
Spargimur innocuæ succis melioribus herbæ,
Percutimurque caput conversæ verbere virgæ ;
Verbaque dicuntur dictis contraria verbis.
Quo magis illa canit, magis hoc tellure levati
Erigimur; setæque cadunt; bifidosque relinquit
Rima pedes; redeunt humeri; subjecta lacertis
Brachia sunt : flentem flentes amplectimur illum,
Hæremusque ducis collo : nec verba locuti
Ulla priora sumus, quam nos testantia gratos.
  Annua nos illic tenuit mora : multaque præsens
Tempore tam longo vidi, multa auribus hausi.
Hoc quoque cum multis, quod clam mihi rettulit una
Quatuor e famulis, ad talia sacra paratis.

tenetur, radice conjunctus est cum terra, radicem habet.—Bene *insidiosa*. — *Conantem mulcere*; immo percussit revera secundum Homerum, vers. 319 : Ῥάβδῳ κεκληγυῖα.—*Stricto ense*, ξίφος ἐρυσσάμενος, a Mercurio admonitus, in eam irruit; vers. 294.

298. *Conjugii dotem*, concubitus pretium. Cupiebat illa εὐνηθῆναι. Sic *connubium* supra, et sæpe *conjux* pro amante.—*Sociorum corpora* pro, socios. — *Spargimur* etc. προσάλειφεν ἑκάστῳ φάρμακον ἄλλο: quo facto *setæ cadunt*, τρίχες ἔῤῥεον 392.—*Pro ignotæ*, vulgo *innocuæ*. Codices Regii ambo *ignotæ*.

300. *Verbere virgæ*, virga.—*Levati erigimur* e copia poetica dictum; nam et *levari* est erigi. — *Brachia sunt : flentem*. Heinsius putat : *Brachia : tum flentem*.— *Flentem* etc. ἔφυν τ' ἐν χερσὶν ἕκαστος. Πᾶσιν δ' ἱμερόεις ὑπέδυ γόος.

308–440. *Picus*, Ausoniæ rex, Circes veneficio mutatur in picum avem; confer Virgil. VII, 189 sq. Comites transformantur in feras, et uxor resoluta in auras evanescit. « Picus vel picumnus priscis Italis » inter sacras fuit aves, inprimisque » auguriis probatus, idem Marti sa- » cer; vide Servium ad Æn. VII, » 190. Nisi itaque nominis inter- » pretatio fabulam istam mutatæ » formæ peperit; nata illa esse po- » tuit ex antiquo signo juvenis cum » pico in capite. Tale signum me- » morat Ovidius in Circes ædibus » XIV, 313 sq, ut augurandi peri-

Cum duce namque meo Circe dum sola moratur,
Illa mihi niveo factum de marmore signum
Ostendit juvenile, gerens in vertice picum,
Æde sacra positum, multisque insigne coronis.
Quis foret, et quare sacra coleretur in æde,
Cur hanc ferret avem, quærenti, et scire volenti,
« Accipe, ait, Macareu; dominæque potentia quæ sit
» Hinc quoque disce meæ : tu dictis adjice mentem : »
  Picus in Ausoniis, proles Saturnia, terris
Rex fuit, utilium bello studiosus equorum.
Forma viro, quam cernis, erat : licet ipse decorem
Adspicias, fictaque probes ab imagine veram.
Par animus formæ : nec adhuc spectasse per annos
Quinquennem poterat Graia quater Elide pugnam.

» tia in Pico expressa fuisse videa-
» tur. Quo ipso declaratur id, quod
» apud Virgil. lituum manu tenet
» ejus signum in Latini regia posi-
» tum, vs. 187. Servius quoque ad
» e. l. ex pontificialibus libris pro-
» bare vult, Picum augurio clarum
» fuisse ; » Heynius, Exc. V ad Æn.
VII. Quod Virgilius breviter adtigit, id Noster more suo latius persecutus est.

314. *Juvenile*. Constantius Fan. præfert ex uno suo *juvenale*, quia *juvenalis* potius quam *juvenilis* ab antiquis dictum sit. Multi veteres dant *Ostendens*. Heinsius putat huic versui præponendum esse illum qui sequitur, *Æde sacra positum* etc.

320. *Ausones*, antiquissima gens, late olim per totam fere Italiam diffusa. H. l. intelligenda pars Italiæ ea, quæ postea dicta est Latium, cujus vetustissimus rex *Saturnus*, ultra quem Italicæ origines et fabulæ non procedunt. Hujus filius *Picus ;* Virgil. Æneid. VII, 48, 49.

— *Studiosus equorum*. Apud Virgil. vers. 189, *Picus, equum domitor*. Et reges prisci Italiæ plurimos alebant equos.

322. *Decorem adspicias*. Plurimi *colorem*. Codices Regii *decorem*. — *Ficta*, ad imitationem expressa. — *Probes*, dijudices. — *Ab imagine*. Quinque *sub imagine*. Præterea Vivianus, *formamque probes ab imagine veram*, quod nec Heinsio displicebat. — *Nec adhuc* etc. Nondum per ætatem poterat quater ludos Olympios spectasse, nondum annum ætatis vigesimum adtigerat, aut omnino, admodum juvenis erat. Loquitur Græcus, cui nihil memorabilius illis ludis. Spatium interjectum sæpe πενταετηρὶς, hinc *quinquennem*. — *Quater Elide pugnam*. Hunc versum pessime in MSS habitum ita constituit Heins. pro *Elide* omnes *edere :* hinc magna lectionum varietas. Post hunc versum, in uno Leidensi erat alter additus : *Gratus erat cunctis et munere dignus amoris*.

Ille suos Dryadas Latiis in montibus ortas
Verterat in vultus : illum fontana petebant
Numina, Naiades, quas Albula, quasque Numici,
Quasque Anienis aquæ, cursuque brevissimus Almo,
Narque tulit præceps, et amœnæ Farfarus umbræ,
Quæque colunt Scythicæ regnum nemorale Dianæ,
Finitimosque lacus : spretis tamen omnibus unam
Ille fovet Nymphen, quam quondam in colle Palati
Dicitur ancipiti peperisse Venilia Jano.
Hæc, ubi nubilibus primum maturuit annis,
Præposito cunctis Laurenti tradita Pico est :
Rara quidem facie, sed rarior arte canendi;
Unde Canens dicta est : silvas, et saxa movere,
Et mulcere feras, et flumina longa morari

327. *Fontana Numina*. Florentinus *furtiva*, i. e. furtivis amoribus dedita : non displicet Heinsio.—*Albula*, postea Tiberis ; vid. Servius et Cerda ad Virgil. Æneid. VIII, 331. —De *Numicio* vide vs. 598.—*Anien* aut *Anio* convalles Tiburtinas perfluit.—*Almo, Nar* et *Farfarus* (Virg. VII, 715 *Fabaris*) in Tiberim influunt.—*Amœnæ umbræ*. Olim edebatur *opacæ undæ ;* sed alteram habet Servius ad Virgil. Æneid. VII, 715, unde recepit Heinsius. *Umbræ* exstat etiam in MSS nonnullis, ut Florent. Berneg. Hamburg. — Codex Regius A habet *opacæ undæ;* codex B *opacæ umbræ*.—*Regnum* ex Bernegger. libenter amplexus est Heinsius, quum cæteri (et Regius noster A) habeant *stagnum*. *Regnum* autem *nemorale*, est nemus Dianæ cum *lacu* prope Aniciam, ubi servi fugaces regna tenebant ; Art. Amat. I, 259 ; III Fast. 263. Etiam Lucanus, III, 86, *Qua sublime nemus, Scythicæ qua regna Dianæ*. Huc translata ara Dianæ *Scythicæ* s. Tauricæ ; Schol. ad Horat. A. P. 16.

333. *Ille fovet Nymphen*. Gronov. unus, unus Junian. et alius dant *favet;* cæteri (et Regii cod. ambo) *colit*. *Fovere* de amplexu et amore liberorum, amicorum, amantium ; Cic. Div. I, 9 ; Virgil. Ecl. III, 3. —*Janus*, Deus Latinorum domesticus : *anceps*, quia duplice capite fingebatur, etiam I Fast. 95 ; *Janus bifrons* Æn. VII, 180. Is, secundum nonnullos, *Veniliam*, quæ fuit inter Deas marinas, uxorem habuit ; secundum alios Camesen, Camesnam aut Camenam ; Heynius, Exc. V ad Æneid. VII.

337. *Rara*, eximia.—*Canens*, Pici uxor, alibi non occurrit. Vide tamen Heyn. d. l. Vox ejus eamdem vim habebat, quam Orphei, quem *insecutæ silvæ*, *rapidos morantem fluminum lapsus*, Horat. I, Od. XII, 8. Idem dictus *lenire tigres*, *rabidosque leones*, et ut Amphion, *saxa movere ;* Art. Poet. 393.

Ore suo, volucresque vagas retinere solebat.
Quæ dum feminea modulatur carmina voce,
Exierat tecto Laurentes Picus in agros,
Indigenas fixurus apros; tergumque premebat
Acris equi, lævaque hastilia bina ferebat,
Pœniceam fulvo chlamydem contractus ab auro.
Venerat in silvas et filia Solis easdem:
Utque novas legeret fecundis collibus herbas,
Nomine dicta suo, Circæa reliquerat arva.
Quæ simul ac juvenem, virgultis abdita, vidit,
Obstupuit: cecidere manu, quas legerat, herbæ;
Flammaque per totas visa est errare medullas.
Ut primum valido mentem collegit ab æstu;
Quid cuperet, fassura fuit: ne posset adire,
Cursus equi fecit, circumfususque satelles.

342. *Laurentinus ager* abundabat *apris*; unde sæpe *Laurens aper*; vid. Bentl. ad Hor. Epod. v, 28. — Observat Rodius, *hastilia* fuisse insignia regiæ dignitatis tempore heroico. Sic Cephalus, Met. VII, 673, *jaculum* gestabat. Sed Picus hastilia venatus causa sumserat. Notat Douza, *indigenas* Martial. I, L, 24, vocasse *vernas apros*.

345. *Contractus*. Quum MSS hic valde varient, et alii habeant *contractus*, alii *contactus*, *comprensus*, *concinctus*, *contortus*, *contectus*, *compressus* etc. Heinsius fatetur, se veram lectionem reperire non posse; suspicari tamen se, scriptum reliquisse Ovid. *conspersus*. Videamus igitur, an certius aliquid constitui possit. E vs. 394 patet, fibula constrictam chlamydem habuisse Picum; aliunde vero, v. c. e statuis et descriptionibus Dianæ Nympharumque venatricium, scimus, venantes breviore veste usos esse. Si itaque per *aurum* nunc fibulam auream intelligimus, et *contractus chlamydem* dictum putamus pro, contractam chlamydem habens, sensus oritur optimus.— *Contractus chlamydem* optimum sensum præbet, ait Gierigius, et idem illud rejecit, quod receperant *Variorum* editor et Burmannus; nos e nostro codice B revocavimus; codex A habet *comprensus*. Ed. — *Ab auro*, auro: *ab* sæpe instrumentum indicat, quo aliquid fit.

348. *Circæa reliquerat arva*. Plerique et optimi (et Reg. A noster) *Circæa reliquerat antra*.—*Obstupuit: cecidere manu* etc. De tali signo obstupefacti animi confer IV, 175.— Pro *herbæ*, multi (et cod. Reg. A) *herbas*. — In *sinu* servari solebant collecti flores; V, 499: IV Fast. 451. Itaque *sinu* utique præstat τῷ *manu*, quod ante Heinsium edebatur. —

« Non tamen effugies, vento rapiare licebit,
» Si modo me novi, si non evanuit omnis
» Herbarum virtus; nec me mea carmina fallunt, »
Dixit; et effigiem, nullo cum corpore, falsi
Finxit apri, prӕterque oculos transcurrere regis
Jussit, et in densum trabibus nemus ire videri,
Plurima qua silva est, et equo loca pervia non sunt.
Haud mora : continuo prӕdӕ petit inscius umbram
Picus, equique celer fumantia terga relinquit;
Spemque sequens vanam, silva pedes errat in alta.
Concipit illa preces, et verba venefica dicit;
Ignotosque Deos ignoto carmine adorat,
Quo solet et niveӕ vultum confundere Lunӕ,
Et patrio capiti bibulas subtexere nubes.
Tunc quoque cantato densetur carmine cӕlum,
Et nebulas exhalat humus; cӕcisque vagantur
Limitibus comites, et abest custodia regi.

Non tamen effugies; codex Reg. B, et multi; *Non, ait, effugies.*

360. *Ire videri.* Burmannus monet, si quem *τὸ videri* offendat, illum *videtur* legere posse Gronoviani et duorum aliorum MSS auctoritate. Heinsio pro *jussit* arridebat *fecit.* Unus Medic. *et horrendum.* Inde conjicit Burmannus, *Jussit. In horrendum trabibus nemus ire videtur.*—Post *densum trabibus nemus* redundant illa, *Plurima qua silva*; neque tamen licebat Scheppero recidere hanc ingenii luxuriem.—*Prӕdӕ umbra*, silva umbrosa, in qua latebat aper : nisi putes, effigiem potius falsi apri intelligi. — *Fumantia terga*, ut Virg. Georg. II, 542, *equum fumantia solvere colla.* Vulgo (et in Regiis nostris cod.) legitur *spumantia terga.* —*Alta silva*, in qua altӕ arbores.

365. *Verba venefica* ut alibi, *verba precantia, excusantia* etc. et hoc loco quidam (ut noster B) dant *verba precantia.* — *Ignoti Dii*, nempe magarum : *ignotum* carmen, arcanum. — *Quo solet... nubes*; vide ad IV, 332, et conf. VII, 207 sqq.— *Confundere*, perturbare.— *Patrio capiti*, Soli, patri Circes.—*Subtexere nubes*, ad exemplum Lucretii, VI, 481, *cӕrula subtexere nimbis*, et Virgilii, Æn. III, 582, *cӕlum subtexere fumo.* —*Bibula*, alibi quӕ bibunt, hauriunt aquas; h. l. plenӕ aquarum.

369. *Densetur*, nubibus obducitur. *Densere*, forma poetica, qua Lucretius, Virgilius et Horatius usi sunt pro *densare.* — *Cӕcis*, tenebricosis et ignotis. — *Et abest custodia regi*; vulgo (et in Regiis codicibus) *regis:* Urbinas *ut abest*, quod placet Bur-

Nacta locum tempusque; « Per o tua lumina, dixit,
» Quæ mea ceperunt; perque hanc, pulcherrime, formam,
» Quæ facit, ut supplex tibi sim, Dea; consule nostris
» Ignibus, et socerum, qui pervidet omnia, Solem
» Accipe, nec durus Titanida despice Circen. »
Dixerat: ille ferox ipsamque, precesque repellit:
Et, « Quæcumque es, ait, non sum tuus: altera captum
» Me tenet, et teneat per longum, comprecor, ævum:
» Nec Venere externa socialia fœdera lædam,
» Dum mihi Janigenam servabunt fata Canentem. »
Sæpe retentatis precibus Titania frustra;
« Non impune feres; neque enim reddere Canenti;
» Læsaque quid faciat, quid amans, quid femina, disces
» Rebus, ait; sed amans, et læsa, et femina Circe. »
Tum bis ad occasum, bis se convertit ad ortum:
Ter juvenem baculo tetigit; tria carmina dixit.
Ille fugit, sese solito velocius ipse
Currere miratus, pennas in corpore vidit;
Seque novam subito Latiis accedere silvis
Indignatus avem, duro fera robora rostro

manno, si tollas distinctionem post *regi*, et ponas post *comites*.—*Locum*, nempe opportunum.

375. *Qui pervidet*. Vulgo (et in codice Regio B) *qui prævidet*. — *Despice Circen*. Leidens. *respice*; Heinsius malebat *respue*.

379. *Comprecor*. Ciofani unus *deprecor*; Heinsius malebat *Di precor*. — *Socialia fœdera* aut *pacta* de conjugio, ut Heroid. IV, 17: sæpe *fœdera thalami*, *lecti*, quibus *sociatur* conjux.

385. *Sed amans*, *et læsa*, *et femina Circe*. Nota gradationem, quæ est in his verbis. — Etiam *Circe* cum vi, potens illa venefica.—Sequentia brevius expressit Virgil. Æn. VII, 190: « Quem ... Aurea percussum » virga, versumque venenis Fecit » avem Circe, sparsitque coloribus » alas: » sed Noster hæc suo more ludens per partes expressit.

388. *Velocius* etc. ut Actæon in cervum transiens III, 199. — *Pennas ... vidit*. Leidensis *pennas rodit*, quod eleganter respondere sequentibus *indignatus* et *iratus* putat Burmannus. — *Accedere* proprium avibus in silvis, hinc poetæ licet dicere *silvis*. — *Duro rostro*. Multi (et Regius codex A) *diro*. — Mox recte Burmanno displicebant *fera robora*; nam quamvis silvæ et montes in-

Figit, et iratus longis dat vulnera ramis.
Purpureum chlamydis pennæ traxere colorem :
Fibula quod fuerat, vestemque momorderat aurum,
Pluma fit; et fulvo cervix præcingitur auro ;
Nec quidquam antiqui Pico, nisi nomina, restat.
Interea comites clamato sæpe per agros
Nequicquam Pico, nullaque in parte reperto,
Inveniunt Circen; nam jam tenuaverat auras,
Passaque erat nebulas ventis ac Sole resolvi ;
Criminibusque premunt veris; regemque reposcunt;
Vimque ferunt; sævisque parant incessere telis.
Illa nocens spargit virus, succosque veneni :
Et Noctem, Noctisque Deos Ereboque Chaoque
Convocat, et longis Hecaten ululatibus orat.

terdum *feri* dicantur, non tamen apparet, cur hoc loco poeta *robora* eodem epitheto insigniverit. Qui nil molitur inepte, is etiam in talibus diligens est. Sed nec Heinsii emendatio placet, *duro fera robore rostra Fregit. Durities* rostri pici nota est : acumine ejus cuneato foramina facit in arboribus, ut vel insecta sub cortice latentia protrahat, vel nidum struat. Hanc quoque ejus naturam e fabula poeta repetit. Plura sunt picorum genera ; sed nullum eos colores refert, quos hic commemorat. Pennæ plurimæ nigræ sunt ; nisi quod in capite cerviceve pileo coccineo aut macula rubra distinctæ sunt. Picus major in Italia frequens etiam sub cauda aliquid ruboris habet. Itaque Nostrum lusisse putes, quum etiam nigra interdum *purpurea* dicantur, ut *mare purpureum*, *ἁλς πορφυρόεσσα*. — Jam ordo verborum, *Aurum, quod fibula fuerat, et vestem momorderat*. De *mordere* vide ad VIII, 318; de *præcingere* ad I,

699.—*Nec quidquam antiqui... restat.* Vulgo *antiquum;* multi *antiquo;* Florentinus *antiqui*, quod placuit Heinsio, qui et e multis recepit *restat* pro *restant :* hoc Burmann. defendi posse docet. — Regii codices ambo *antiquum* et *restat*.

397. *Interea comites* etc. Mutatio comitum et conjugis.—*Tenuaverat*, remotis densis nubibus : vide vers. 369. — *Resolvi*, dissipari. Elegantius Burmanno videbatur *recludi*, quod habent novem MSS. Equidem putem *recludi* rectius dici cælum nubibus obductum. — *Criminibus premunt*, urgent criminando. *Premere* sic absolute apud Cic. Div. II, 20.

404. Lectionem *Ereboque Chaoque* tuetur etiam Priscianus, VI, p. 720, qui exponit, ab Erebo et a Chao. E Chao Erebus et Nox nati ; Hesiod. Theog. 123. Erebi et Noctis nati nominantur a Cic. Nat. Deor. III, 17, Dolor, Metus, Invidentia, Mors, Tenebræ, Miseria, Querela, Fraus etc. — *Longi ululatus*

Condita marmorea, tumulo breve carmen habebat:
HIC ME CAIETEN NOTÆ PIETATIS ALUMNUS
ARGOLICO EREPTAM QUO DEBUIT IGNE CREMAVIT.
Solvitur herboso religatus ab aggere funis,
Et procul insidias, infamatæque relinquunt
Tecta Deæ, lucosque petunt, ubi nubilus umbra
In mare cum flava prorumpit Thybris arena:
Faunigenæque domo potitur nataque Latini,
Non sine Marte tamen: bellum cum gente feroci
Suscipitur; pactaque furit pro conjuge Turnus.

lia imploranti narrat, se multa Ilio exciso perpessum, tandem etiam socios amisisse in aves mutatos. Fabula a multis varie tractata; conf. Virgil. XI, 242 sqq; Lycophr. 592 sqq; Auctor de Mirab. Auscult. p. 722; Anton. Liberalis, cap. 37; Plinius, X, 44 s. 61; Ælianus, Hist. Anim. I, 1; Augustinus, de Civ. Dei, lib. XVIII, cap. 16. — *Urnaque Æneia nutrix* etc. Redit ad versum 157; conf. Virgil. Æneid. VII init. — *Marmorea*, pro *marmoreo*, e duobus recepit Heinsius. — Pro *tumulo* Mitscherl. dedit *tumuli*. — *Carmen*, ut II, 326. — *Notus* sæpe in laudem; Horatius, II, Od. II, *Notus animi paterni;* Burmannus laudat e Petron. III, *Matrona notæ pudicitiæ*. — *Quo debuit*, quem pietas postulavit; Horatius, II, Od. VI, 23, *debita lacryma*.

447. *Lucosque petunt, ubi nubilus* etc. Adumbrata hæc e Virgilio, vs. 29 sqq: « Atque hic Æneas ingentem ex æquore lucum Prospicit: hunc inter fluvio Tiberinus amœno, Vorticibus rapidis, et multa flavus arena, In mare prorumpit. » Silvis olim illa loca obsita fuisse, et per se credibile, et auctoritate veterum constat. Hodie ibi ager apricus litusque arenosum; vide Heynii Exc. III, ad Æneid. VII. — *Nubilus umbra*, opacus umbra arborum; Virg. vs. 36, *lætus fluvio succedit opaco*. — *Flava arena*. Plurimi, (et Regii codices) *fulva arena*. *Flavæ arenæ*, *flavus gurges* passim Tiberi tribuuntur, et *flavus Tiberis* perpetuum hujus fluvii epitheton; vid. Heins. — Escendit autem Æneas ad orientale litus in agrum Laurentem, ut e Virgilio intelligitur.

449. *Latinus*, *Fauni* filius: *Æneas potitur* ejus *domo*, hospitio ab illo excipitur; *nataque*, filiam Laviniam uxorem ducit. Sed illa ante adventum Æneæ *pacta* fuerat *Turno*, Rutulorum regi. Is, prælatum sibi advenam ægre ferens, bellum suscipit simul cum Ænea Latinoque; Livius, I, 1; Dionys. Halic. I, 58 sqq. Verum apud Virgilium Alecto, Junone sic volente, *furiis* suis implet et Laviniam et Turnum: ambo igitur Latinum ad bellum suscipiendum exstimulant. Quum rex cunctaretur, Juno ipsa belli portas aperit, in eoque bello totius Latii finitimarumque civitatum auxilia sibi adjungit Turnus. Etiam *Venulus* Argos mittitur ad *Diomedem*, ut eum in Turni partes adducat, Æn. VIII,

Concurrit Latio Tyrrhenia tota; diuque
Ardua sollicitis victoria quæritur armis.
Auget uterque suas externo robore vires:
Et multi Rutulos, multi Trojana tuentur
Castra: neque Æneas Evandri ad limina frustrà,
At Venulus magnam profugi Diomedis ad urbem
Venerat: ille quidem sub Iapyge maxima Dauno

8, sed frustra. Æneas contra *Evandri* auxilium et implorat et impetrat. Copiose hæc tractata a Virgilio, Æn. VII et VIII. — *Latio*, in Latio; Virgil. vers. 43, *Dicam ... Tyrrhenamque manum, totamque sub arma coactam Hesperiam.* — *Ardua*, difficilis fortitudine Trojanorum et multitudine hostium: *victoria quæritur*, victoriæ causa pugnatur, *sollicitis armis*, sollicite, studiose. Ea arma habent libros sex posteriores Æneidis.

455. *Rutulos* adjuvabant Mezentius Etruscorum rex cum filio Lauso, Aventinus Herculis filius, Catillus et Coras, Tiburtini, Camilla e Volscorum gente, et alii; vide Virgilium, VII, 647, ad fin. — *Tuentur* pro vulgari, sequuntur, quod et hoc loco unus MS habet, nec displicet Burmanno.

456. *Evander*, ex Arcadia profugus, Fauno regnante in Italiam venerat, et in Palatino monte Pallanteum oppidum condiderat; Dionys. Halicarn. I, 31; Justin. XLIII, 1. Ab eo non benigne modo excipitur Æneas, sed quadringentorum etiam equitum subsidio adjuvatur, quibus præerat Pallas, unicus Evandri filius; Virgil. VIII, 514 sqq. — Pro *ad limina* vulgo *ad mœnia;* unus Basil. et unus Voss. omittunt *ad:* Heinsius malit *Evandria limina*, ut *Evandrius ensis, mons Evandrius* etc. et verbo *venire* sæpe quartus casus additur sine præpositione. — Codex Regius B solus habet *mœnia.* Hoc loco ut sæpius alibi mere conjecturat Heinsius: codices ergo tueamur. *Ed.*

457. *Diomedes*, Ilio exciso, post multos errores in Apuliam *profugus* venisse tradebatur, *Dauni* regis filia in matrimonium ducta, *dotalia arva*, partem agri dotis loco, tenuisse, in iisque *urbem* condidisse, cui ab Argis Peloponnesi, quorum antiquum nomen Ἄργος ἵππιον, hoc ipsum nomen imposuerit, quod postea in Argyrippam contractum sit; Strabo, VI, p. 434. Ad eum igitur, quum Græcis Teucrisque invisus esset, *Venulus* orator mittitur a Turno, cui et ipsi græca origo tribuitur. — *Magna urbs*, quia metropolis Dauniæ: mox *maxima mœnia*, et Virg. XI, 216, *magna Diomedis ab urbe.* Sed Heinsius nec vulgat. damnat, *magni Diomedis*, ut Virg. VIII, 9, *Mittitur et magni Venulus Diomedis ad urbem*: sed ita duo essent epitheta, *magni profugi.* — Regii nostri codices neque *magni* neque *magnam* habent, sed *At Venulus frustra* etc. unde non audiendus est Heinsius qui malit *Ut Venulus:* si *frustra* non reponatur, præstabit τὸ *profugi*, quod suadent, quæ infra, vers. 476 et sqq, memorantur. Præterea pro *urbem* codex A dat *arces*, quod Ciofanus in Vaticano legi monet. *Ed.* — *Iapyx* pro Iapygius etiam Virg

Mœnia condiderat, dotaliaque arva tenebat.
Sed Venulus Turni postquam mandata peregit,
Auxiliumque petit, vires Ætolius heros
Excusat; nec se soceri committere pugnæ
Velle sui populos, nec, quos e gente suorum
Armet, habere viros: « Neve hæc commenta putetis,
Admonitu quamquam luctus renovantur amaro,
Perpetiar memorare tamen: postquam alta cremata est
Ilion, et Danaas paverunt Pergama flammas,
Naryciusque heros, a virgine virgine rapta,
Quam meruit solus pœnam digessit in omnes;
Spargimur, et ventis inimica per æquora rapti,
Fulmina, noctem, imbres, iram cælique marisque
Perpetimur Danai, cumulumque Capharea cladis.

vers. 247, et Horat. I, Od. III: Iapygiæ autem nomen etiam ad Apuliam pertinuit; *Appulus Daunus* est apud Horatium, IV, Od. XIV, 26.

460. *Sed Venulus Turni* etc. De hac legatione conf. Virgil. XI, 226 sqq, quem Noster expressit.—Diomedes *Ætolus* quidem fuit, sed ducta Adrasti filia Ægialea, in regno Argivorum successerat, et inde profectus erat ad Trojam.—*Vires excusat*, excusat se, quod *vires*, copias auxiliares, mittere nequeat Turno.

464. *Neve hæc commenta* etc. Sensus hujus orationis: satis malorum nos Græci post Ilium excisum perpessi sumus: nolo amplius cum Teucris Venerisque filio pugnare.—*Admonitus* de iis, quæ cum ingrato sensu in animum redeunt, ut IX, 324. — *Renovantur amaro*. Plurimi *renoventur amari*. — Hoc postrem. legitur in codice A; codex autem B, *quamquam renovetur luctus amaro*, quod nemini displiceat. *Ed.* — *Perpetiar memorare*, impetrabo a me, ut memorem. Signa parentheseos, quibus vs. 465 inclusus erat, sustuli. Ordo verborum: perpetiar memorare, quamquam luctus renovantur admonitu amaro.—Quia *quamquam* præpositum, propterea in altero membro *tamen* additum, ut semper apud Latinos. — *Alta*; vide ad XIII, 197. Calamitates, quas passa est classis Græcorum a Troja redeuntium, Minervæ tribuunt veteres; Homerus, Od. Γ, 135; Euripides, Troad. 65; Virgilius, XI, 259. Irritaverant autem iram Minervæ, non modo Palladio erepto, sed etiam eo, quod Ajax Oilei *Narycius* (a Narycia, Locridis urbe, in qua natus erat, dictus; *Ed.*) *virginem* Cassandram *a virgine*, e templo Minervæ, *rapuerat*; Virg. Æn. II, 403: ita hoc facto *pœnam digessit in omnes*, commisit, ut pœnam ab omnibus sumeret Minerva.

471. *Noctem*, tenebras. — *Cumulumque* etc. Post horrendam tempestatem, naufragium adeo facimus

Neve morer referens tristes ex ordine casus,
Græcia tum potuit Priamo quoque flenda videri.
Me tamen armiferæ servatum cura Minervæ
Fluctibus eripuit: patriis sed rursus ab Argis
Pellor; et antiquo memores de vulnere pœnas
Exigit alma Venus; tantosque per alta labores
Æquora sustinui, tantos terrestribus armis,
Ut mihi felices sint illi sæpe vocati,
Quos communis hiems, importunusque Caphareus
Mersit aquis; vellemque horum pars una fuissem.
Ultima jam passi comites belloque fretoque,
Deficiunt, finemque rogant erroris: at Acmon
Fervidus ingenio, tum vero et cladibus asper;
« Quid superest, quod jam patientia vestra recuset

ad Capharea. *Caphareus*, aut e dialecto Ionica *Caphereus*, promontorium Eubœæ, latentibus saxis et vorticibus infame; Virgilius, vers. 259, *triste Minervæ Sidus, et Euboicæ cautes, ultorque Caphareus.*

474. *Græcia tum potuit* etc. e Virgilio, vers. 259: *Vel Priamo miseranda manus.* Ante eum Pacuv. « Si » Priamus adesset, et ipse ejus com» miseresceret. » — *Potuit*, potuisset.

475. *Cura Minervæ*, Minerva, ut I, 48, *cura Dei.* — *Servatum fluctibus eripuit* pro, e fluctibus ereptum servavit. A Troja Argos rediit Diomedes secundum Homerum, Od. Γ, 180: itaque quum multi MSS (sicuti et codices Regii nostri) h. l. τῷ *agris* præferant *patriis ab Argis*, quod et Heinsio placebat, quamquam is ex aliis malebat *patriis ab aris*, adsentiente Burmanno, illud recepimus. — Sed inde rursus *pellitur*, fugit, cognito uxoris adulterio, quod caute admodum hic tangit. Ejus rei causam tribuit *Veneri antiqui vulneris* memori, quod manui ipsius in prælio inflixerat Diomedes; Homerus, Il. E, 330. Virg. vers. 275: « Hæc adeo ex illo mihi jam spe» randa fuerunt Tempore, quum » ferro cælestia corpora demens Ad» petii et Veneris violavi vulnere » dextram. » Apud eumdem vs. 270, Calydona redit, sed melius Ovid. Vide ad vs. 460. — *Memores*, quia ipsa memor, ut sæpius vidimus.

479. *Terrestribus armis*, cum Dauno adversus Messapios latis; confer Antonin. Liberal. 37. — *Communis hiems*, tempestas, vers. 470 sqq descripta, quæ pertinebat ad omnes Græcos. Votum autem hoc commune iis, qui e calamitate quadam emersi, jam cum alia conflictantur.

484. *Deficiunt*, animos abjiciunt. — Potest *deficiunt* explicari, me derelinquere parant. *Ed.* — *Acmon*, qui infra, vers. 494, dicitur *Pleuronius* a Pleurone Ætoliæ urbe, quum Venerem contemneret, in avem cycno similem fuit mutatus. Non-

» Ferre, viri? dixit : quid habet Cytherea, quod ultra
» (Velle puta) faciat? nam dum pejora timentur,
» Est in vota locus : sors autem ubi pessima rerum,
» Sub pedibus timor est, securaque summa malorum :
» Audiat ipsa, licet; licet, ut facit, oderit omnes
» Sub Diomede viros; odium tamen illius omnes
» Spernimus, et parvo stat magna potentia nobis. »
Talibus invitam Venerem Pleuronius Acmon
Instimulat verbis, veteremque resuscitat iram.
Dicta placent paucis : numeri majoris amici
Acmona corripimus : cui respondere paranti
Vox pariter, vocisque via est tenuata; comæque
In plumas abeunt, plumis nova colla teguntur,
Pectoraque, et tergum : majores brachia pennas
Accipiunt, cubitique leves sinuantur in alas :
Magna pedum digitos pars occupat; oraque cornu
Indurata rigent, finemque in acumine ponunt.
Hunc Lycus, hunc Idas, et cum Rethenore Nycteus,

nulli scribunt *Agmon*; sed Acmon græcum est nomen ut *Cycnus*, *Procne* etc. *Ed.*—*Acmon* apud Virgilium non occurrit. — *Asper*, exacerbatus.

489. *In vota*, votis, precibus. — *Sub pedibus*, victus est. — *Secura summa malorum*, securi sunt homines de summo malo, non amplius timent majus malum; sic *secura vota* XII, 199.

493. *Et parvo stat magna* etc. Utique e duodecim MSS revocandum, *et parvo stat tanta potentia nobis*; parum damni nobis adfert potentia Veneris; vide ad X, 547 : recte Heinsius ait : hoc vult, socios suos superiores esse omni Veneris insultu. Vulgo, *et magno stat magna*, ut in codicibus Regiis.

494. *Talibus invitam Venerem* recepit Heinsius e duobus, pro vulgata *Talibus iratam Venerem*, quod habent omnes MSS : hoc emendatum quia sequitur *iram*.

497. *Respondere paranti*. Plurimi (et Regii codices) *respondere volenti*. — *Vox pariter*, *vocisque* etc. Virgilius, vs. 272, breviter : « Socii » amissi petierunt æthera pennis, » Fluminibusque vagantur aves, heu » dira meorum Supplicia! et scopulos lacrymosis vocibus implent. » Cum nostro loco confer II, 373, ubi et *vox tenuata*.

501. *Sinuari* exquisite de alarum curvatura. — *Cornu indurata rigent*, fiunt cornea. Sed posuit duo verba, quibus natura cornu exprimitur. — *Finem in acumine ponunt*, desinunt in acumen.

Hunc miratur Abas; et dum mirantur, eamdem
Accipiunt faciem : numerusque ex agmine major
Subvolat, et remos plausis circumsonat alis.
Si volucrum quæ sit subitarum forma requiris;
Ut non cycnorum, sic albis proxima cycnis.
Vix equidem has sedes, et Iapygis arida Dauni
Arva gener teneo, minima cum parte meorum. »

V. Hactenus Œnides : Venulus Calydonia regna,
Peucetiosque sinus, Messapiaque arva relinquit.
In quibus antra videt, quæ multa nubila silva,

505. *Hunc miratur Abas* Regii codices habent; ut omnes alii, præter secundum Vatican. et Francof. ex quibus Heinsius Burmannusque, et post eos Gierigius, male ediderant *Hunc mirantur Abas*, ut illud verbum ad præcedentia nomina simul referretur, sicut referenda sunt duo sequentia verba *mirantur* ... *accipiunt* : sed maluimus cum *Abate* tantum conjungere verbum quod proximum antecedit, idemque verbum cum singulis aliis præcedentibus nominibus subintelligere, explicareque hoc modo : hunc miratur Lycus, hunc miratur Idas, hunc Abas miratur. Unde lectionem codicum revocavimus. *Ed.* — Quia modo præcessit *pennas accipiunt*, propterea Burm. cum tribus legeret *traxerunt faciem*, ut I, 412; unus Heinsii *assumit faciem*, ut XII, 1. — *Circumsonat* recte ex sec. Palatino recepit Heinsius pro *circumvolat*. — Regii nostri habent etiam *circumvolat*, sed jam in eodem versu præcessit *subvolat*; ideo probanda emendatio. *Ed.*

508. *Volucrum subitarum.* Codices Regii, ut plurimi, *volucrum dubiarum*; hoc bene refutat Heinsius, quum Venulo illas aves, quamvis cycni non essent, cycnorum tamen albitudinem referre ignoranti, *dubium* nasci nondum potuerat. *Ed.* — Etiam Lycophr. d. l. has aves Diomedeas, anatibus paulo ampliores diemque piscando in medio pelago exigentes, cum cycnis comparat; Plinius vero, X, 44, fulicarum similes esse judicat; referuntur hodie inter anseres procellarios : versantur juxta insulas Diomedeas, Apuliam contra; Plinius d. l. « Ædem (*Diomedis*) quotidie pleno gutture madentibus pennis perluunt atque purificant : unde origo fabulæ, Diomedis socios in earum effigies mutatos. »

510. *Arida Dauni arva*, Apulia, aquarum inops : hinc *pauper aquæ Daunus* Horat. III, Od. xxx, 11 : et male hoc loco *ardua Dauni arva* in octo MSS.

512-526. *Appulus* pastor Nymphis maledicens, mutatur in oleastrum. — *Œnides*, Diomedes ab avo Œneo, Ætoliæ rege, cujus urbs *Calydon*, hinc Daunia etiam, nova sedes Diomedis, per *Calydonia regna* declaratur. — Pro *Peucetios* MSS fere omnes diversa lectionum monstra exhibent; sed veram restituisse videtur Burmannus : nempe Dauniis vicini *Peucetii* et *Messapii*; nam-

Et levibus guttis manantia, semicaper Pan
Nunc tenet; at quodam tenuerunt tempore Nymphæ.
Appulus has illa pastor regione fugatas
Terruit, et primo subita formidine movit.
Mox, ubi mens rediit, et contemsere sequentem,
Ad numerum motis pedibus duxere choreas.
Improbat has pastor, saltuque imitatus agresti
Addidit obscœnis convicia rustica dictis:
Nec prius obticuit, quam guttura condidit arbor.
Arbore enim succoque licet cognoscere mores;
Quippe notam linguæ baccis oleaster amaris
Exhibet: asperitas verborum cessit in illas.
VI. Hinc ubi legati rediere, negata ferentes
Arma Ætola sibi, Rutuli sine viribus illis
Bella instructa gerunt; multumque ab utraque cruoris

que Iapyx, Daunus et Peucetius, Lycaonis filii, has oras occupasse traduntur ab Anton. Liberali, 31.

515. *Levibus guttis manantia*, in quibus *leves*, roris modo, guttæ de saxo decidunt: V Fast. 661, *vivo rorantia saxo antra*. Lectionem illam recte tuetur Burmannus, quum Heinsius legi velit *levibus stagnis*, quia in multis (ut in codice B, pro varia lectione) *levibus cannis*.

517. *Fugatas terruit*, terruit, ut fugerent.—*Movit*, conterruit.

520. *Motis pedibus*. Heinsius suadet *motis manibus*, quia ubique fere *movere* aut *jactare manus*, *brachia* de saltatione, in qua manuum magis et brachiorum gestus spectabatur, quam pedum motus. Vide nubem exemplorum ab Heinsio ad Remed. Am. 334 collectorum. At h. l. quia *saltu imitatus agresti* illos motus pastor traditur, et MSS omnes in *pedibus* conspirant, id mutari nolim: etiam *pedum* eleganter ponendorum ars fuit in saltationibus veterum; Horatius, II, Od. XII, 17, *Quam nec ferre pedem dedecuit choris*.

524. *Arbore enim*. Τὸ *enim* nunc vix locum habet. MSS omnes præter duos, *Arbor enim est*; Heinsius emendat, *Arbore jam*; sed metuo cum eodem, ne quid altioris mendi subsit.—Pro *cessit in illas*, plurimi *mansit in illis*. Codices Regii ambo *cessit in illis*.

527-565. *Naves Æneæ*, quibus Turnus ignes inferebat, Cybeles numine mutantur in Nymphas. Sumta fabula e Virgilio, Æn. IX, 107 sqq; conf. X, 219. Additur Alcinoi navis in saxum mutata. — *Ferentes*, referentes. — *Arma negata* e formula sollemni, *arma virosque polliceri ad bellum*. — *Instruit bellum* qui parat, quibus opus est ad bellum. Sic et *instruere odia, iram*. *Bella instructa* e septem MSS arrisit Heins. pro vulg.

Parte datur : fert ecce avidas in pinea Turnus
Texta faces ; ignesque timent, quibus unda pepercit.
Jamque picem et ceras, alimentaque cætera flammæ
Mulciber urebat, perque altum ad carbasa malum
Ibat, et incurvæ fumabant transtra carinæ ;
Quum memor has pinus Idæo vertice cæsas
Sancta Deum genetrix, tinnitibus aera pulsi
Æris, et inflati complevit murmure buxi :
Perque leves domitis invecta leonibus auras,
« Irrita sacrilega jactas incendia dextra,
» Turne, ait ; eripiam, nec me patiente cremabit
» Ignis edax nemorum partes et membra meorum. »
Intonuit dicente Dea : tonitrumque secuti

(quod in Regiis codic.) *bella infausta*; quidam *infesta*; unus *exhausta*.

530. *Fert faces avidas*, quia ignis avidus, edax.—*Texta*, naves ; vide ad XI, 524 : ante Dan. Heinsium edebatur *Tecta*. — Regii cod. ambo dant *tecta*, sed bene *texta* scribi voluerunt Constantius Fan. Ciofanus, et duo Heinsii. *Ed.* — *Ignes timent*, jam verendum erat, ne igne perirent. Nota lusum in *ignes* et *unda*, atque confer Æn. IX, 71 sqq.

532. *Picem et ceras* ; vide ad XI, 524. — *Ire* sæpe de celeri et vehementi motu, ubi gravius verbum exspectes. — Pro *fumabant* Thuan. *flammabant*. Hinc Heinsius conjicit *flammabat*, aut, quia hoc insolentius, *lambebat*, et præterea, *tigna carinæ*, quia multi habent, *igne*.— Regii codices ambo nihil mutant.

535. *Quum memor has* etc. Digna res visa Virgilio, ad quam nova Musarum invocatione transiret, vs. 77. — *Ida*, mons sacer Phrygiæ Deæ, (vide vs. 541) materia abundabat. *Idææ naves* etiam apud Horat. I, Od. xv, 1. Mater Deum Æneæ quum classe indigeret, pineam silvam sibi sacram dederat, Jovem precata, ne naves inde factæ vento ullo vincerentur. Jupiter promiserat, se illas, ubi finem portusque Ausonios tenuerint, in æquoris Deas esse mutaturum. Sic Virgilius, qui adventum Deæ breviter describit : « ingens Visus ab Aurora » cælum transcurrere nimbus, Idæique chori : tum vox horrenda per » auras Excidit, et Troum Rutulorumque agmina complet. » Hæc latius Noster tractavit.—*Pulsum æs*, cymbala, quæ inter se concussa *tinnitum* dabant acutum ; vide ad III, 532, ubi *æra ære repulsa*. — *Buxus* contra s. tibia Phrygia incurva, *murmur* dabat, id est sonum gravem.— *Complevit* ita aera ope Corybantum, qui comitari Deam illam solebant. Strepitu autem tympanorum, cymbalorum et tibiarum declarari solebat etiam in sacris adventus Cybeles. — De *leonibus* Cybeles vide ad X, 704.

Cum saliente graves ceciderunt grandine nimbi;
Aeraque, et subitis tumidum concursibus æquor
Astræi turbant, et eunt in prælia, fratres.
E quibus alma parens unius viribus usa,
Stuppea prærumpit Phrygiæ retinacula classis;
Fertque rates pronas, medioque sub æquore mergit.
Robore mollito, lignoque in corpora verso,
In capitum faciem puppes mutantur aduncæ:
In digitos abeunt, et crura natantia, remi:
Quodque prius fuerat, latus est; mediisque carina
Subdita navigiis, spinæ mutatur in usum.
Lina comæ molles, antennæ brachia fiunt.
Cærulus, ut fuerat, color est; quasque ante timebant,
Illas virgineis exercent lusibus undas
Naides æquoreæ; durisque in montibus ortæ
Molle fretum celebrant; nec eas sua tangit origo.

543. *Saliens grando* exquisite de grandine a corporibus, quibus impingitur, resiliente; e Virgil. Georg. I, 449, *in tectis crepitans salit horrida grando.*—*Astræi fratres*, venti, Astræi et Auroræ filii; Hesiodus, Theogon. 378.

547. *Stuppea prærumpit* etc. Virgilius, vs. 117: « Et, sua quæque, » Continuo puppes abrumpunt vin» cula ripis, Delphinumque modo » demersis æquora rostris Ima pe» tunt; hinc virgineæ, mirabile » monstrum, Reddunt se totidem » facies pontoque feruntur. » Sed Noster, more suo, singularum partium transformationem describit, idque satis ingeniose, quum nihil similitudinis habeant partes navis cum corpore humano. —*Medio sub æquore.* Unus Heinsii *imo sub æquore*, quod recepit Mitscherl.

552. *Quodque prius fuerat, latus est.* Hanc lectionem ex Neapolitano recepit Heinsius pro vulgata, quam habent Regii codices nostri, *Quodque sinus fuerat, latus est;* quamquam eidem Heinsio non displicebat altera in permultis reperta, *Quodque latus fuerat, latus est*, nam et *latera* navium dicuntur; sed eodem alludit lectio recepta. *Ed.*—Vivianus ex suis MSS profert, *spinæ curvatur in usum*, quod est elegantius, et nunc etiam propterea melius, quia præcessit *mutantur.*—Regii nostri codices dant *mutatur.*

556. *Exercent lusibus undas*, ludunt, et natant in mari. Similiter *exercere tellurem* arando. — *Duri montes*, quatenus opponuntur *molli freto;* quare in plurimis legitur male *summisque in montibus;* confer vers. 709.—*Nec eas sua tangit origo;* nihil curant redire in montes, ubi sunt ortæ. *Ed.*

Non tamen oblitæ, quam multa pericula sævo
Pertulerint pelago, jactatis sæpe carinis
Subposuere manus, nisi si qua vehebat Achivos.
Cladis adhuc Phrygiæ memores, odere Pelasgos;
Neritiæque ratis viderunt fragmina lætis
Vultibus, et lætæ videre rigescere puppim
Cautibus Alcinoi, saxumque increscere ligno.

VII. Spes erat, in Nymphas animata classe marinas,
Posse metu monstri Rutulum desistere bello.
Perstat; habetque Deos pars utraque, quique, Deorum
Instar, habent animos : nec jam dotalia regna,
Nec soceri sceptrum, nec te, Lavinia virgo,
Sed vicisse petunt; deponendique pudore
Bella gerunt : tandemque Venus victricia nati
Arma videt; Turnusque cadit : cadit Ardea, Turno
Sospite, dicta potens : quam postquam barbarus ignis

563. *Neritia*, navis Ulyssis a Nerito, monte Ithacæ. Hoc bene emendavit Regius, quum ante legeretur *Narycia*; i. e. Ajacis Oilei navis, qui fuit Narycius. — Ulyssem benigne excepit *Alcinous*, Phæacum rex, cumque nave sua portari jussit Ithacam; Homerus, Od. H, 328. De ejus mutatione in saxum Od. N, 155 sqq. Procopius, de Bello Gothorum IV : « Navem ex alba petra, quæ in » Phæacide regione apud mare visi- » tur, aliqui eam esse autumant, qua » Ulysses Ithacam fuit advectus. »

566-580. *Ardea*, urbs Rutulorum, interfecto Turno, incendio deletur, et ex cineribus oritur Ardea avis.—*In Nymphas animata* breviter dictum, animata et versa in Nymphas, ut IV, 618, *exceptas varios animavit in angues*.—*Posse desistere* pro, fore, ut desistat.—*Monstrum*, mira transformatio, ut sæpe apud Nostrum. *Deos*, suos Deos, id est sibi propitios.—*Quique* ex primo Strozzæ pro diversa lectione dedit Heinsius; Palatinus et unus ejusdem Heinsii *quisque*; reliqui (et Regii codices) *quodque*. *Quique*... *animos*, duces fortes et acres. Laudat Heinsius illud Mezentii, *Dextra mihi Deus*.

571. *Vicisse* græco more pro, victoriam.—*Deponendi*, scilicet arma, bellum. Mores bellatorum bene notati. — *Bella gerunt*. Quidam *bella petunt*; Arond. pro diversa lectione *bella volunt*, quod arridet Heinsio. — Codex Reg. A *bella gerunt*; idem in codice B, et pro varia lectione *bella petunt*.— *Tandemque* etc. Etiam Tibullus, II, v, 46, de hoc Veneris auxilio Æneæ præstito, *Tandem ad Trojanos diva superba venit*.—*Turnus cadit* interfectus ab Ænea in certamine singulari; Virg. XII, extr.

574. In *barbarus ignis* (olim ede-

Abstulit, et tepida latuerunt tecta favilla,
Congerie e media tum primum cognita præpes
Subvolat, et cineres plausis everberat alis.
Et sonus, et macies, et pallor, et omnia, captam
Quæ deceant urbem: nomen quoque mansit in illa
Urbis: et ipsa suis deplangitur Ardea pennis.

VIII. Jamque Deos omnes, ipsamque Æneia virtus
Junonem veteres finire coegerat iras;
Quum, bene fundatis opibus crescentis Iuli,

batur *ensis*, ut legitur in codice A) hæsere intt. quia putarunt, Æneam sine offensione Augusti non potuisse *barbarum* dici. Jac. a Cruce igitur hæc verba ad Annibalem referebat, motus verbis mendosis Servii ad Æn. VII, 412: at Ovidius narrat, quæ Æneæ temporibus acciderint. Heinsius malebat, *Dardanus ensis*, ut vers. 467 *Danaas flammas*; Virg. Æn. II, 276, *Phrygii ignes*; Horat. I, Od. 13, *Achaicus ignis*. Sine causa. Phryges sæpe dicuntur sine invidia aut contemtu *barbari*, ut vers. 163 *barbara prora*; vide ad XI, 162. Heynius ad Tibull. II, v, 48, intelligit sævum, crudelem ignem, atque etiam *barbarum Turnum* ibi interpretatur, ferocem, crudelem.—*Tepida latuerunt favilla*. Nonnulli, ut codex Regius A *trepida*; quidam, et duo codices Regii *patuerunt*. *Latuerunt* sub *favilla*, absumta fuerunt, et redacta in cineres.

576. *Congerie e media*. Plurimi *e media*; alii, ut codex Regius A, *in media*; quidam, ut codex B, omittunt præpositionem. Ineptæ huic fabulæ originem haud dubie dedit similitudo nominis; Virg. VII, 411, *Locus Ardea quondam Dictus avis*, ubi tamen *avis* esse videtur, majoribus. *Ardea* nomen traxisse videtur a situ in monte edito: Servius ex Hygino de Italicis urbibus memorat, ab augurio avis ardeæ urbem esse dictam. Et *potens* sane Turni tempore fuisse videtur; Silius, I, 293, *Magnanimis regnata viris, nunc Ardea nomen*.

577. *Everberare* pro simplici verberare, ut Quintil. Inst. Or. II, 4. —*Plausis*, motis; I, 466, *percussis alis*.— *Quæ deceant*. Tres, *quæ doceant*, non improbante Burmanno; quem vide ad Amor. III, El. x, 48. — *Ardea* avis sortem urbis Ardeæ, cujus e cineribus ipsa orta, plausu alarum suarum, tamquam lugubri planctu, luget. Acumen ingenii frigidum.

581–608. *Æneas* mutatur Veneris beneficio in Deum. Simillimus huic est locus pulcherrimus IX, 239–272, ubi placata Junone Hercules mortalitatem exuit flammis, ut hic Æneas undis; Juvenal. XI, 63: *Alter aquis, alter flammis ad sidera missus*.—*Junonem finire coegerat iras*. Apud Virgilium, Æn. I, 4, *memorem Junonis ob iram* tantum jactatus Æneas. Cf. omnino Æn. XII, 791 sqq, ubi Jupiter eam placat. — *Crescens Iulus* nondum maturus erat imperio, sed *bene fundatæ* a patre *opes* incolumes ei steterunt tutela Laviniæ; Livius,

Tempestivus erat cælo Cythereius heros;
Ambieratque Venus Superos; colloque parentis
Circumfusa sui; « Nunquam mihi, dixerat, ullo
» Tempore dure pater, nunc sis mitissimus oro;
» Æneæque meo, qui te de sanguine nostro
» Fecit avum, quamvis parvum, des, optime, numen;
» Dummodo des aliquod : satis est inamabile regnum
» Adspexisse semel, Stygios semel isse per amnes. »
Adsensere Dii : nec conjux regia vultus
Immotos tenuit, placatoque adnuit ore.
Tum pater; « Estis, ait, cælesti munere digni;
Quæque petis, pro quoque petis : cape, gnata, quod optas. »
Fatus erat : gaudet, gratesque agit illa parenti;
Perque leves auras junctis invecta columbis
Litus adit Laurens, ubi tectus arundine serpit
In freta flumineis vicina Numicius undis.
Hunc jubet Æneæ, quæcumque obnoxia morti,
Abluere, et tacito deferre sub æquora cursu.

I, 2.—*Tempestivus erat cælo*; ut qui gloriæ suæ satis vixisset, cælo maturus, Divis adscribendus esset. *Ed.*

587. *Nunc sis mitissimus oro.* Alii, ut codex Regius B, *opto.* —*Parvum numen* Æneas inter Indigetes et Penates relatus, qui *parvi Dii* vocantur. Quidam, pro *numen*, habent *munus* aut *donum.*—Codex Reg. A, et codex B pro diversa lectione, habent *munus.* — *Adspexisse semel*, quum, Sibylla duce, ad inferos descenderet.

594. *Estis ... digni.* Codex noster Regius A, *Est is ... dignus*, male propter sequentia verb. *Quæque petis, pro quoque petis.* Ed.— *Munere* pro *numine* cum Mitscherl. dedi e multis bonis MSS; adprobaverat et Heinsius. — Ambo codices Regii exhibent *munere; numine* non potest recipi, nisi recipiatur etiam lectio codicis A *Est is ... dignus;* hanc autem jam malam esse notavimus. *Ed.* — *Junctis invecta columbis.* Primus Gronov. et tres alii *niveis invecta;* Francof. *vinctis.* — Ita in codice Regio A, et in codice B a secunda manu.—*Numicius*, fluvius inter Laurentum et Lavinium decurrens : ad eum Æneas in prælio cum Etruscis aut Rutulis periisse videtur; hinc ad Deos abiisse creditus est, et inde exornata fabula, quam respicit etiam Tibullus, II, v, 43 : « Illic sanctus eris, quum te » veneranda Numici Unda Deum » cælo miserit Indigetem. » — *Deferre sub æquora*, quo deferebantur purgamina.—*Tacito*, tardo propter

Corniger exsequitur Veneris mandata ; suisque
Quidquid in Ænea fuerat mortale, repurgat,
Et respergit aquis : pars optima restitit illi.
Lustratum genetrix divino corpus odore
Unxit, et ambrosia cum dulci nectare mixta
Contigit os, fecitque Deum : quem turba Quirini
Nuncupat Indigetem ; temploque arisque recepit.
IX. Inde sub Ascanii ditione binominis Alba,
Resque Latina fuit : succedit Silvius illi :
Quo satus, antiquo tenuit repetita Latinus
Nomina cum sceptro : clarum subit Alba Latinum :
Epitos ex illo ; post hunc Capetusque, Capysque,
Sed Capys ante fuit : regnum Tiberinus ab illis

alveum ulvosum et limosum; v. 599.

602. *Corniger*, Numicius; vide ad IX, 1.—*Respergit aquis.* Heins. scribendum censet *detergit aquis*, ἀρχαϊκῶς pro *deterget*, ut passim poetæ.

607. *Contingere* sic II, 123; vide Heins. ad Amor. III, 1, 64. Datum ei Jovis vel Patris Indigetis nomen, exstructum ei ad ripas Numicii sacellum cum luco. Liv. d. l. « Situs » est, quemcumque eum dici jus» fasque est, super Numicium flu» men, Jovem Indigetem appel» lant. » *Templum*, illud sacellum, erat in luco juxta Numicium.—Pro *arisque recepit*, quod habent Regii codices, nonnulli *arisque reponit.*

609-771. *Pomonam* hortos unice amantem amat *Vertumnus* in varias figuras apte transiens. Sumta anili forma Pomonam exemplo *Anaxaretæ Iphin* spernentis et tandem in saxum conversæ monet, ut fastus ponat. Splendore formæ capitur Nympha. Poeta, quum ad tempora notiora jam accedat, præmittendam putavit, nexus causa, seriem regum Albanorum.—*Binominis*, quia idem et Iulus dictus; vide Livium, I, 3. —Post *Silvium* omittit Æneam Silvium, cujus filius fuit *Latinus* Silvius.—*Repetitum nomen*, quod alius jam olim habuit.—Pro *repetita* Heinsius olim *recidiva*, ut Fast. IV, 45, *recidiva vocabula.*—*Latinus* vocatur *clarus*, quia illustrior ejus fama apud posteros, quam cæterorum regum, deductis ab eo aliquot coloniis.—In his nominibus multum hæserunt interpretes ; libri plurimi et nostri Regii dant *Clarus subit ecce Latino*; prim. Naug. mutavit in *Alba*. *Clarus* autem erat nomen proprium, non adjectivum ; significabatque eum regem qui Alba dictus fuit, nam poetis mutare interdum nomina convenit, auctore Servio, et ne *Clarum* significare Albam dubites, idem poeta, in libro IV Fast. *Isque, Latine, tibi pater est ; subit Alba Latinum.* De hoc loco vide plura apud Burmann. *Ed.* — *Epitos* etiam Fast. IV, 43; Livio dicitur Atys. — *Capetusque... ante fuit.* Ingenii lusus, quem sug-

Cepit; et in Tusci demersus fluminis undis
Nomina fecit aquæ: de quo Remulusque feroxque
Acrota sunt geniti: Remulus maturior annis
Fulmineo periit, imitator fulminis, ictu.
Fratre suo sceptrum moderatior Acrota forti
Tradit Aventino; qui, quo regnarat, eodem
Monte jacet positus, tribuitque vocabula monti.
  Jamque Palatinæ summam Proca gentis habebat.
Rege sub hoc Pomona fuit; qua nulla Latinas
Inter Hamadryadas coluit solertius hortos,
Nec fuit arborei studiosior altera fœtus,
Unde tenet nomen: non silvas illa, nec amnes;
Rus amat, et ramos, felicia poma ferentes.
Nec jaculo gravis est, sed adunca dextera falce;

gessit lex carminis.—*Tuscum flumen*, Albula, in cujus trajectu submersus Tiberinus.

616. *De quo Remulus... Acrota*. Secundum Livium, Tiberini filius fuit Agrippa. Post eum regnavit *Remulus* Silvius, qui fulmine ictus, regnum tradidit Aventino. — *Maturior annis*. Basil. *maturior armis*; unus Vossian. *avis*; Heinsius putat *avi*. Regii codices *annis*, et cave ne quid mutes. *Ed.*—*Positus*, ut *situs*, de sepulto.

622. *Summa* gentis, de imperio, bene habet; *summa sceptri* XIII, 162; *summa belli* ex Ponto, II, 1, 46. Sed quæritur, quo sensu *gens Palatina* dicta sit. Micyllus explicat, quæ circa Palatium et ea loca, ubi postea Roma condita fuit, tum habitabat. Ineptum hoc judicat Heinsius, qui suadet, *Palatinæ rupis*, aut *Palatini collis* s. *montis*. Verum non admodum potens rex, qui rupis summam habet. Quum MSS fere omnes *Palatinus* habeant, id interea servandum arbitror, donec meliora proferantur. Forte hoc cognomen adhæsit Procæ. — Regii nostri ambo dant *Palatinus summæ loca gentis habebat*; ita et omnes alii codices: si *Palatinus* non fuerit cognomen additum *Procæ*, optima mihi videtur lectio, quam recepit Gierigius, ut omnes alii edit. receperant ex Nauger. eamque ineptam male pronuntiat Heins. qui forsan ineptior est, in τῷ *loca* videns vestigia τοῦ *collis*. Omnibus autem codicibus in eamdem lectionem conspirantibus, eam revocandam censeo. *Ed.* — Pro *Latinas*, multi veteres *Latinos*; utrumque bene.

625. *Altera*, alia. Nympha operam dans arborum culturæ bene describitur. — *Ramos*, arbores. — *Felicia poma*, ut IX, 92.

628. *Gravis*, gravata. — *Falx*, culter vinitorum curvus ad amputandas frondes. — *Nec jaculo gravis* etc. Nec dextra Pomonæ jaculum gestat; sed falcem, qua luxuriantes

Qua modo luxuriem premit, et spatiantia passim
Brachia compescit : fissa modo cortice virgam
Inserit, et succos alieno præbet alumno.
Nec patitur sentire sitim; bibulæque recurvas
Radicis fibras labentibus irrigat undis.
Hic amor, hoc studium : Veneris quoque nulla cupido.
Vim tamen agrestum metuens, pomaria claudit
Intus; et accessus prohibet refugitque viriles.
Quid non et Satyri, saltatibus apta juventus,
Fecere, et pinu præcincti cornua Panes,
Silvanusque, suis semper juvenilior annis,
Quique Deus fures vel falce, vel inguine terret,
Ut poterentur ea? sed enim superabat amando
Hos quoque Vertumnus; neque erat felicior illis.

ramos recidat. *Ed.* — *Premere*, eleganter pro, resecare, amputare, etiam Virg. Georg. I, 157. — *Luxuriem*, ramos longiores, nimis se extendentes et succis fraudantes arborem. Iidem rami *brachia spatiantia*, luxuriose excrescentia, ut IV, 364, *spatiantes alæ*. — Pro *spatiantia passim* Heinsio ex uno Medic. placebat *spatiantia contra*, ut IV, 80, *pervenientia contra*. Non placent mihi similitudines illæ quas in auctoribus inquirunt quidam interpretes : quia Ovidius alibi dixerit, *partique dedere* (per tenuem muri rimam) *Oscula quisque suæ, non pervenientia contra*; nemo credet eum hic scripsisse *spatiantia contra*, eam ob causam unam, ut lector duo loca inter se comparet. *Ed.* — *Passim* est, in omnes partes; Virgil. Georg. II, 370, *ramos compesce fluentes*; Horatius, Epod. II, 13, *Inutiles falce ramos amputans*.

630. *Fissa cortice*. Alii *fisso* ex solemni permutatione. — Codex Regius A *fisso*; codex B *fissa*; vide nos ad X, 512. *Ed.* — Venuste insitionem et irrigationem describit; cf. Virg. Georg. II, 73-82. — *Alieno alumno*; surculo ex alia arbore in aliam translato. *Ed.* — *Labentes undæ* centies apud poetas dicuntur rivi: sine causa igitur Heins. suadebat vel *lactantibus*, vel *lambentibus*. Etiam Burmanni conject. *lætantibus*, i. e. fecundantibus, carere poteramus.

635. *Agrestum*, nempe Deorum, quales mox nominantur. — *Refugitque viriles*. Patavinus *tactusque viriles*.

638. *Pinu præcincti* : I, 699. — *Silvanusque*. Vulgo (et in codice Regio B) *Silenusque*. Sileno, Bacchi comiti nullus hic locus : at Silvanus erat Deus agrestis et Latinus, qui semper senex in antiquis monumentis exhibetur. Sed ille *juvenilior suis annis*. magis amoribus deditus. quam a sene exspectes. — De *inguine* Priapi vide ad IX, 344.

642. *Hos quoque Vertumnus* etc. Se-

O quoties habitu duri messoris aristas
Corbe tulit; verique fuit messoris imago!
Tempora sæpe gerens fœno religata recenti,
Desectum poterat gramen versasse videri.
Sæpe manu stimulos rigida portabat, ut illum
Jurares fessos modo disjunxisse juvencos.
Falce data frondator erat, vitisque putator:
Induerat scalas, lecturum poma putares:
Miles erat gladio, piscator arundine sumta.
Denique per multas aditum sibi sæpe figuras
Repperit, ut caperet spectatæ gaudia formæ.
Ille etiam picta redimitus tempora mitra,
Innitens baculo, positis ad tempora canis,
Adsimulavit anum, cultosque intravit in hortos,
Pomaque mirata est; Tantoque potentior! inquit,

quitur locus classicus de Vertumno, quocum cf. Propert. IV, 2. Quum olim esset symbolum anni vicissitudinum, poetæ inde fecerunt Deum, qui posset in omnes verti formas, unde et Vertumnus dictus sit. Propertius, vers. 42: « At mihi, quod » formas unus vertebar in omnes, » Nomen ab eventu patria lingua » dedit; » et vers. 21: « Opportuna » mea est cunctis natura figuris: In » quamcumque voles verte, decorus » ero. » *Mille ornatus* varias istas figuras vocat Tibullus, IV, II, 14. Hinc pendet locus sequens.

643. *Duri* omnes rustici, *messores* inprimis, quia æstum facile perferunt. Laudat Burmannus ex Horatio, Epod. 3, *dura messorum ilia.* — *Imago messoris*, similis messori; Propertius, *Corbis in imposito pondere messor eram.*

645. *Tempora sæpe gerens* etc. Propertius, vs. 25: « Da falcem, et torto » frontem mihi comprime fœno: » Jurabis nostra gramina secta ma- » nu. » — De *stimulis* ad II, 127.

649. *Frondator erat.* Unus Heinsii et unus Basileens. *falcator erat*; non male, et Nostri ingenio convenire videtur appositio *Falce data falcator erat.* Ed. — *Induerat.* Thysii liber *induitur*, græcismo usitato. *Induerat scalas*, incedebat capite per gradus scalarum inserto.

651. *Miles erat gladio.* Propertius, vers. 27: « Arma tuli quondam, et, » memini, laudabar in illis. »

653. *Spectatæ.* Quidam (non Regii codices) habent *speratæ*; sed *spectari* proprie dicuntur puellæ, earumque formæ.

654. *Picta* vel acu, vel radio, vel variegata. — Pro *mitra* duo *vitta.* — *Ad tempora.* Nonnulli *per tempora*; sed alterum etiam III, 275.

657. *Tantoque potentior*; multi *peritior*; ita et codex Regius A; sed

Paucaque laudatæ dedit oscula, qualia nunquam
Vera dedisset anus; glebaque incurva resedit,
Suspiciens pandos autumni pondere ramos.
Ulmus erat contra spatiosa tumentibus uvis;
Quam socia postquam pariter cum vite probavit,
« At si staret, ait, cælebs sine palmite truncus,
Nil præter frondes, quare peteretur, haberet.
Hæc quoque, quæ juncta vitis requiescit in ulmo,
Si non nupta foret, terræ adclinata jaceret.
Tu tamen exemplo non tangeris arboris hujus;
Concubitusque fugis, nec te conjungere curas,
Atque utinam velles! Helene non pluribus esset
Sollicitata procis, nec quæ Lapitheia movit
Prælia, nec conjux timidis audacis Ulixei.

et *potentior* habet pro varia lectione. Hoc Ovidianum esse sciunt, qui ea voce auctorem frequentissime uti meminerunt. Pro *tanto* idem codex A *cunctis*. Ed. — *Tanto potentior* sollemnis et elegans laudandi formula, ut *tanto major*, *tanto melior*, *tanto felicior*; Seneca, de Tranq. Anim. cap. 15: « Laudemus toties dignum » laudibus et dicamus : tanto for- » tior, tanto felicior! » *Potentior* pomorum copia, quibus olim maxime censebantur divitiæ. Quidam addunt duos versus, *Omnibus et Nymphis*, *quas continet Albula ripis. Salve virginei flos illibate pudoris.* — *Qualia nunquam* etc. cf. II, 431. — Pro *pandos* multi *patulos*, *gravidos*, *curvos*. Regii cod. *pandos*.

661. *Ulmus erat... spatiosa* etc. Olim edebatur *speciosa nitentibus uvis*; alteram lectionem dari ex vetustioribus jussit Heinsius. — Codex Regius A, *speciosa tumentibus uvis*; codex B, *spatiosa tumentibus*. — *Spatiosa*, patula et abundans uvis. — Commode et egregie vitium ulmis adjunctarum exemplo utitur in commendando Pomonæ conjugio. Comparari enim solebat illa adjunctio cum conjugio; hinc ulmi *cælibes*, s. *viduæ* dicuntur *maritari*, aut vite *dotari*, et vites *nubunt* ulmis, fiuntque earum *conjuges* aut *sociæ*; vid. Heinsius. — *Requiescit*, nempe claviculis suis complexa ulmum. — *Si non nupta foret*. Plurimi (et cod. ambo Regii) *si non juncta foret*, quod damnavit Heinsius, quia *juncta* proximo versu præcesserat. *Nupta* recepit e Thuan. et prim. Bonon. laudat etiam primi Gronov. *vincta*. — *Terræ adclinata jaceret*. Ciofani codex, Florentinus, et Urbinas, et Regius B, *terræque adcliva jaceret*; alii *inclinata*. Cicero, Sen. 15, *ad terram fertur, nisi fulta sit*.

670. *Helenes* procorum nomina habet Hyginus, fab. 81: vid. idem, fab. 126 de Penelopes procis. — *Quæ Lap. movit Prælia*, Hippodame, de qua XII, 210 sqq. — Olim edebatur,

Nunc quoque, quum fugias averserisque petentes,
Mille proci cupiunt, et Semideique, Deique,
Et quæcumque tenent Albanos numina montes.
Sed tu, si sapies, si te bene jungere, anumque
Hanc audire voles, quæ te plus omnibus illis,
Plus, quam credis, amo; vulgares rejice tædas,
Vertumnumque tori socium tibi delige: pro quo
Me quoque pignus habe: neque enim sibi notior ille est,
Quam mihi: nec toto passim vagus errat in orbe.
Hæc loca sola colit: nec, uti pars magna procorum,
Quam modo vidit, amat: tu primus, et ultimus illi
Ardor eris; solique suos tibi devovet annos.
Adde, quod est juvenis, quod naturale decoris
Munus habet: formasque apte fingetur in omnes;
Et, quod erit jussus, jubeas licet omnia, fiet.
Quid, quod amatis idem? quod, quæ tibi poma coluntur,
Primus habet, lætaque tenet tua munera dextra?
Sed neque jam fœtus desiderat arbore demtos,
Nec, quas hortus alit, cum succis mitibus herbas,
Nec quidquam, nisi te: miserere ardentis: et ipsum,

timidi aut audacis; sed Heinsius ex MS Barberin. recepit *timidis*, h. audacis in timidos, ut X, 544, *fortis fugacibus esto.* — Codices ambo Regii *timidi aut audacis*, quod explicari deberet, timidi in pugna, audacis in struendis *insidiis*; sed bona est emendatio. *Ed.*

675. *Si sapies.* Multi *sapias*, et mox *velis*; improbat autem Heinsius, et bene, quia tum erat *rejicias* et *deligas* dicendum. Regii codices nihil mutant. *Ed.*

681. *Hæc loca sola.* MSS fere omnes, *Hæc*, aut *Nec loca magna*; sed Vivianus ex suis *loca sola*, quod etiam in uno suo repertum recepit Heinsius. Codex Regius A *Hæc loca magna*; codex B *Nec loca magna.* — *Devovet*, vovet.

684. *Juvenis.* Ita pingi et fingi solebat, cinctus corona e frondibus viridibus, tenensque cornu copiæ. — *Quod naturale* etc. quod natura eum fecit decorum. — *Formasque apte* etc. Tibullus, IV, II, 14, de Vertumnb, *Mille habet ornatus*, *mille decenter habet.*

687. *Quæ tibi poma coluntur* etc. Fructuum primitiæ solebant Vertumno dari; Propertius, d. l. vs. 11, *quia vertentis fructum præcepimus anni*; et vs. 13, *Prima mihi variat liventibus uva racemis.*

Qui petit, ore meo præsentem crede precari :
Ultoresque Deos, et pectora dura perosam
Idalien, memoremque time Rhamnusidis iram.
Quoque magis timeas, etenim mihi multa vetustas
Scire dedit, tota referam notissima Cypro
Facta, quibus flecti facile, et mitescere possis.
  Viderat a veteris generosam sanguine Teucri
Iphis Anaxareten, humili de stirpe creatus;
Viderat, et totis perceperat ossibus æstum :
Luctatusque diu, postquam ratione furorem
Vincere non potuit, supplex ad limina venit;
Et modo nutrici miserum confessus amorem,
Ne sibi dura foret, per spes oravit alumnæ :
Et modo de multis blanditus cuique ministris
Sollicita petiit propensum voce favorem.
Sæpe ferenda dedit blandis sua verba tabellis :
Interdum madidas lacrymarum rore coronas

694. *Idalie* dicta Venus ab Idalio, monte Cypri; et *Idalium* quidquid Veneri sacrum aut gratum. — De *Rhamnuside* vide ad III, 406.

695. *Multa vetustas*, longa ætas. —*Dedit scire*, ut III, 338; græco more.

698. *Viderat a veteris* etc. Hanc fabulam sub Arceophontis et Arsinoes nominibus refert Anton. Liberalis, Met. 39 : apte h. l. adhibita, quia et vim movendi et metamorphosin habet. Reges Cypri originem ducebant a Telamonio *Teucro*, qui exciso Ilio huc migravit atque Salamina urbem, (ubi hæc res gesta; vide vs. 760) condidit. Conditores autem urbium gentiumve solent fere a poetis *veteres*, *antiqui*, *prisci* vocari. — *A sanguine*, quoad sanguinem. — *Humili de stirpe*. Duo *humili de plebe*. — *Perceperat*. Unus Heinsii *præceperat*; sed mira non videbitur varietas, quum noveris quam parvum sit discrimen inter syllabas *per* et *præ*, in scriptis libris. — *Luctatusque diu* etc. Versum similem habes, lib. VII, 10. *Ed.*

704. *Per spes... alumnæ*. Heinsius putat, *per spes alumnas*, ut XIII, 375, *spes socias*. — *Propensum*. Multi, et cod. Regii nostri *perpensum*; dicendum est hoc loco, quod in simili, ad vers. 700, de *perceperat* vel *præceperat*.

708. *Interdum madidas* etc. Facit hæc ex ineptis moribus amantium, foribus exclusorum. Ii enim *coronas* de capite demtas postibus *intendebant* (pro vulgari, innectere, suspendere. Exquisite Virg. Æn. IV, 506, *Intendit locum sertis*); Lucre-

Postibus intendit, posuitque in limine duro
Molle latus, tristique seræ convicia fecit.
Surdior illa freto surgente, cadentibus Hædis,
Durior et ferro, quod Noricus excoquit ignis,
Et saxo, quod adhuc viva radice tenetur;
Spernit, et irridet, factisque immitibus addit
Verba superba ferox; et spe quoque fraudat amantem.
Non tulit impatiens longi tormenta doloris
Iphis, et ante fores hæc verba novissima dixit:
« Vincis, Anaxarete: neque erunt tibi tædia tandem
» Ulla ferenda mei: lætos molire triumphos,
» Et Pæana voca, nitidaque incingere lauro.
» Vincis enim, moriorque libens; age, ferrea, gaude.
» Certe aliquid laudare mei cogeris, eritque

tius, IV, 1171; Propertius, I, xvi, 7. Non modo coronas, sed januas etiam ipsas *lacrymarum rore* irrigabant; Martial. X, Epigr. 13. In nuda humo aut *duro limine* (cui suaviter opponitur *molle latus*) jacebant; Propertius, III, xiii, 16; Noster Art. Am. II, 238. Stulte etiam januis vel preces adhibebant, vel *convicia faciebant*, eique imbrium verbera Jovisque fulmina imprecabantur; Tibul. I, ii, 6 sqq. *Tristis sera*, ut *janua difficilis* apud Tibullum, d. l. *Tristisque* pro *tristique* accepit Heinsius ex uno Basil.

711. *Surdior freto*. De hoc proverbio vide Heinsium ad h. l.—*Surgens* fluctibus.— *Cadere* de occasu siderum. — Pro *Hædis* multi *Austris*, vel *Euris*. — Codex Regius B habet *Euris*; sed hoc vocab. vel *Austris* glossam esse puto. *Ed.* — *Hædi* duæ stellæ, quas manu tenet Auriga supra Tauri cornua, quarum et ortus et occasus gravissimas excitant tempestates; Theocrit. Id. VII, 53. — *Ferrum Noricum* erat præstantissimum; Plinius, XXXIV, 14; hinc *Noricus ensis* Horat. I, Od. xvi, 9: erat autem *Noricum* Illyrici pars. — *Saxi radices* ex Lucretio, II, 102. — Pro *viva radice tenetur*, olim (ut est in nostris codicibus Regiis) edebatur *vivum radice tenetur*: et sæpe *viva saxa*, ut VII, 204. — *Fraudat*. Plurimi *fallit*. — Codices Regii *fraudat*.

716. *Impatiens*, qui repulsæ dolorem non æquo fert animo: sequitur παρακλαυσίθυρον, h. carmen flebile ante fores amatæ cantatum.

720. *Et Pæana voca*. Sic alibi Ovidius: *Dicite, Io Pæan, et, Io, bis dicite, Pæan*. Ea gratulatione in triumphis et victoriis usi sunt, atque adeo pæanas dixere omnia epinicia. *Nitidaque incingere lauro*. De *nitida* vide ad I, 552. Coronare, inquit, viridi lauro; id quod triumphantes solebant. *Ed.* — *Vincis enim*. Olim edebatur *Vincis, ait*; Heinsius putabat *Vincis Io*.

» Quo tibi sim gratus, meritumque fatebere nostrum.
» Non tamen ante tui curam cessisse memento,
» Quam vitam; geminaque simul mihi luce carendum.
» Nec tibi Fama mei ventura est nuntia leti :
» Ipse ego, ne dubites, adero, præsensque videbor,
» Corpore ut exanimi crudelia lumina pascas.
» Si tamen, o Superi, mortalia fata videtis,
» Este mei memores : nihil ultra lingua precari
» Sustinet : et longo facite ut memoremur in ævo;
» Et, quæ demsistis vitæ, date tempora famæ. »
Dixit; et ad postes ornatos sæpe coronis,
Humentes oculos, et pallida brachia tendens,
Quum foribus laquei religaret vincula summi;
« Hæc tibi serta placent, crudelis, et impia? » dixit;
Inseruitque caput; sed tum quoque versus ad illam;
Atque onus infelix elisa fauce pependit.
Icta pedum motu trepidantum ut multa gementem
Visa dedisse sonum est, adapertaque janua factum

724. *Curam cessisse memento.* Codex noster A, ut multi alii, dat *curam excessisse*; codex B ut Berneg. *fuisse*; sed vitio certe scripturæ, pro *finisse*, quod in tribus reperit Heinsius. Is vult scribi *cessisse* vel *fugisse*: hoc autem ultimum dare videtur nullus codex. *Curam tui*; amorem, quo te prosequor. *Ed.* — *Gemina luce*, et puella amata et vita.

729. *Si tamen, o Superi.* Sic Virgilius, *Si qua est cœlo pietas, quæ talia curet.* Pro *mortalia fata*, ambo Regii codices dant *mortalia facta*; alteram lectionem ex quatuordecim invexit Heinsius. *Ed.* — *Facite ut memoremur.* Heinsius suadet *facite o memoremur*, vel *narremur.* — Ambo Regii *facite ut narremur.*

735. *Laquei vincula* pro laqueo; nam *laqueus* jam in se est funis in formam vinculi compositus, unde hæc duo X, 378 et 381, permutantur. — *Summi* bene additum. Sed quum MSS omnes, præter duos, habeant *summis*, id fortasse præferendum. Certe etiam supra X, 379, *Zona summo de poste revincta.* — Regii ambo *summis.*

739. *Trepidantum* ingratam quidem, sed fidelem imaginem subjicit sensibus. Sed in sequentibus magna est lectionum discrepantia. Quum *gementem* e cod. suo notasset Politianus, id recepit Heinsius; ita *multa* dictum est pro multum. Pro *ut multa* MSS *et multa* aut *morte*, et pro *gementem* habent, *timentum*, *paventum*; quidam, *trepidantem et morte timentem*, aut, *et multa moventem.*

Prodidit; exclamant famuli; frustraque levatum,
Nam pater occiderat, referunt ad limina matris.
Accipit illa sinu, complexaque frigida nati
Membra sui, postquam miserarum verba parentum
Edidit, et matrum miserarum facta peregit,
Funera ducebat mediam lacrymosa per urbem,
Luridaque arsuro portabat membra feretro.
Forte viæ vicina domus, qua flebilis ibat
Pompa, fuit; duræque sonus plangoris ad aures
Venit Anaxaretes, quam jam Deus ultor agebat.
Mota tamen, « Videamus, ait, miserabile funus; »
Et patulis iniit tectum sublime fenestris.
Vix bene compositum lecto prospexerat Iphin;

In hac tanta varietate Burmannus malit, *trepidantum morte*, *gementem* etc. — Regii nostri *trepidantem et multa timentem*; quæ lectio mala videtur, et veram ab Heinsio repertam credo. *Ed.*

744. *Miserarum verba parentum.* Ita legitur in ambobus Regiis codicibus; ex tribus autem Burmannus invexerat *miserorum*; quia vices patris defuncti agebat.; Burmannum Gierigius erat secutus: ego veterem lectionem revoco: concedatur enim fuisse verba propria patribus filium lugentibus, hujusque funera ducentibus, aliaque propria matribus; mater vidua et patris defuncti vices agens, verba, quæ hic edidisset vivus, non edebat, sed certe verba sexui suo propria. Bene igitur *miserarum* Mitscherl. nuper revocavit. *Ed.* — *Ducebat . . . portabat.* Regii nostri cum quibusdam ab Heinsio nominatis habent *ducuntur . . . portantur*, quod is improbat, quia *ducit funus* aut *exsequias* proprie quæ prima est in pompa funeris; sed deinde omnino pro efferre funus ponitur: et *portare* nati corpus ad rogum mater dicitur etiam Heroid. XV, 115. *Ed.*—*Lacrymosa*, lacrymis digna.— *Arsuro* pro, arsura membra; etiam Tibullus, I, 1, 61, *Flebis et arsuro positum me, Delia, lecto.*

748. *Viæ . . . qua . . . ibat.* Prima editio Aldina *quam*; eodem modo apud Propertium, III, 15, Heinsius vult legi *Scironis medias his licet ire vias*, pro vulg. *media via*. Ed. — *Agebat* plus est, quam *habebat*, quod præferunt prior Gronovian. et tres alii MSS. Et proprie illud adhibetur de impulsu Deorum, Furiarum, furoris etc. — Regii codices *agebat*.

753. *Vix bene.* Poeta addit *bene*, ut majorem ostendat festinationem; sic alibi *Vix bene desierat*; et *Vix bene missus erat*; sic infra *Vix bene desierant*. Ed. — Heinsius qui *compositum* pro *impositum* recepit, illud defendit non nisi iis locis ubi de cineribus *compositis*, hoc est, in monumentum conditis, sermo est. Rectius laudasset IX, 503, *toroque*

Deriguere oculi, calidusque e corpore sanguis,
Inducto pallore, fugit; conataque retro
Ferre pedes, hæsit; conata avertere vultus,
Hoc quoque non potuit : paulatimque occupat artus,
Quod fuit in duro jampridem pectore, saxum.
Neve ea ficta putes, dominæ sub imagine signum
Servat adhuc Salamis : Veneris quoque nomine templum
Prospicientis habet : « Quorum memor, o mea, lentos
» Pone, precor, fastus, et amanti jungere, Nymphe.
» Sic tibi nec vernum nascentia frigus adurat
» Poma, nec excutiant rapidi florentia venti. »
Hæc ubi nequidquam formas Deus aptus in omnes
Edidit, in juvenem rediit, et anilia demit
Instrumenta sibi; talisque adparuit illi,
Qualis ubi oppositas nitidissima Solis imago
Evicit nubes, nullaque obstante reluxit;
Vimque parat : sed vi non est opus; inque figura
Capta Dei Nymphe est, et mutua vulnera sentit.
X. Proximus Ausonias injusti miles Amuli

Mortua componar, ubi vide notam nostram : Mitscherl. tamen *impositum* prætulit. — Quamquam Gierigius ex alio loco conetur defendere τὸ *compositum*, non erat tamen causa cur ex uno codice Cantabr. mutaretur omnium aliorum lectio *impositum*. Ed. — *Deriguere*. Vulgo, et in codicibus Regiis, *diriguere*.

761. *Prospicientis*. Hoc cognomen accepit a forma prospicientis de fenestra Anaxeretes, quæ eadem specie a Venere in saxum conversa fuit. Ita recte Mycillus.

762. *Lentos fastus*, qui reddunt puellas *lentas*, id est difficiles; vide ad XIII, 799.

763. *Sic* ejus est, qui, ut impetret ab altero quod petierat, cum obtestatione ei adprecatur aliquid. — *Urere* etiam de frigore dicitur; Cic. Tusc. II, 17.

766. *Anilia instrumenta* eleganter vocat rugas, canos et reliqua, quibus efficiebat, ut anus esse videretur; conf. vs. 654 et 655.

770. *In figura capi*, ut VI, 490, *in illa æstuat*; VIII, 50, *arsit in illa*.

772-851. *Romulus* postquam, victis Sabinis, rem Romanam fundaverat, a Marte abreptus inter Deos recipitur, idemque honor divinus tribuitur *Hersiliæ* conjugi. Ille sub *Quirini*, hæc sub *Horæ* nomine colitur. — *Miles Amuli*, Amulius ipse. Dura periphrasis. — *Injusti* ob re-

Rexit opes; Numitorque senex amissa nepotum
Munere regna capit; festisque Palilibus Urbis
Mœnia conduntur: Tatiusque patresque Sabini
Bella gerunt; arcisque via Tarpeia reclusa
Digna animam pœna congestis exuit armis.
Inde sati Curibus, tacitorum more luporum,
Ore premunt voces, et corpora victa sopore
Invadunt, portasque petunt, quas objice firma
Clauserat Iliades: unam tamen ipsa recludit,
Nec strepitum verso Saturnia cardine fecit.
Sola Venus portæ cecidisse repagula sensit;
Et clausura fuit; nisi quod rescindere nunquam

gnum fratri ereptum; *Dirus Amulius* Fast. IV, 53. — *Palilibus*. Plerique *Parilibus*; Burmannus notat quinque, in quibus *paratibus* (ut in codice nostro Regio A; codex B, *Palilibus*); vide Heinsium ad Fast. IV, 721. *Palilia* dies festus in honorem Pales, Deæ pastoritiæ, quo die Roma condita (Velleius, I), et quem ideo summa religione celebrabant Romani; Dionys. Halic. I, 88. — *Bella gerunt* propter raptum Sabinarum. *Ed.* — *Arci* Romanæ præerat Sp. *Tarpeius*, cujus filia, quum aquam sacris petitum extra mœnia isset, corrumpi se auro passa est a *Tatio*, ut *Sabinos* in urbem acciperet: intromissi *congestis armis* obrutam necavere. Varie tamen illa res tradita; vid. Livius, I, 2; Dionysius Halic. II, 38-40. — *Digna animam pœna*. Vulgo (et in codicibus Regiis) *Dignam animam pœna*. — Pro *exuit* permulti (et Reg. B) *edidit*; Heinsius, quum in vetustioribus (ut in codice Regio A) *eruit*, suspicatur *obruit*: suadet etiam *Dignæ animam pœnæ congestis dedidit armis*. Cæterum *exuit animam*, deposito corpore tamquam veste, ut recte ait Lutatius ad Statium, X, 943, ubi *Exuiturque animus*.

778. *Sati* nunc sunt incolæ *Curium*, urbis primariæ Sabinorum. — *Tacitorum*, quia prædam petunt. Quidam habent *rapidorum*, aut *rabidorum*. — *Corpora* melius, quam Romanos, quia de sopore sermo. Hunc locum Priscianus, lib. II, p. 582, legit ita: *ut corpora... Invadunt, portasque premunt, quas objice fultas Clauserat Iliades*; et laudat *objice fultas*, id est firmatas, munitas: non male; Tibullus, I, II, 6, *Clauditur et dura janua fulta sera*; Virg. Æneid. VIII, 227, *fultosque emuniit objice postes*; Noster Art. Amat. II, 244, *Atque erit apposita janua fulta sera.* — *Iliades*, Romulus Iliæ filius, quæ eadem Rhea Sylvia dicta; Fast. IV, 54; vide Perizonium et Rickii epistolas amœbeas de ea ad Æliani Var. Hist. tom. I, pag. 510 sqq. — Pro *recludit*, vulgo (et in codice Regio B) *reclusit*. — *Saturnia*, Juno veterem iram exercens etiam in Æneæ posteros.

784. *Nisi quod* etc. vide ad II, 677.

Dis licet acta Deum. Jano loca juncta tenebant
Naides Ausoniæ, gelido rorantia fonte:
Has rogat auxilium, nec Nymphæ justa petentem
Sustinuere Deam; venasque, et flumina fontis
Elicuere sui : nondum tamen invia Jani
Ora patentis erant, neque iter præcluserat unda.
Lurida supponunt fecundo sulfura fonti,
Incenduntque cavas fumante bitumine venas.
Viribus his aliisque vapor penetravit ad ima
Fontis; et Alpino modo quæ certare rigori
Audebatis aquæ, non ceditis ignibus ipsis.
Flammifera gemini fumant adspergine postes,
Portaque nequidquam rigidis permissa Sabinis

—*Janus*, templum Jani, quod Romulus ædificasse creditur. Ibi aquæ calidæ. Varro de Ling. Lat. 4 : *Lautolæ a lavando : quod ibi ad Janum geminum aquæ calidæ fuerint.* Inde orta fabula, de qua cf. Fast. I, 265 sqq; Macrobius, Saturn. I, 9; Servius ad Æn. I, 396.—In ipso prælio quum fugerent Romani, precibus Romuli aquæ calidæ scaturire cœperunt, quibus Sabini prohibiti sunt Romanos ulterius persequi; poeta autem precibus Veneris id factum fuisse ait. *Ed.*

787. *Has rogat.* Unus Mediceus *Has petit*, ut sit repetitio Ovidio familiaris. — *Non sustinet* alterum, qui non sustinet ei negare, quod petierat, qui non potest non satisfacere ejus precibus; Cicero ad Div. XI, 13, *Quum sustinere eos non posset;* Livius, XXXI, 13, *Senatus querentes eos non sustinuit.* Quod hic Nymphis tribuitur, id sibi ipsi vindicat Janus, Fast. I, 269 sqq.— *Janus patens*, templum Jani tempore belli patens; Fast. I, 279, *Ut populo reditus pateant ad bella profecto, Tota patet demta janua nostra sera.* Quamquam id demum factum inde a tempore Numæ Pompilii. Male Bersmann. e quibusdam præfert *parentis*, quia Janus Pater dictus est; Lactant. Inst. IV, 3. — *Neque* vim explicandi habet, ut *et* sæpe: nempe unda non præcluserat iter. — *Lurida supponunt* etc. Causam hujus apparatus reddit Lactantius, Arg. « Quæ quum frigidæ hostium » introitum non prohiberent, ex » frigidis in calidas versæ, hostem » averterunt. »

794. *Alpinus rigor*, ut *Scythicum frigus*, in proverbium abierat; Virg. Ecl. X, 47, *Alpinæ nives et frigora Rheni.* — Conjecerat olim Heinsius *Gaudebatis.* — Permulti (et Regius codex B) *flammigera.* — *Gemini postes*, duæ januæ in Jani templo sibi oppositæ. — *Rigidis*, bellicosis; ipse Mars *rigidus* VIII, 20.—Ante Heinsium edebatur *promissa.* — Codex Regius A *promissa;* sed melius in codice B *permissa*, id est tradita. *Ed.*

Fonte fuit præstructa novo; dum Martius arma
Indueret miles: quæ postquam Romulus ultro
Obtulit, et strata est tellus Romana Sabinis
Corporibus, strata estque suis; generique cruorem
Sanguine cum soceri permiscuit impius ensis:
Pace tamen sisti bellum, nec in ultima ferro
Decertare placet, Tatiumque accedere regno.
Occiderat Tatius, populisque æquata duobus,
Romule, jura dabas, posita quum casside Mavors
Talibus adfatur Divumque, hominumque parentem:
« Tempus adest, genitor, quoniam fundamine magno
» Res Romana valet, nec præside pendet ab uno,
» Præmia, quæ promissa mihi dignoque nepoti,
» Solvere, et ablatum terris imponere cælo.
» Tu mihi concilio quondam præsente Deorum,
» Nam memoror, memorique animo pia verba notavi,
» Unus erit, quem tu tolles in cærula cæli;

—*Indueret*. Quidam (et Regius B) *induerat*, quod maluit Mitscherlich. Heinsius conjiciebat *Induitur*.

801. *Generique cruorem cum soceri* etc. Apud Livium, I, 13, raptæ patres, virosque rogant, *ne se sanguine nefando soceri generique respergerent*.—*Permiscuit*. Thuan. et Sprotii *promiscuit*; hinc *promiscue*.—Regii etiam codices habent *promiscuit*. — Pro *in ultima*, unus Mediceus *ad ultima*.—Mox novem *excedere regno*. —Ita codex Regius B; codex autem A *abscedere*; neutrum valet: nam inter præcipuas pacis conditiones, hoc placuit, ut Tatius una cum Romulo æqua potestate paribusque honoribus regnaret. *Ed.* — *Occiderat Tatius*, interfectus Lavinii, anno Urb. cond. 12; Livius, I, 14.—*Jura dare*, imperare; I, 576.—*Æquata*, Sabinis æque ac Romanis; neutris plus favens.

809. *Res Romana valet* etc. Fast. d. l. *habet Romana potentia vires: Sanguinis officio non eget illa mei.*— — De Romulo inter Deos relato, confer Fast. II, 475 sqq.

813. *Memoror*, quod habent duo, aut cum Ennio pro reminiscor et recordor positum esse, aut Nasonem scripsisse, *Nam refero*, h. e. memini, monet Heins. Prius admodum credibile est, quia et versus sequens ex Ennio sumtus. Itaque *memoror* prætuli τῷ *memoro*, quod librariis debetur alterum ignorantibus.—*Pia* in nepotem.—*Unus erit*, nempe Remo, altero filio, interfecto; vide Fast. d. l.—*Cærula cæli*, cælum cærulum. Ennius, unde hic vs. sumtus, *Unus erit, quem tu tollis ad cærula*

» Dixisti : rata sit verborum summa tuorum. »
Adnuit Omnipotens, et nubibus aera cæcis
Occuluit, tonitruque, et fulgure terruit Urbem.
Quæ sibi promissæ sensit data signa rapinæ,
Innixusque hastæ, pressos temone cruento
Impavidus conscendit equos Gradivus, et ictu
Verberis increpuit, pronumque per aera lapsus
Constitit in summo nemorosi colle Palati :
Reddentemque suo jam regia jura Quiriti
Abstulit Iliaden : corpus mortale per auras
Dilapsum tenues, ceu lata plumbea funda
Missa solet medio glans intabescere cælo.

cæli Templa. Etiam apud Lucretium, I, 1089, V, 770, *cærula cæli* et *mundi*.—*Summa verborum*, verba; Fast. d. l. *sint rata dicta Jovis*.

816. *Cæcis*, obscuris, ut *cæca nox*, *cæca caligo* etc. Mox Ciofanus præfert *terruit orbem*, propter Fast. d. l. *Jupiter adnuerat : nutu tremefactus uterque Est polus*. At h. l. præstat *urbem* propter MSS auctoritatem.—Complures quidem Heinsius notat codices in quibus legit *urbem*; ambo autem nostri Regii dant *orbem*, et mihi certe videtur significavisse, ita cælum tonuisse ut universus terrarum orbis ruere visus sit : idem docet Livius. *Ed*.—*Quæ sibi* etc. Mars sentit, his signis concedi sibi hoc, ut Romulum e terris *raptum* inferat cælo.

819. *Pressos temone* pro, junctos currui. Pro curru posuit temonem, qui et *premit* equos et ab iis *premitur*. Ita melius puto, quam cum Gronovio in Diatrib. Stat. p. 401, emendare, *prensos temone*, (atque ita postea in uno MS Moreti reperit Burmannus), idque dictum putare pro prensos jugo, quia temo jugum continet. — *Cruento*, nempe e præliis.—*Verberis*, flagelli. —*Increpuit*, incitavit.—Octo dant *pronusque*; Junian. *purumque*, ut Horat. I, 34.—Regii ambo *pronumque*.

823. *Reddentem...abstulit*. Factum hoc esse, quum ad Capreæ paludem exercitum lustraret, tradunt historici. *Jura* ibi *dedisse* etiam Fast. d. l. narratur. Neque h. l. ipse in *Palatio* fuisse memoratur, sed Mars ibi constitit, ut deinde e vicinia Romulum auferret.—Burmannus monet, *jam* conjungendum cum *suo*, quia post Tatii mortem *Quirites*, id est Sabini, in ejus potestatem concesserant, et ita jam *sui* erant, ut antea Tatii. Ita poeta partem incolarum memorasset pro universis. Lenzius vero sic : reddebat jura populo suo, cui *jam*, interim, Quiritium nomen obvenerat. Olim edebatur *non regia*, idque interpretabantur civilia, æqualia : alii legunt *tunc*. — Regii cod. ambo *non regia*. — *Quiriti*. Raro hoc nomen in singulari numero reperitur.

825. *Ceu plumbea funda* etc. Eadem similitudo etiam II, 727; sumta

Pulchra subit facies, et pulvinaribus altis
Dignior, et qualis trabeati forma Quirini.
Flebat ut amissum conjux, quum regia Juno
Irin ad Hersiliam descendere limite curvo
Imperat, et vacuæ sua sic mandata referre:
« O et de Latia, o et de gente Sabina
» Præcipuum, matrona, decus; dignissima tanti
» Ante fuisse viri, conjux nunc esse Quirini,
» Siste tuos fletus: et, si tibi cura videndi
» Conjugis est, duce me lucum pete, colle Quirino
» Qui viret, et templum Romani regis obumbrat. »
Paret, et in terram pictos delapsa per arcus,
Hersiliam jussis compellat vocibus Iris.
Illa verecundo vix tollens lumina vultu,

e Lucretio, VI, 177: *Plumbea vero Glans etiam longo cursu volvenda liquescit;* ita et Virgilius, Æn. IX, 588, et Statius, Theb. X, 528. Falsum tamen est, *glandes*, globulos, plumbeas in cursu *intabescere*, id est liquescere. Argent. dat *incandescere*.

827. *Pulvinaribus altis*, dignior, qui conviviis Deorum interesset; quod signum divinitatis; vide ad VI, 173. *Pulvinaria*, lecti Deorum in templo positi; hinc et lecti cælestes: Rodius contra *pulvinaria* interpretatur sacellum.—*Trabeati forma Q.* Hæc lucem accipiunt ex Fast. II, 503 sq: *Pulcher et humano major, trabeaque decorus, Romulus in media visus adesse via.* Nempe *trabea* priscorum regum Romanorum habitus; Plinius, IX, 39: ita *succinctus trabea* Picus apud Virg. VII, 188.

829-851. Altera metamorphosis, Hersiliæ in Horam. — *Amitti* simpliciter dicuntur, tamquam verbo proprio, cognati et proximi morientes; vide ad Plinium, IV, Ep. II, 1.—Pro *Hersiliam* (quod legitur in Regiis codicibus) nonnulli *Hersilien.* — *Limite curvo*; quidam *tramite.*—Regii ambo *limite.*—*Vacuæ*, viduæ, quod ex interpretatione habent MSS Junii, Sprotii et unus Basil. Etiam *vacua domus*, quum alter conjugum morte ablatus; Livius, I, 46.

834. *Vir* et *Quirinus* sibi opponuntur quia hoc Dei notionem involvit; Florus, I, 1, *Quirinum in cælo vocari placitum Diis.* Solebant autem consecratis nova nomina dari, ut Leucotheæ et Palæmoni, IV, 541. Conf. Lactantius, Firm. I, 21. — Pro *colle Quirino*, plerique (et Regii codices) *colle Quirini;* vide Bentleium ad Horat. I, Od. 2. — *Templum* Romulo positum in colle Quirino. Templis et sepulcris addi fere solebant *luci.* — *Pictos arcus.* Quidam *varios arcus*, quod fluxit ex interpretatione.— Codices Regii *pictos.*

« O Dea, namque mihi, nec quæ sis dicere promtum est;
» Et liquet esse Deam; duc, o duc, inquit, et offer
» Conjugis ora mihi : quæ si modo posse videre
» Fata semel dederint, cælum accepisse fatebor. »
Nec mora, Romuleos cum virgine Thaumantea
Ingreditur colles : ibi sidus ab æthere lapsum
Decidit in terras; a cujus lumine flagrans
Hersiliæ crinis cum sidere cessit in auras.
Hanc manibus notis Romanæ conditor urbis
Excipit, et priscum pariter cum corpore nomen
Mutat; Horamque vocat, quæ nunc Dea juncta Quirino est.

841. *Nec* (et non)... *et* passim. Ut non promtum est... ita liquet.—*Cælum accepisse fatebor.* Mos eorum, qui felicitatis cumulum adipiscuntur : similiter *Deorum vitam nancisci* et alia; Cic. Attic. II, 1, *digito se cælum putant attingere*; Horatius, I, Od. 1, *sublimi feriam vertice sidera.* Lenz. hoc refert ad Romulum inter cælicolas receptum. Prius melius placet, quippe simile illi V, 556, *vitamque fatebor accepisse.* Multi autem dant *cælum adspexisse fatebor.*—Regii ambo *accepisse.*

849. *Notis*, quibus sæpe eam in his terris amplexus erat. Ut Herculi consecrato Hebe, sic Quirino *Hora* conjux data. Ennius An. I : *Teque, Quirine pater, veneror, Horamque Quirini.* Et *Hora* eadem, quæ Hebe. Nonius Marcellinus, *Hora, juventutis Dea.* Nempe Ὥρα, juventus. Itaque non sine causa *Oram* mutavi in *Horam*, quod et MSS meliores (et Regii ambo), Ennius, Gellius XIII, 22, Marcellinus præferunt. Horam autem esse Hersiliam transformatam Ovidius unus narrat. — *Juncta Quirino*, quia in templo Quirini colebatur. *Ed.*

P. OVIDII NASONIS
METAMORPHOSEON
LIBER DECIMUS-QUINTUS.

N. B. Argumentum hujus Libri decimi quinti Metamorphoseon relatum invenies in serie CANTERI, Tom. III, pag. 42.

FAB. I. QUÆRITUR interea, qui tantæ pondera molis
Sustineat, tantoque queat succedere regi.
Destinat imperio clarum prænuntia veri
Fama Numam : non ille satis cognosse Sabinæ
Gentis habet ritus ; animo majora capaci

1–59. *Myscelos*, postquam Herculis munere absolutus erat a civibus suis, in Italiam proficiscitur, ibique *Crotona* urbem condit, quam Pythagoras studiis suis nobilitat. Inest metamorphosis *atrorum lapillorum in albos*. In narranda Crotonis origine Ovidius alios auctores secutus est, ac nos habemus. — *Qui* recte ab Heins. ex Oxon. MS receptum pro, *quis*. Ita enim *quærere* est circumspicere, quod curæ Romanorum multo melius convenit, quam altero sensu, *Quæritur quis*.—Regii nostri ambo, ut omnes alii præter Oxoniensem, habent *quis* ; sed probanda est emendatio Heinsii : eodem sensu Terentius, Eun. IV, 7, *Quærere qui respondeat*. Ed. — Graviter autem expressit regni curas, *qui tantæ pondera* etc. quamquam tenuis adhuc tunc temporis res Romana. Similiter duces *belli molem sustinere* dicuntur.

3. *Imperio clarum*. Sixi codex *imperio Latio*. *Clarum*, inclytum justitia et religione, consultissimum omnis divini et humani juris. Livius, I, 18. — *Satis habet*, qui acquiescit in aliqua re ; vide Cortium ad Sallustium Jug. XXXI, 20. — Describitur ingenium excellens, quod sapere studet supra tardos populares. *Sabinæ gentis ritus*, disciplinam sacram et civilem Sabinorum, quam tetricam et tristem vocat Livius d. l.—*Capax* a vasis amplioribus ad *animum*, ingenium, translatum.—*Ma-*

Concipit, et quæ sit rerum natura requirit.
Hujus amor curæ, patria, Curibusque relictis,
Fecit, ut Herculei penetraret ad hospitis urbem.
Graia quis Italicis auctor posuisset in oris
Mœnia quærenti, sic e senioribus unus
Rettulit indigenis, veteris non inscius ævi :
« Dives ab Oceano bubus Jove natus Iberis
Litora felici tenuisse Lacinia cursu
Fertur, et, armento teneras errante per herbas,

jora, scitu digniora et graviora. — *Concipit*, scire studet. Frequenter, sed vario sensu, Noster hoc verbo utitur.—*Requirit*, cognoscere cupit, *quæ sit rerum natura*. philosophiam græcam, quæ versabatur in rerum natura explicanda.

7. *Hujus curæ*, hujus studii, ut vers. 65.—*Patria*, *Curibusque*, patria, hoc est Curibus. In *curæ* et *Curibus* captatum esse ab Ovidio lusum verborum, putat Lenzius. — *Herculei hospitis urbs*, Croton, a Crotone, qui *Herculem* quondam *hospitaliter* exceperat, sic dicta, ut docent sequentia.—*Penetraret*, perveniret. Erat sane antiqua traditio, Numam Crotona esse profectum, ibique a Pythagora præcepta sapientiæ cognovisse. Sed eam gravissimis argumentis refellit Livius d. loco, et « suopte ingenio temperatum Numæ animum virtutibus fuisse *opinatur* magis; instructumque non tam peregrinis artibus, quam disciplina Sabinorum. » Cic. Tusc. IV, 1, arbitratur, propter Pythagoreorum admirationem Numam quoque regem, Pythagoreum a posterioribus existimatum. Commode tamen in rem suam traditione illa usus est poeta.

9. *Graia mœnia*, quia Croton pars Græciæ Magnæ in ea Italiæ ora, quæ hodie *Calabria* dicitur.—*Italicis oris*. Primus Pal. Urbinas, Arondel. et alii *Italis*; Heinsius conjicit *Italiis*.—Regius codex A *Italis oris*; codex B *Italicis*; confer XIV, 17, ubi ambo iidem codices habent *Litore in Italico*; infra autem, vs. 59, dant *Italis in finibus urbis*. Ed. — *Auctor posuisset*, condidisset : *auctor* plenitudinis causa additur; Virgilius, Æneid. V, 17, *Si mihi Jupiter auctor Spondeat*; Phædrus, prol. 1, *Æsopus auctor quam materiam reperit*.—*Veteris ævi*, antiquitatis, historiæ antiquæ. — Pro *non inscius* Leidensis *non nescius*.

12. *Jove natus*, Hercules, *bubus Iberis*, Geryonis Hispaniæ regis, *dives* (quia divitiæ illis temporibus censebantur numerosis gregibus), *ab Oceano*, ubi Erythea, Geryonis insula, veniens, feliciter in illis locis adpulit.—*Lacinia litora*. Liv. XXIV, 3 : « Sex millia aberat ab urbe (Crotone) nobile templum, ipsa urbe nobilius, Laciniæ Junonis, sanctum omnibus circa populis. » De promontorio *Lacinio* vid. Plinius, III, 10. Cæterum summa religione in istis oris Hercules colebatur, et multa ejus monumenta ostendebantur; vid. Diod. Sic. IV, 20; Strabo,

Ipse domum magni, nec inhospita tecta Crotonis
Intrasse, et requie longum relevasse laborem;
Atque ita discedens, Ævo, dixisse, nepotum
Hic locus urbis erit; promissaque vera fuerunt.
Nam fuit Argolico generatus Alemone quidam
Myscelos, illius Dis acceptissimus ævi.
Hunc super incumbens pressum gravitate soporis
Claviger adloquitur: « Patrias, age, desere sedes;
» I, pete diversi lapidosas Æsaris undas. »
Et, nisi paruerit, multa ac metuenda minatur.

VI, pag. 281; et Dionysius Halic. I, 39-44, qui res ab eo in Italia gestas et fabulose narrat, et ad fidem historicam interpretari conatur.—*Inhospita tecta.* Vide ad I, 218. De *Crotone* confer vers. 55. Apud Diodorum Sic. IV, 24, Hercules Crotoni, quem imprudens interfecerat, monumentum ponit, addito hoc ipso, quod jam sequitur, vaticinio, fore, ut ibi aliquando urbs condatur, et a Crotone nomen trahat. Sed Heraclide de Polit. auctore, ipse Croton urbem illam posuit.

18. *Hic locus urbis erit*, hoc loco urbs condetur. — *Promissa*, vaticinium.—Pro *fuerunt*, Arondel. *fuere*; Heinsius putat *fuisse*.

20. *Myscelos* recte rescriptum ab Heinsio: nam Dionysius Halicarn. Schol. Aristoph. ad Nub. 370, Strabo, Μύσκιλος, aut Μύσκελλος scribunt. Argis et ipse habitasse videtur. Pausanias vero Lac. Ep. 3, narrat, Polydoro regnante, a Lacedæmoniis coloniam esse deductam Crotonem. Herodotus, VIII, 47, Κροτωνιῆται δὲ γένος εἰσὶ Ἀχαιοί. Ducem coloniæ *Myscelon* nominant et alii; vid. Strabo, VIII, p. 593.—*Illius ævi*, hominum illius ævi — *Incumbens*, ut XI, 657.— Et membra *somno gravia* et *sopor* ipse *gravis*, quia reddit membra gravia. Gravitati accommodatum est τὸ *pressum*, pro quo unus Mediceus et sec. Ambrosianus *mersum*. — *Claviger* aut *clavigerum numen*, pro Hercule, obvium apud poetas. Apud Schol. Aristophanis, ad Nub. 370, Myscelos oraculo jubetur urbem condere, quo loco ipsum imber cælo sereno deprehenderit. Idem oraculum de Phalantho, Tarenti conditore, refert Pausanias, Phoc. p. 822. Videntur autem harum duarum urbium origines confusæ esse a veteribus. Itaque etiam Lactantius in Arg. hanc fab. addit: « A proximo tumulo, cui Tares, » Neptuni filius, subjectus erat, » Tarentum nominavit. »

22. *Patrias, age... Æsaris undas.* Ita ordinem verborum ex Palatino restituendum primus monuit Gruterus, adprobante Heinsio; olim edebatur: *Lapidosas Æsaris undas, I, pete diversi; patrias, age, desere sedes.* — Priscam lectionem habet codex Regius A; recentiorem autem codex B, sed a manu secunda, priori erasa.—*Diversi*, in aliis, iisque remotis terris fluentis; II, 323, Phaethon reperitur *diverso in orbe.* —*Æsar* alias *Æsarus*, Αἴσαρος, vo-

Post ea discedunt pariter somnusque Deusque :
Surgit Alemonides, tacitaque recentia mente
Visa refert, pugnatque diu sententia secum.
Numen abire jubet ; prohibent discedere leges ;
Pœnaque mors posita est patriam mutare volenti.
Candidus Oceano nitidum caput abdiderat Sol,
Et caput extulerat densissima sidereum nox :
Visus adesse idem Deus est, eademque monere ;
Et, nisi paruerit, plura et graviora minari.
Pertimuit, patriumque simul transferre parabat
In sedes penetrale novas ; fit murmur in urbe,
Spretarumque agitur legum reus : utque peracta est
Causa prior, crimenque patet sine teste probatum,
Squalidus ad Superos tollens reus ora manusque ;

catur. — Fluvius est Calabriæ, qui mediam Crotonam præterfluit. *Ed.*

26. *Alemonides ;* Myscelus, Alemonis filius. *Ed.* — *Recentia.* Oxoniensis, primus Basil. primus Moreti et alii *recondita.* — *Visa refert ;* secundum quietem visa secum volutat. Verbum *referre* sic alibi quoque usurpat Noster, pro recogitare, cogitatione et animo repetere, secum recolere. *Ed.*—*Sententia pugnat secum* pro, Myscelos sententiis suis pugnat secum, varias habet sententias. Amant veteres hoc loquendi genus : plane sic Horatius, I, Epist. I, 97, *Mea quum pugnat sententia secum ;* infra vers. 648, *Dissidet et variat sententia.*—*Discedere,* nempe cum colonia.

30. *Candidus* a puro nitore. *Candida Aurora* Tibullus, I, III, 94 ; *Lucifer albus* infra vs. 189. — Præclare nocti *caput sidereum*, stellis distinctum, tribuitur, idque *effert*, quum ingruit ; Horatius, Epod. II, 17, *decorum mitibus pomis caput Autumnus arvis extulit.*—*Plura et graviora.* Confer cum hoc somnio id, quod de Atinio Liv. II, 36, refert.

34. *Patrium penetrale*, penates, Deos patrios, quorum simulacra stabant in penetrali. Hinc *Dii penetrales* apud Cic. Nat. Deor. II, 27. Qui enim in novas sedes migrabant, Penates secum transferre solebant, ut et ibi patriam religionem instituerent ; Virg. de Ænea, *dum conderet urbem Inferretque Deos Latio.*

36. *Agitur reus*, accusatur. Nam in jure Romano *agere lege* dicebantur, qui ex lege vel accusabant, vel petebant.—*Causa prior* quæ sit, non liquet. Tan. Faber male emendabat, *Causa fuit ;* melius Heinsius, *Causa viri.* Sine dubio *causa prior* est prior pars causæ, cognitio judicis. Postea sententiæ ferebantur, quæ erat causa posterior. — *Squalor* et *sordes* tribuuntur reis, lugentibus, supplicantibus.—Pro *tollens,* quod primus dedit Ciofanus, legebatur vulgo, ut in cod. Regio A, *tendens.* Ed.

» O cui jus cæli bis sex fecere labores,
» Fer precor, inquit, opem : nam tu mihi criminis auctor. »
Mos erat antiquus, niveis atrisque lapillis,
His damnare reos, illis absolvere culpæ.
Nunc quoque sic lata est sententia tristis; et omnis
Calculus immitem demittitur ater in urnam.
Quæ simul effudit numerandos versa lapillos,
Omnibus e nigro color est mutatus in album;
Candidaque Herculeo sententia munere facta
Solvit Alemoniden : grates agit ille parenti
Amphitryoniadæ; ventisque faventibus æquor
Navigat Ionium, Lacedæmoniumque Tarentum

39. *O cui jus cæli* emendarunt Muretus, Scaliger et Meursius; olim edebatur *O cujus cælum*; unus Vaticanus, Farnes. in margine, Arond. et decem alii *O tu quem celebrem*; Oxon. et Medic. *O cujus celebrem*. —Τὸ *cælum* abest a codice Regio A, nec possit dici illud fuisse abrasum; codex B, sed a secunda manu, *O cujus cælum*; antiqua scriptura deleta ferro. *Ed.* — *O cui jus* etc. quem duodecim labores dignum probarunt, qui reciperetur inter Deos. Seneca, Agam. 812, *Tuus ille bis seno meruit labore Allegi cælo magnus Alcides*. Formulam *jus facere* comprobat Heins. ex Fast. VI, 25. — *Criminis auctor*, quia suasit et minis perpulit, ut commigraret. *Ed.*

41. *Mos erat antiquus*. Olim (ut in cod. Regio A) legebatur, *Mos erat antiquis*. — *Lapillis*, ψήφοις, unde ψηφίζεσθαι. Postea fabæ, κύαμοι, usurpabantur. Breviter autem locutus est pro, *lapillis* uti, atque *his damnare* etc. — *Culpæ*, ut alibi *injuriarum aliquem absolvere*. *Culpæ* e Thuan. et quarto Mediceo recepit Heinsius, pro vulgat. *culpa* (quod legitur in codice Regio A); multi *culpam* (ut in codice B) aut *culpas*. —*Sententia tristis*, severa, ingrata, quæ reddit reos tristes. Similiter apud Cic. *tristis judex*, et *tristis litera*, litera damnans C. — *Immitis urna*. quia sententia immitis, dura : sic III, 697, *crudelia necis instrumenta*.

47. *Candidaque... munere*. Plurimi (ut Regii ambo codices) *numine*. Paulo audacius, lapilli, quibus sententia declarabatur, candidi facti erant beneficio Herculis. — *Solvit* pro composito absolvit. Lenzius conjicit, judices ipsos, Alemonis somnio commotos, albos demisisse calculos.

50. *Tarentum præterit* etc. More suo nominat rursus plura loca, quæ ille præterierit. — *Lacedæmonium*, quo Lacedæmonii, duce Phalanto, coloniam deduxerunt; Pausanias, Phoc. p. 822; Justinus, III, 4. De reliquis vide Plinium, III, 11: *Oppidum Croto, amnis Neæthus. Oppidum Thurium inter duos amnes Arathin et Sybarin, ubi fuit urbs eodem nomine*. Deinde pluribus interjectis, *Barion ante Iapyx a Dædali filio, a*

Præterit, et Sybarin, Salentinumque Neretum,
Thurinosque sinus, Temesenque, et Iapygis arva.
Vixque pererratis, quæ spectant litora, terris,
Invenit Æsarei fatalia fluminis ora;
Nec procul hinc tumulum, sub quo sacrata Crotonis
Ossa tegebat humus : jussaque ibi mœnia terra
Condidit, et nomen tumulati traxit in urbem.
Talia constabat certa primordia fama
Esse loci, positæque Italis in finibus urbis.
II. Vir fuit hic ortu Samius : sed fugerat una

quo et Iapygia.—*Neretum*, quod se etiam Lenzio probavit, dedimus, quia sic, aut *Nerethum* scriptum duobus Maffei MSS, in Farnes. et uno Cælest. reperit Ciofanus, et olim edebatur *Nerethum*. Namque *Nerethum* Regius nullam aliam ob caussam invexit, quam quod meminerat, Strabonem hunc facere Salentinorum fluvium. Posset forsan et cum quatuor Vaticanis et altero Cælestino *Veretum* scribi; Plinius, III, 11 s. 16, *Salentinorum Aletini*, *Neretini*, *Valentini*, *Veretini*. Ptolemæus quidem III, 1, et *Neretum* et *Veretrum* in mediterraneis Salentinorum ponit; sed talia Ovidius parum curavit. — Codex noster Regius A, quantum perspici potest, dat *Nerethum*; codex B *Neretum*.— De *Temesa*, urbe Bruttiorum, vidimus ad VII, 207. Sed eam præterire non potest, qui e Græcia profectus, Æsaris ostia petit. Itaque Burmannus, postquam *Crimisen*, *Cameren* aut *Temenen* reponendum suaserat, credit, Nostrum secutum esse eos, qui *Temesen* eamdem urbem fuisse putarunt, quæ et Brundusium. Alii aliter.

54. *Fatalia*, ab Hercule ei adsignata. *Fata* enim sunt ea, quæ Dii fantur. Nisi dicas, Herculem fato sic volente ita jussisse.—*Sacrata* et *sancta* erant sepulcra, quia violari, moveri, deleri sine pœna non poterant.—*Humus sub tumulo tegit ossa* e sermone poetico Romanorum fluxit, e quo etiam Virgilius, Georg. IV, 457, dixit, *Tellus fundit humo victum*; vide ad XI, 603.

58. *Talia constabat... urbis*. Hos versus duos suppositos esse arbitrabatur Tanaq. Faber; sed leguntur in omnibus libris scriptis. *Ed.*—De originibus Crotonis multa habet Leopard. in Emendatt. cap. 14.

60–478. *Dogmata nonnulla Pythagorica*, quæ quum de mutationibus agant, ornatumque facile admittant poeticum, locum in hoc opere habent commodum. Etiam hoc placet, quod Pythagoras ipse docens inducitur. De Pythagora, viro insigni, ejus rebus, institutis, familia, copiose et subtiliter disputat *Meiners in der Geschichte der Wissensch. in Griechenland und Rom* tom. I, lib. 3.

60–72. *Vir fuit* etc. De Pythagora ipso, ejusque philosophia universe. —*Hic*, Crotone, postea etiam Metaponti, ubi decessit; Cicer. Fin. V, 2; Justinus, XX, 4. Reversus a peregrinatione, qua Ægyptum lustra-

Et Samon, et dominos; odioque tyrannidis exsul
Sponte erat : isque, licet cæli regione remotos,
Mente Deos adiit; et, quæ natura negabat
Visibus humanis, oculis ea pectoris hausit.
Quumque animo, et vigili perspexerat omnia cura,
In medium discenda dabat; cœtusque silentum
Dictaque mirantum, magni primordia mundi,
Et rerum causas, et quid natura, docebat;

verat, Persarumque, ut veteres tradunt, magos adierat (Cic. Fin. V, 29), oppressam reperit patriam *tyrannide* Polycratis; Diogenes Laert. VIII, 47; Plutarchus, de Placit. I, 3. Quæ nova patriæ forma ei displicuit, sub qua non putabat se effecturum, quæ moliretur, quum contra Græciæ Magnæ civitates eum multis causis invitarent; *Meiners*, p. 392. —*Fugere* pr. de exsule; *exsul* autem etiam is, qui sponte patriam deserit. — *Dominos*, dominum, tyrannum. Vixit autem Pythagoras, si verius ætatem ejus scire cupias, vel Servio Tullio regnante Romæ, ut vult Livius, I, 18, vel tempore Tarquinii Superbi et Bruti, secundum Cic. Tusc. I, 16; IV, 1. De his omnibus vide Lactantii Argumenta.

62. *Remotos*. Vulgo (et in Regiis codicibus) *remotus*, quod malim. Cf. XII, 41, *quamvis regionibus absit*. — *Mente Deos adire* alibi de precibus, h. l. de studio divinæ naturæ cognoscendæ.—*Haurire*, quum omnino sit percipere, et de sensibus et de animo usurpatur; *oculis pectoris hausit*, ingenio percepit, cognovit abditas naturæ vires. Etiam Cicero, Tusc. I, 16, Pherecydem laudat et Pythagoram, quod primi sevocaverint mentem a sensibus, et cogitationem a consuetudine abduxerint, quum antea homines nihil animo videre possent, sed omnia ad oculos referrent.

65. *Vigili cura*, diligente et adsiduo studio.—*In medium discenda dare*, tradere docendo. Alter Strozzæ habet *perspecta dabat*, ut sit repetitio Ovidio familiaris. — Pro *cœtus* vulgo, et apud Mitscherlich. legitur *cœtum*, quod improbat Burmannus propter sequens *silentum*. Codex Regius A habet *cœtus*, codex B *cœtum*. *Cœtus* de scholis philosophorum. Etiam Livius, d. l. de Pythagora, *juvenum æmulantium studia cœtus habuit*. Sed ibi *cœtus* conventus discipulorum, h. l. ipsi discipuli. Eorum *silentium* notum, quo arcana societatis custodire jubebantur; vide *Meiners*, p. 454.—*Dicta* autem ejus *admirabantur* tantopere, ut ea dicerent θεοῦ φωνάς, ut in disputando quum ex iis quæreretur, quare ita esset, responderent, *Ipse dixit*, ut denique ex domo ejus templum facerent, ipsumque pro Deo colerent; Justinus, XX, 4. Confer *Meiners*, pag. 448 sqq.

68. *Rerum causas, et quid* etc. Sic et alii poetæ philosophiam circumloquuntur, v. c. Propertius, III, III, 47 sqq; Statius Silv. V, 3; Theb. VI, 125 sqq; Claudianus, XVII, 100 sqq : quamquam Pythagoras in physica non acquievit. Ab Horatio, I, Od. XXVIII, 14, vocatur *non sor-*

Quid Deus; unde nives; quæ fulminis esset origo;
Juppiter, an venti, discussa nube, tonarent;
Quid quateret terras; qua sidera lege mearent;
Et quodcumque latet; primusque animalia mensis
Arguit imponi : primus quoque talibus ora
Docta quidem solvit, sed non et credita, verbis :
« Parcite, mortales, dapibus temerare nefandis
Corpora : sunt fruges, sunt deducentia ramos
Pondere poma suo, tumidæque in vitibus uvæ :
Sunt herbæ dulces, sunt, quæ mitescere flamma,
Mollirique queant : nec vobis lacteus humor
Eripitur, nec mella thymi redolentia florem.

didus auctor Naturæ verique, h. e. præstantissimus doctor physices et ethices, in quas partes divisa olim erat philosophia universa. — *Quid Deus.* Barthius ex MSS legit *Quis Deus;* ita legitur in nostro codice Regio B. Fortasse hunc versum respexit Statius, V, Silv. III, 21 : *Quis Deus, unde ignes, quæ ducat semita solem.* Ed. — Doctrina de *Deo* pars erat physices, quia hæc causas rerum exponit, Deus autem est omnium rerum causa æterna.

72-175. *Animalia mensis* etc. A carnium esu deterret. Eum omnem suis Pythagoram interdixisse, sane multi veterum tradunt. Sed hoc Empedoclem potius fecisse, ex ejus fragmentis constat; eumque forsan Ovidius, h. l. expressit. Abstinentiam illam ab omni carnium usu seriores Pythagoræi amplexi sunt; vid. *Meiners*, pag. 418 sqq. Imitatus est h. l. e Nostris Zachariæ in Partibus diei, pag. 24 et 26. — *Arguit*, crimini dedit, nefas esse docuit. Bernegger. primus Basileens. Jureti excerpt. Barberin. Arondel. et unus Vossii *arcuit*, id est vetuit; idque placet Heinsio : recepit Mitscherlichius.—*Arguit* legitur in codice A; *arcuit* in codice B.—Disputationum adsiduitate Crotoniatas ad frugalitatem revocasse traditur a Justino, d. l.

75. *Parcite mortales* etc. Verbis gravissimis sententiam proponit. — *Temerare*, polluere, violare.—De cibis corpori humano non destinatis, est etiam apud Silium, II, 472.—*Nefandis*, abominandis, a natura homini non destinatis.—Apud nostros hæc Pythagoræ verba transtulit *J. J. Rousseau*, *Émile*, lib. II. *Ed.*

76. *Sunt...sunt.* Argumentum primum a multitudine et suavitate frugum ductum, in quibus commendandis utitur verbis suavissimis. *Poma* insigni multitudine (*deducentia ramos*, ut XIII, 812, *poma gravantia ramos;* Remed. 175, *curvatos pomorum pondere ramos*), *uvæ tumore*, h. e. magna copia succorum, herbæ *dulcedine* nos invitant, et si qua habent duram acerbamve naturam, tamen *flamma*, coquendo, mitescere possunt.—*Eripitur*, interdicitur. — Pro *florem*, vulgo *flore* : utrumque recte. — Ambo Regii nostri dant *florem*.

Prodiga divitias, alimentaque mitia tellus
Suggerit, atque epulas sine cæde et sanguine præbet.
Carne feræ sedant jejunia; nec tamen omnes:
Quippe equus, et pecudes, armentaque gramine vivunt.
At quibus ingenium est immansuetumque, ferumque,
Armeniæque tigres, iracundique leones,
Cumque lupis ursi, dapibus cum sanguine gaudent.
Heu quantum scelus est, in viscera viscera condi,
Congestoque avidum pinguescere corpore corpus,
Alteriusque animantem animantis vivere leto!
Scilicet in tantis opibus, quas optima matrum
Terra parit, nil te nisi tristia mandere sævo
Vulnera dente juvat, ritusque referre Cyclopum?
Nec, nisi perdideris alium, placare voracis,

83. *Carne feræ* etc. Esus carnium similes reddit homines bestiis, iisque immanissimis. — *Ingenium*, naturalis indoles, bestiis, arboribus, agris tribuitur. — *Armeniæ tigres* etiam VIII, 121, et passim. *Armeniæ* autem adjective capiendum, ut solent poetæ; Tibullus, III, VI, 15, et Propertius, I, IX, 19, *Armenias tigres*; Am. II, XIV, 35, *in Armeniis tigres latebris*.

88. *Heu quantum scelus* etc. Scelus est, corpus sui generis alimentis nutrire, cædeque animantium vivere. Repetitio verborum *viscera viscera*, *corpore corpus*, *animantem animantis*, et vers. 175, *sanguine sanguis*, nunc non est merus lusus, ut putabat Schirachius, sed facit, ut vis τοῦ *sui generis* fortius sentiatur. *Viscera* omnino carnes. Servius: « Quidquid sub corio est, viscera dicunt; » vide ad VI, 651, et de *condere* ad 664; XII, 17. — *Congesto corpore*, congestis corporibus. — *Pinguescere* cum invidia dictum. — Pro *alteriusque*, Burmannus malit *alternisque*, ut est in Francof. — *Scilicet* nunc indignantis est. — Lege orationes duas περὶ σαρκοφαγίας, quæ adscribuntur Plutarcho. — Ante Heinsium edebatur *Terra creat*; is autem ex vetustioribus recepit *Terra parit*, quod legitur in nostro codic. Regio A, et pluribus Nostri ac cæterorum scriptorum exemplis illustravit. *Ed.* — *Vulnera mandere* durum pro bestias vulneratas et mactatas; I, 190, *vulnus recidere*, membrum vulnere morbidum. — *Cyclopes* carnes adeo humanas devorabant. Homer. Od. I, 289, 311. Sed respexit h. l. Virg. Æneid. III, 626, ubi de Cyclope, *Vidi atro quum membra fluentia tabo Manderet, et tepidi tremerent sub dentibus artus*. — Gronovianus habet *læto dente*, pro *sævo*; illudque non displicet Burmanno, ut sit oppositio inter *tristia vulnera* et *læto dente*. — Ambo nostri Regii *sævo dente*. — Pro *placare* unus Heinsii *pacare*; sed nihil mutandum is putat.

Et male morati poteris jejunia ventris?
At vetus illa ætas, cui fecimus Aurea nomen,
Fœtibus arboreis, et, quas humus educat, herbis
Fortunata fuit, nec polluit ora cruore.
Tunc et aves tutas movere per aera pennas,
Et lepus impavidus mediis erravit in agris;
Nec sua credulitas piscem suspenderat hamo:
Cuncta sine insidiis, nullamque timentia fraudem,
Plenaque pacis erant: postquam non utilis auctor
Victibus invidit (quisquis fuit ille) virorum,
Corporeasque dapes avidam demersit in alvum;

— *Mali mores* ventris sunt voracitas. Persius, in prol. vocat ventrem *artificem mali*, ut γαστὴρ κακοεργὸς Homer. Od. E, 54. *Ed.*

96. *At vetus illa ætas* etc. Aurei sæculi innocentia abstinebat ab his victibus. — *Aurea nomen*, ut I, 168, *Lactea nomen habet*; vide Burmannum ad V Fast. 595. — De *fætibus arboreis* ad I, 104. H. l. fœtus illi merito *arborei* vocantur non *arbutei*, quia commendantur a suavitate. — *Fortunata* gravius, quam contenta. — *Tunc et aves* etc. e Virg. Georg. I, 139 sqq. *Tutas*, quod plurimi habent, ut magis poeticum prætulimus τῷ *tutæ*. Prætulit et Mitscherlich. — Heinsius autem rectius judicabat *tutæ*, quod habent ambo nostri Regii codices; idem dederat Burmannus. *Tutæ* erant, id est, securæ volaverunt, quia illis retia tunc non tendebantur. *Ed.* — Mox quidam, ut Oxoniensis habent *intrepidus*.

103. *Postquam non utilis auctor* etc. Indignissima consuetudo serius irrepsit, non constat quo auctore. *Non utilis* per λιτότητα, perniciosissimus. — *Victibus invidit*, in contemtum eos redegit, quia qui invident aliis, detrahere de iis solent. Vide nos ad Plinium, II, Ep. x, 2. Sed ita addi debebat, quibus victibus inviderit. Apparet igitur parenthesin claudendam esse post *ille*: quod nos adeo fecimus, quum cæteri post *virorum* claudant. Lenzius subintelligit, *invidit* suum honorem. — *Virorum* est, hominum, ut sæpe. Heinsius tamen suadet, *priorum*, id est antiquorum hominum, ut infra vs. 333, III ex Pont. 2, et alibi: Burmannus mallet, *ferorum*, hoc sensu: postquam primus ille (quisquis fuit) edendæ carnis auctor, invidit luporum et leonum victibus, quia illi carne vescerentur, stimulatus invidia, primo in cædem ferarum ivit, deinde ad ejus exemplum sævitum contra innocua animalia. Ipse tamen nihil movet, quia mox *ferarum* sequitur, faleturque se accepturum fuisse *priorum*, si codicis alicujus auctoritate id firmaretur. — Ambo Regii cod. habent *Deorum*, quod hic repetitum puto a librario ex lib. I, 32. *Ed.* — *Corporeas dapes*. Omnes dapes sunt corporeæ, sed per *corporeas* hic σαρκικὰς, carneas intelligit. *Ed.* — *Demersit*, ut VI, 644. Octo MSS habent *de-*

Fecit iter sceleri : primaque e cæde ferarum
Incaluisse putem maculatum sanguine ferrum :
Idque satis fuerat; nostrumque petentia letum
Corpora missa neci salva pietate fatemur;
Sed quam danda neci, tam non epulanda fuerunt.
Longius inde nefas abiit; et prima putatur
Hostia sus meruisse mori, quia semina pando
Eruerit rostro, spemque interceperit anni.
Vite caper morsa Bacchi mactandus ad aras
Dicitur ultoris : nocuit sua culpa duobus.
Quid meruistis, oves, placidum pecus, inque tuendos

misit; unus *condebat*; Moreti *congessit*.—Regii ambo *demersit*.

106. *Primaque e cæde ferarum* etc. Jam conjectando originem rei indicare conatur. A rebus licitis exorsi tandem, ut fit, ad nefarias delati sunt. *Prima* pro, primum. Illud recepit Heinsius ex uno Argent. et uno suo; antea erat *primo* (quod legitur in codicibus Regiis).—Idem Heinsius ex tribus dedit *putem* pro *potest* aut *patet*. — Codex Regius A *patet*; codex B *putes*. — *Nostrumque petentia letum*. Quinque, in quibus Hamburg. *potentia*; primus Moreti *nostroque potentia leto*; itaque Heinsius scribendum putabat, aut *nostroque nocentia leto*, aut *nostrique potentia leti*, ut *potens voti* et *mentis*. —Regii ambo *petentia*. — *Corpora*, animalia. — *Mittere neci* ortum ex formulis *demittere orco*, *sub tartara mittere* etc.—*Quam..tam*, ut, ita non. — *Epulanda*. Ergo etiam transitive dixerunt veteres *epulari* cum casu quarto, ut jam in Lexico Fabri notatum video ex hoc ipso loco.

113. *Spemque interceperit*, ut VIII, 292, *Cererem in spicis intercipit*, ubi vide notam. — *Sus*, quæ scrofa dicitur, in sacris Eleusiniis expiationis causa mactabatur; quæ adeo in nummis sæpe Cereris sacra adumbrat. Vide Eckhel. Doctr. Num. Vet. II, 222. Veram autem causam Ovidius non tetigisse videtur; sacra enim illa ex Ægypto translata, ubi sus post inundationem Nili agris utilis. Cæterum suem primam fuisse hostiam, monet etiam Varro de Re Rust. II, 4 : « A suillo pecoris genere immolandi initium sumtum » videtur. Cujus vestigia sunt; quod » initiis Cereris porci immolantur; » et quod initiis pacis, fœdus quum » feritur, porcus occiditur etc. »

114. *Vite caper morsa*. Heinsius malit *Vite rosa*, quia Fast. I, 357, *Rode caper vitem*. Mox ante eumdem Heins. edebatur *mactatus dicitur*; multi *mactatus ducitur*; Heinsius malebat *mactandus ducitur*, quia victimæ duci dicuntur.—Regius codex A, *mactatus ducitur*; codex B, *mactatus dicitur*.

116. *Quid meruistis*, *oves*. Varro, Re Rust. II, 1, 4 : « Putant oves ad» sumtas et propter utilitatem et » propter placiditatem. » —Et *placidus* est epitheton proprium ovium :

Natum homines, pleno quæ fertis in ubere nectar?
Mollia quæ nobis vestras velamina lanas
Præbetis, vitaque magis, quam morte juvatis.
Quid meruere boves, animal sine fraude dolisque,
Innocuum, simplex, natum tolerare labores?
Immemor est demum, nec frugum munere dignus,
Qui potuit curvi demto modo pondere aratri
Ruricolam mactare suum; qui trita labore

Terentius, Ad. IV, 1, 18, *quum fervet maxime, tam placidum quam ovem reddo.*—*Inque tuendos.* Berneg. primus Basileensis, alter Hamburg. unus Moreti, Palatinus unus, et noster Regius B, *inque tegendos;* in eodemque, pro varia lectione legitur *inque tuendos*, cujus glossam esse alteram lectionem puto, quum *τὸ tueri* ad lactis cibum, et ad amictum referri possit, utroque enim humanum genus oves fovent. *Ed.*—*Tueri*, alere, sustentare dicuntur homines armenta (Virg. Georg. II, 195) et vicissim hæc illos. In Cod. Norico adscriptum est scholion, *tuendos, a frigore propter lanas*, idque sequitur Burmannus. Rectius vero etiam ad victum referes, ut duo illa complectatur, quæ jam separatim nominantur. *In tuendos*, ut tueantur homines; Horatius, I, Od. XXVII, 1, *Natis in usum lætitiæ scyphis.* Vide ad V, 591. Mox, *natum tolerare.* Commode Heins. e Catalectis Pithœanis adscripsit hæc: « Pythagoras populo nescis quæ suaserit olim? Si jugulatis oves, quid erit, quod vestiat, inquit? Horriferum contra Borean ovis arma ministret. »

120. *Quid meruere boves.* Pythagoras suos βοὸς ἀροτῆρος ἀπέχεσθαι, a bove aratore abstinere nominatim jusserat. Legibus hoc cautum olim erat apud Athenienses; Ælianus Var. Hist. IV, 14: et Romani capite sanxerant, si quis occidisset; Varro Re Rust. II, 5: et damnatum esse quemdam a populo romano eam ipsam ob causam refert Plin. VIII, 45. Causa ubique adfertur hæc, quia bos arator sit γεωργὸς, *socius hominum in opere rustico, Cereris minister, socius agriculturæ.* Aurea inprimis ætate summum scelus habebatur, boum visceribus vesci; Cicero, Nat. Deor. II, 63. Secundum Arat. vers. 15, æneæ ætatis homines id primi ausi erant. Noster vero non solum ob utilitatem, sed etiam ob simplicem naturam boum causam agit, et ita, ut facile commiserationem faciat. — *Sine fraude dolisque, Innocuum.* Unus Leidensis (et cod. Reg. B) *sine fraude, dolique Innocuum.*—*Simplex* opponitur fraudulento et doloso.—*Natum tolerare labores*, ad tolerandos labores; Cicero, Nat. Deor. II, 63, de bubus, quorum *cervices natæ ad jugum, tum vires humerorum et latitudines ad aratra extrahenda.* — *Demum*, vere; Sallustius, Cat. 2, *is demum mihi vivere videtur;* vid. Cortius ad XII, 5. Sine causa igitur et Bochart. Hieroz. lib. II, cap. 30, conjiciebat, *Divum*, quod etiam in uno MS Basil. repertum est; et Burm. *ille Deum.* — *Trita labore* pro, trita jugo. —*De*

Illa, quibus toties durum renovaverat arvum,
Tot dederat messes, percussit colla securi.
Nec satis est, quod tale nefas committitur; ipsos
Inscripsere Deos sceleri, numenque supernum
Cæde laboriferi credunt gaudere juvenci.
Victima labe carens, et præstantissima forma,
Nam placuisse nocet, vittis præsignis et auro,
Sistitur ante aras, auditque ignara precantem,
Imponique suæ videt inter cornua fronti,
Quas coluit, fruges; percussaque sanguine cultros
Inficit in liquida prævisos forsitan unda.
Protinus ereptas viventi pectore fibras

derat Heinsius mutandum censet vel cum tribus MSS in *dederant*, ut *quæ* subintelligatur, vel in *tulerat*. Sine causa. Agricola boum munere et renovat agrum, et *dat*, procreat, messes. In plurimis autem Italiæ locis tam *durum* erat arvum, ut non nisi quinta, aut nona adeo aratione, ab ingentibus et fortissimis aratris perfringeretur; Plinius, V, Ep. VI, 10; hinc taurus *ingemere aratro* Virgilio dicitur. — Ambo Regii codices *dederat*.

128. *Inscribere Deos sceleri*, Deos facere vel auctores, vel socios sceleris: sic X, 199, *dextram inscribere leto*. Tauris oblatis Jupiter maxime gaudebat; IV, 755.

130. *Victima labe carens*. Curabatur, etiam sacerdote adhibito, ut victimæ sine omni labe et egregiæ essent, τέλεια, ἔκκριτα, ἱερεῖα. Hoc quoque, ut ornatus cornibus additus, displicet commoto nostro Pythagoræ.—Pro *forma* Heinsius malebat *formæ*, ut IX, 451, monet posse legi *præstantis corpora formæ*. — *Nam placuisse*. Multi *Jam placuisse*; Burmannus conjicit *Tam* ut sæpe alibi.—Regii codices *Nam placuisse*. — *Præsignis*; Regius noster codex B, et Basileensis a Burmanno citatus habent *insignis*. Occasione hac utor, admonendi lectoris non omnino habendam fidem Heinsianis observationibus; hic enim docet castigatiores habere *præsignis*, additque vocem eam in deliciis Nostro esse, ut innuatur Ovidium *præsignis* τῷ *insignis* prætulisse. Errat, credo, Heinsius nimia scribendi cupiditate; *insignis* enim multoties apud Nostrum occurrit cum eodem sensu; confer, lector, in Indice utramque vocem. *Ed.* — *Fruges*, nempe molam, farinam sale mixtam (*salsæ fruges*, Virg. Æn. II, 133), qua frons victimæ, focus et cultri adspergebantur. *Ed.* — *Prævisos in unda*, quia aqua in sacris per pelves disposita. Sed hoc nihil valet vel ad indignitatem rei demonstrandam, vel ad commiserationem faciendam. Pro *pectore*, codex Regius A, ut unus Ciofani et plurimi veterum, habet *corpore*. Ed.—*Fibræ* proprie extorum extremitates, deinde omnino exta, h. e. jecur, cor,

Inspiciunt, mentesque Deum scrutantur in illis.
Unde fames homini vetitorum tanta ciborum?
Audetis vesci, genus o mortale? quod, oro,
Ne facite; et monitis animos advertite nostris;
Quumque boum dabitis cæsorum membra palato,
Mandere vos vestros scite, et sentite colonos.
» Et quoniam Deus ora movet, sequar ora moventem
Rite Deum; Delphosque meos, ipsumque recludam
Æthera, et augustæ reserabo oracula mentis.
Magna, nec ingeniis evestigata priorum,
Quæque diu latuere, canam: juvat ire per alta

pulmones. — *Mentes*, consilia Deorum et fata; Silius, I, 124, *Intrare mentes Superum*; V, 59, *Mentes Deorum explorare*.

139. *Audetis vesci* nimis præcise additum; quo interciditur flumen orationis. — *Genus o mortale*. Bersmanni MSS *genus immortale*, quod placebat Grutero, ut ad metempsychosin respiciat; Bersmannus etiam accusativi casus tunc esse volebat: codices Regii ambo *genus o mortale*. — *Dare palato*, mandere; *palatum* enim, tamquam gustus instrumentum, crebro commemoratur, inprimisque homines luxuriosi *palato inservire* dicuntur. — *Colonos*. Sic etiam Plinius, VIII, 45, de eo, qui bovem occiderat, *exactus in exsilium, tamquam colono suo interemto*.

143. *Et quoniam Deus* etc. Hic videtur ad alia progredi, sed e vs. 173 sqq apparet, hæc quoque cum superioribus cohærere. E metempsychosi novum sumit argumentum, non esse mactanda animalia. Sed quia illud dogma vulgo ignotum, propterea se fingit vatem θεοφορούμενον, qui Deo plenus oracula fundat. Hinc etiam oratio se adtollit. — *Deus ora movet*; Apollo me hortatur, ut loquar. *Ed.* — *Sequar*, obsequar, parebo. — *Rite*, decenter, ut in *rite colere Deos*, *rite sacra facere*. Qui explorant atque aliis indicant consilia Deorum, dicuntur *cælo mentem inserere*; Stat. Theb. III, 549: *superas mentes recludere* Silius, I, 19: hinc h. l. *recludere Delphos et æthera*, item *reserare oracula augustæ mentis*, h. e. docere homines incognitas adhuc sententias ab Apolline sibi Diisque revelatas. — *Evestigare* verbum rarum pro, investigare: et quidem plurimi (et Regius codex A) dant *investigata*; alterum accepit Heinsius ex Berneg. Thuan. primo Moreti et aliis. — *Priores*, antiquiores homines; vide Heinsium ad vers. 104.

147. *Juvat ire per alta Astra*. Heinsius putat versum sublimem fore et sonorum, si rescribatur *per ardua Astra*, ut ultima litera τοῦ *arduæ* elidatur ob sequentem vocalem initio sequentis versus. — Si ultimam literam τοῦ *arduæ* elidi nolis, versus dactylicus manebit et jam talem vidimus in libro XII, 395. In illo etiam loco revocavimus lectionem

Astra; juvat terris et inerti sede relictis,
Nube vehi, validique humeris insistere Atlantis;
Palantesque animos passim ac rationis egentes
Despectare procul, trepidosque, obitumque timentes
Sic exhortari, seriemque evolvere fati:
» O genus adtonitum gelidæ formidine mortis!
Quid Styga, quid tenebras, quid nomina vana timetis,
Materiem vatum, falsique piacula mundi?
Corpora sive rogus flamma, seu tabe vetustas
Abstulerit, mala posse pati non ulla putetis.
Morte carent animæ, semperque, priore relicta

codicum, secundum quam versus non solum est dactylicus, sed etiam abundat syllaba, quæ, ob vocalem subsequentis versus, eliditur; hoc autem loco nihil mutandum credimus, quia primus Hamburg. unus Heinsianæ emendationis fuit auctor; immo codicis nostri Regii B librarius scripsit *juvat ire per astra alta*, tamquam omnem dubii locum tollere voluerit. *Ed.* — Mente me adtollam supra terram. — Graviter et vere *iners sedes*. Pro *et inerti* Sixi codex habet *mortali*, ut sit appositio, *terris, mortali sede, relictis.* Ambo Regii codices habent *terris, et inerti sede relicta;* ita olim legebatur, et legi etiam nunc deberet; alteram lectionem ex Juniano solo videtur adtulisse Heinsius: si *mortali* e Sixiano simul adtulisset, non improbanda omnino foret emendatio; sed peccat, servatis voc. *et inerti*. Cæterum Horat. I, Od. XXXIV, 9, dixit *bruta tellus*. Ed. — *Palantes*, qui propter errores et cupiditates huc illuc vagantur, relicta salutari via. Respexit autem Lucretium, II, 9 sqq, de editis Sapientium templis: « Despi» cere unde queas alios, passimque » videre Errare, atque viam palantes » quærere vitæ, Certare ingenio, » contendere nobilitate etc. » idque paulo post tribuit *rationis*, sapientiæ, *egestati*. — *Seriem*, perpetuum rerum cursum. — *Evolvere*, enarrare; *volvere fatorum arcana* dixit Virgilius, Æn. I, 262.

154. *Tenebras*, Orci. — Pro *nomina* multi *numina*: *nomen* sæpe est figmentum, et opponitur rei; Horatius, I, Od. IV, 24, *nox fabulæque manes*: ibi vide Lambin. — *Falsus mundus*, subterraneus, quem finxerunt et in quo describendo occupati sunt *vates*. Ibi crimina in superis commissa *piari* credebantur debitis pœnis. Exemplo sunt Tantalus, Ixion, Tityos. Nec Pythagoræi negabant, animas impiorum post repetitas migrationes pœnas pati atque a Furiis vexari. *Piacula* e Neap. et uno Vossii MS recepit Heinsius pro, *pericula* (quod legitur in codicibus Regiis). — *Vetustas*, senectus.

158. *Morte carent animæ* etc. Sequitur celebratum illud de animarum migratione dogma, quod Pythagoras, Herodoto, Diodoro Sic. et aliis auctoribus, ab Ægyptiis ac-

Sede, novis habitant domibus vivuntque receptæ.
Ipse ego, nam memini, Trojani tempore belli
Panthoides Euphorbus eram, cui pectore quondam
Sedit in adverso gravis hasta minoris Atridæ.

ceptum primus Græcis tradidit; vide Schæffer. de philos. Ital. p. 24 et 32. Quæritur autem, utrum proprie illa intellecta voluerit, quo fortius a carnium esu deterreret homines, quem in finem certe Noster h. l. iis utitur, an allegoria potius quadam ostendere, statum animæ post mortem responsurum vitæ anteactæ, aut notare homines cupiditatibus indulgentes, quorum animæ melius inhabitarent porcorum et luporum corpora. Sunt etiam qui putent, Pythagoram jam obscure vidisse, quod recentiores philosophi apertius docent, animam semper cum schemate quodam conjunctam esse futuram. — In illa eadem prava atque inepta hæresi fuerunt Druidæ, apud Gallos : qua de re Cæsar, Bell. Gall. VI, « inprimis » hoc volunt persuadere, non interire animas, sed ab aliis post mortem transire ad alios; atque hoc » maxime ad virtutem excitari putant, metu mortis neglecto. » Sed inter Pythagoræ et Druidarum opinionem hoc intererat, quod ille aiebat animas hominum ad pecudes etiam transire; hi vero ad homines alios tantum. *Ed.* — *Sedes* et *domus*, corpus; vide ad XI, 788. Unus Moreti habet *Sepe*, quod pro septo, aut claustro capiendum esset; ut ita corpus carcer animæ vocaretur.—Burmannus et Mitsch. ordine inverso, dederunt *domibus habitant.* — Errat hic quoque Gierigius nimis, ut jam admonuimus, in rebus minimis negligens; Burmannus enim nihil mutavit : Mitscherlichius autem quod ediderit non habeo; suspicor tamen virum maximæ in vetustiorum codicum lectiones religionis dedisse *domibus vivunt habitantque*, ut est in ambobus nostris Regiis: et hoc modo metrum vacat licentia. *Ed.* — *Recipere* de migratione animarum etiam apud Tibullum, IV, 1, 210.

160. *Ipse ego nam memini* etc. Hoc commento vel ab ipso Pythagora, vel a discipulis ejus migratio animarum confirmari solebat. Reperitur, sed cum aliqua varietate, etiam apud Horatium, I, Od. XXVIII, 10; Diogenem Laert. VIII, 4 s. Gellium, IV, 11; Lactantium, Inst. III, 18, qui id, more suo, acerbe exagitat; et Schol. Apollonii ad lib. I, p. 30. — *Euphorbus*, Panthi filius, Trojanus fortissimus (Homer. Il. Π, 808 sqq), cujus pectus Menelaus hasta perforavit (Il. P, 47), clypeum autem in πρόναῳ templi Junonis Argivæ suspendit; Pausan. Corinth. p. 148. Anima ejus in Hermotimum, tum in Pyrrhum, tandem in Pythagoram transierat, qui inde et ipse ab Horatio, d. l. *Panthoides* vocatur. Iis autem omnibus singulari Mercurii munere datum erat, ut soli meminissent, qui antea fuerint. Pythagoras igitur quum quondam in templo Junonis plura donaria suspensa videret, clypeum ex iis monstravit, quem, quum Euphorbus esset, gestasset; clypeusque detractus nomen Euphorbi prætulit. Clypei enim ex more veterum cum titulo inscripto consecrari solebant; Virgil. Æn. III, 286 sqq. — *Sedere* solemne de hasta, telo et vulnere; vide Heinsium, qui *sedit* ex veteri

Cognovi clypeum, lævæ gestamina nostræ,
Nuper Abanteis templo Junonis in Argis.
Omnia mutantur : nihil interit; errat, et illinc
Huc venit, hinc illuc, et quoslibet occupat artus
Spiritus, eque feris humana in corpora transit,
Inque feras noster, nec tempore deperit ullo.
Utque novis facilis signatur cera figuris,
Nec manet, ut fuerat, nec formas servat easdem,
Sed tamen ipsa eadem est : animam sic semper eamdem
Esse, sed in varias doceo migrare figuras.
Ergo, ne pietas sit victa cupidine ventris,
Parcite, vaticinor, cognatas cæde nefanda

Politiani libro recepit, pro vulgat. *hæsit.* — Regii codices ambo dant *hæsit ; sedit* Heinsius illustrat permultis exemplis ex quibus, quod minime aptum est, eligit editor *Variorum*, cæteris omissis; confer igitur vel Heinsii ipsius, vel Burmanni librum. *Ed.—Minor Atrides,* Menelaus; Agamemnon erat major natu. *Ed.* — *Abanteis* ab Abante, Lyncei filio (Pausan. Corinth. p. 145), qui a patre insignem clypeum, quem Danaus olim gesserat, e templo Junonis acceperat; Hygin. fab. 273.

165. *Omnia mutantur, nihil interit.* Hoc est principium, unde et immortalitatem et migrationem animarum derivavit. Multa quoque de Pythagoræ metaphysica retulit Laert. in ejus vita. — *Spiritus* pro anima non insolens veteribus; vide Broukhusium ad Propert. III, XVI, 10. —*Quoslibet artus*, cujuscumque generis corpora. Tractat hoc uberius Tibull. IV, 1, 206: « Mutata figuram » Seu me finget equum rigidos per» currere campos Doctum; seu tar» di pecoris sim gloria taurus; Sive » ego per liquidum volucri vehar » aera penna; Quandocumque ho» minem me longa receperit ætas, » Incœptis de te subtexam carmina » chartis. »

169. *Utque novis facilis.* Defendi potest *fragilis,* quod Heinsius e primo Gronovii, uno Vossii et uno Mediceo recepit; quia eam ipsam ob causam simulacra cerea novam subinde accipiunt figuram, quia facile *franguntur.* Exquisitius tamen et sententiæ loci convenientius videtur, quod habent reliqui (et Regii ambo), *facilis*, quæ tractari facile potest, ut *facile lutum* apud Tibull. I, 1, 40; ubi etiam Heynius monet, sibi h. l. magis placere *facilis ;* Virgilius, Georg. I, 266, *facilis fiscina ;* III, 165, *faciles animi;* Plin. VII, Ep. IX, 11, *cera mollis cedensque, si sequatur digitos.* Revocavi ergo antiquiorem lectionem; et vidi, idem factum a Mitscherlichio.—*Signantur* ea, quibus nota imprimitur, sed h. l. quibus nova figura induitur. Totus versus sequens, *Nec manet...easdem* tautologiæ vitio laborat, et melius abesset. — Pro *servat* unus Heinsii *celat.*—Omnis autem hæc similitudo

Exturbare animas; nec sanguine sanguis alatur.
» Et quoniam magno feror æquore, plenaque ventis
Vela dedi; nihil est, toto quod perstet in orbe:
Cuncta fluunt, omnisque vagans formatur imago.
Ipsa quoque adsiduo labuntur tempora motu,
Non secus ac flumen: neque enim consistere flumen,
Nec levis hora potest; sed ut unda impellitur unda,
Urgeturque prior veniente, urgetque priorem;
Tempora sic fugiunt pariter, pariterque sequuntur,

non urgenda nimis est.—*Exturbantur*, qui e sede sua ejiciuntur.

176. *Et quoniam magno* etc. Novum dogma, cui ansam dederunt superiora. A migratione animarum pergit ad mutationem omnium rerum, motumque perpetuum. Itaque exponit de tempore vers. 179–185; de cæli mutationibus vers. 186–198; de quatuor anni partibus vers. 199–213; de hominum corporibus et ætatibus, 214–236; de elementis, origine et mutatione terrarum, 237-272; de mutationibus variorum corporum terrestrium, 273-430; de incrementis futuris civitatis Romanæ, 431–452. Redit eo, unde exorsus erat, ad esum carnium, mactationemque animalium. *Et quoniam... vela dedi*, quoniam copiosam disputandi materiam tractare cœpi, liberrimeque partem ejus absconditam exposui, pergam quo cœpi. *Ventis vela dare* de oratore copiose lateque disputante etiam apud Plinium, II, Ep. XI, 3, ubi vide notam nostram. — *Perstet*, semper idem maneat absque mutatione.—*Fluunt*, mutantur, transeunt fluminis instar. Ῥεῖ τὰ πάντα, καὶ οὐδὲν μένει. — Verba *omnisque... imago* facillima mihi videntur: non nisi vagantes, continuo transeuntes, imagines formantur; vers. 259: *Nil equidem durare diu sub imagine eadem Crediderim*. Burmannus tamen fatetur, se hæc non intelligere, ideoque suadet, *omnisque vagi formetur imago*, h. e. fingite vobis, auditores, omnia ritu fluminis ferri. At hoc mox sequitur vers. 180. Itaque et carere poteramus altera ejus conjectura, quæ longius etiam abit a vulgata scriptura, *omnisque vagi versatur imago*. Bernegger. (et codex Regius B) *vaga*.

179. *Ipsa tempora*, in quibus fiunt illæ mutationes. — *Labi* de celeri temporis decursu dici, notum est. Plurimi tamen veteres non deterius, *volvuntur*, quod eodem sensu de tempore, fluminibus, stellis, dicitur. Itaque multis in locis hæc duo verba confusa a librariis reperiuntur. — *Volvuntur* legitur in Regiis codicibus. — *Consistere flumen*. Si quis vellet calumniari, posset objicere, at consistit hieme glacie constrictum. — *Levis hora* ingeniose, quia celeriter transit. — Ciofanus et Heinsius probabant *repellitur*, quod nonnulli habent. *Impelli* et *urgeri*, verba delecta, quia fluctus fluctum proxime sequitur, acriterque premit. Non minore delectu Horatius, II, Od. XVIII, 15, *Truditur dies die*.

Et nova sunt semper; nam quod fuit ante, relictum est;
Fitque, quod haud fuerat, momentaque cuncta novantur.
Cernis, et emersas in lucem tendere noctes,
Et jubar hoc nitidum nigræ succedere nocti.
Nec color est idem cælo, quum lassa quiete
Cuncta jacent media, quumque albo Lucifer exit
Clarus equo: rursusque alius quum prævia lucis
Tradendum Phœbo Pallantias inficit orbem.
Ipse Dei clypeus, terra quum tollitur ima,
Mane rubet, terraque, rubet, quum conditur ima;
Candidus in summo est: melior natura quod illic
Ætheris est, terræque procul contagia vitat.
Nec par, aut eadem nocturnæ forma Dianæ
Esse potest unquam: semperque hodierna sequente,
Si crescit, minor est; major, si contrahit orbem.
Quid? non in species succedere quatuor annum

186. *Cernis, et emersas* etc. Non intelligebant hujus versus elegantiam Heinsius et Burmannus, qui e MSS Oxon. Arond. et viginti aliis præferebant *emeritas*, quia *emeritus* de cursu finito, tempore exacto, dici solet. At cursu finito non amplius *tendimus*. — Ut vero convenientius loqueretur Gierigius, dicere debebat Heins. quidem primo conspectu adrisisse τὸ *emeritas*, sed eumdem postea fuisse complexum *emensas*, ex Bernegger. altero Hamburgensi, Græviano et aliis duodecim. Regii ambo nostri habent *emensas*. Ed. — Immo noctes *emersæ* e mari, incipientes, non manent diu, sed iter tantum per cælum instituunt, festinantque in eum locum, unde mox lux oritur. Simile foret, si quis dicat; homo, ubi natus est, tendit ad mortem.

188. *Quiete media;* nocte media. — *Cuncta jacent.* Unus Heinsii *Cuncta tacent*, quod is comparat cum *noctis silentiis*, de quibus sæpe apud auctores: vulgatum tamen non damnat. — *Exit* e mari. Male Lenzius, *exit* de cælo, relinquit cælum. Nota varietatem, qua in omni h. l. ortus et occasus expressus. — *Lucifer* equo solitario vehitur, quamquam ei Tibullus, I, IX, 62, currum dedit, quem secuti sunt alii poetæ. — *Albo;* vide ad vers. 30. — *Prævia luci* ex quatuor dedit Heinsius; vulgo, et in nostris codicibus Regiis, *prævia lucis;* quod prætulimus. — *Pallantias;* Aurora, Pallantis filia. *Ed.*

192. *Dei clypeus*, pro orbe solis nove dictum. — *Nec par, aut eadem* etc. Luna semper aut crescit, aut decrescit, nec unquam in eodem permanet statu. *Ed.*

199. *Quid? non in species* etc. Sequens locus insigni venustate con-

Adspicis, ætatis peragentem imitamina nostræ?
Nam tener, et lactens, puerique simillimus ævo
Vere novo est: tunc herba nitens, et roboris expers
Turget, et insolida est, et spe delectat agrestem.
Omnia tum florent; florumque coloribus almus
Ridet ager; neque adhuc virtus in frondibus ulla est.
Transit in æstatem post ver, robustior annus,
Fitque valens juvenis: neque enim robustior ætas
Ulla, nec uberior, nec quæ magis æstuet, ulla est.
Excipit autumnus, posito fervore juventæ

spicuus de quatuor anni partibus. Venustas autem inde est, quod epitheta et attributa, tam per naturam rei, quam ex usu loquendi hominibus et annuis terræ mutationibus communia, ad annum ipsum, tamquam ad personam, translata sunt. Conf. Lucretius, V, 735-746; Claudianus, I, 268-274, et e Nostris Zachariæ in Partibus diei, pag. 10. Breviter hæc delineata habes supra II, 27-30, et apud Horatium, IV, Od. VII, 6 seqq. —*Species*, vicissitudines annuæ.—Pro *succedere* vulgo (et in codice Regio B) legitur *secedere*. *Annus succedit in species quatuor* pro vulgari, species quatuor anni sibi invicem succedunt. —*Peragentem imitamina*, ad imitationem, et hoc nihil aliud nisi similitudinem declarat.

201. *Tener* et *lactens* tam infantibus, quam novis herbis conveniunt; *lactere* enim est et lac sugere et lacte plenum esse.—*Herba*, seges tenera et nova, ut sæpe apud Virgilium, Georg. I; vide et supra VIII, 290. — *Nitere*, ut mox *ridere* et γελᾶν, frequenter et eleganter de læto colore, jucundaque facie frugum, florum, pratorum dicuntur, verno inprimis tempore. Hinc suaviter apud Plautum, Truc. II, 4, de puella, *Ver vide. Ut tota floret! Ut olet! ut nitide nitet!* vide Heinsium.—*Turget* lacteis humoribus; Virgil. Georg. I, 315, *Frumenta in viridi stipula lactentia turgent.* — *Insolida*, non solida, infirma; unus Mediceus *invalida*.—*Spe delectat*, unde seges ipsa *spes anni* toties vocatur, quemadmodum pueri *spes civitatis*.

205. *Ridet ager* habuit Heinsius ex uno Leidensi et unò Vossiano; plurimi, et Regii ambo nostri, *Ludit ager*; de hoc loco videndus est Heinsius. *Ed.* — *Valens*, scilicet viribus; ergo idem quod *robustus*, quod et præcessit et sequitur. Similiter *nec ulla est*, quod modo præcesserat, mox bis repetitur uno versu. Defecit igitur hic Ovidium fecunditas ingenii. — *Uberior*, quia æstas plurimas fruges suppeditat, juvenis autem plurima negotia strenue suscipit. — *Æstuat* annus, quando aer vicinitate solis incandescit.

209. *Posito fervore juventæ Maturus*; Horatius, Art. Poet. 115: « Maturusne senex, an adhuc florente » juventa Fervidus. » Namque *maturus* honestum virorum atque seniorum epitheton, quod gravitatem eorum exprimit; VIII, 617, *animo*

Maturus, mitisque, inter juvenemque senemque
Temperie medius, sparsis per tempora canis.
Inde senilis hiems tremulo venit horrida passu,
Aut spoliata suos, aut, quos habet, alba capillos.
Nostra quoque ipsorum semper, requieque sine ulla
Corpora vertuntur: nec, quod fuimusve, sumusve,
Cras erimus: fuit illa dies, qua semina tantum,
Spesque hominum primæ materna habitavimus alvo.
Artifices natura manus admovit; et angi
Corpora visceribus distentæ condita matris
Noluit, eque domo vacuas emisit in auras.
Editus in lucem jacuit sine viribus infans;
Mox quadrupes, rituque tulit sua membra ferarum;
Paulatimque tremens, et nondum poplite firmo
Constitit, adjutis aliquo conamine nervis.
Inde valens veloxque fuit; spatiumque juventæ

maturus et ævo; vide Bentl. ad Horatium, Art. Poet. 157. — *Mite* et de ingenio leni, et de cælo temperato usurpatur, opponiturque fervori. Sic etiam *temperies* animo sedato et gravi tribuitur. Confer cum hoc loco XII, 464.

212. *Inde senilis hiems* etc. Pictura excellentissima hiemis, in qua singula verba delecta, suavissimeque ab homine sene petita. — *Horrida passu*. Nonnulli *horrida visu*. — *Spoliata suos*. Septem *spoliata suis*.

214. *Nostra Corpora vertuntur*. De mutatione corporis nostri, fluxuque perpetuo partium ejus, et verissime et pulcherrime disputat. — Bene *spes hominum primæ*, semina, unde sperare licet oriturum hominem. Sic flores arborum sunt *spes baccarum*. — Recte etiam *habitavimus*, quia *alvus*, id est uterus matris, est *domus* vers. 220. Male igitur Scheperus corrigit *latitavimus*. — *Artifices manus*, ut apud Gellium, XII, 1: « In ipsis hominem primordiis, dum » fingitur et animatur, inter ipsas ar» tificis naturæ manus interficere. » — Noluit natura diutius ibi habitare corpora, quia ibi *condita*, sine sensu et motu jacent, quia mater *distenta* gravi onere premitur, et quia infans angusto loco *angitur*.

222. *Quadrupes*, reptans; videturque allusum ad Sphingis ænigma: *qui quadrupes foret, et bipes, et tripes unus et idem*. Ed. — *Rituque tulit* etc. Unus Heinsii *rituque trahens* etc. tertius Gronovianus, *rituque tulit sua membra ferino*. — In imaginibus trementium *poplitis* commode fit mentio, ut X, 458; Horatius, Art. Poet. 158, *pede signat humum*. — *Adjutis conamine*, nervis nondum firmis succurrit conamen infantis.

225. *Valens*, firmus. — *Transit*,

Transit, et, emensis medii quoque temporis annis,
Labitur occiduæ per iter declive senectæ.
Subruit hæc ævi, demoliturque prioris
Robora; fletque Milon senior, quum spectat inanes
Illos, qui fuerant solidorum mole tororum
Herculeis similes, fluidos pendere lacertos.
Flet quoque, ut in speculo rugas conspexit aniles,
Tyndaris, et secum, cur sit bis rapta, requirit.
Tempus edax rerum, tuque invidiosa vetustas,
Omnia destruitis, vitiataque dentibus ævi

peragit. — *Emensis* accepit Heinsius a Thuan. uno Basileensi, et uno Mediceo; plurimi (et Regii ambo) *emeritis*. — De *medio tempore*, id est ætate virili, vide ad XII, 404. — *Labi* de celeri decursu ætatis (vide ad X, 519), inprimis senilis, cujus *iter declive*, quod a via solis petitum, unde et *occidua* senecta, ad occasum vergens. — *Subruere* et *demoliri* gravia verba ab ædificiis translata. Quatuordecim, teste Burmanno, et Regius noster A, *Surripit*.

229. *Fletque Milon* etc. exemplis delectis senectutis imbecillitatem illustrat; et viris robora, et feminis venustatis illecebras demit. *Milon*, Crotoniates, familiaris Pythagoræ, athleta robore insignis, « quum jam » senex esset, athletasque se in cur- » riculo exercentes videret, adspe- » xisse lacertos suos dicitur, illacry- » mansque dixisse, At hi quidem » jam mortui sunt; » Cicero Senect. 9. Hoc Milone duce Crotoniatæ Sybaritas vicerunt a. 4, Olymp. LXVII; Diodorus Sic. XII, 483. — *Tori* pars carnosa in lacertis, quorum et *soliditate* et *mole*, magnitudine, robur censetur. Hi commode comparantur cum *Herculeis;* tum quia Herculis lacerti solidi et tori passim laudantur a poetis, quorum loca diligentissime h. l. collegit Heinsius, tum quia ille ab athletis colebatur, ejusque statuæ in gymnasiis erant. — Regius noster codex A *solidorum more ferorum*; de aliis hujus loci variis lectionibus vide Heinsium longe disputantem; vide etiam Burmannum. *Ed.* — Illi lacerti nunc erant *inanes*, id est, quibus non amplius colluctari poterat. — *Fluidos pendere*, marcuisse, carnes et robora amisisse; Plinius, III, Ep. VI, 2, de sene, *pendent lacerti, papillæ jacent*. Hærebat Gronovius ad Senecæ Herc. Fur. 624, in, *inanes fluidos lacertos;* itaque tentat, *quum spectat in amne*, ut mox Helena in speculo. Sine causa. Et alibi duo epitheta uni adduntur substantivo, etiam a Nostro. *Inanes* ad subjectum pertinet, et *fluidos* habet vim prædicati; videbat inanes suos lacertos pendere fluidos.

233. *Tyndaris*, Helena Tyndari et Ledæ filia. *Ed.* — Pro, dolet venustatem abiisse, melius, *secum requirit, cur sit bis* (a Theseo et Paride) *rapta*. Helenæ autem exemplo utitur, quia pulchriorem feminam non noverat antiquitas.

234. *Dentes* dantur ævo propter edacitatem. Iis omnia *vitiantur*, ro-

Paulatim lenta consumitis omnia morte.
» Hæc quoque non perstant, quæ nos elementa vocamus :
Quasque vices peragant, animos adhibete, docebo.
Quattuor æternus genitalia corpora mundus
Continet : ex illis duo sunt onerosa, suoque
Pondere in inferius, tellus atque unda, feruntur :
Et totidem gravitate carent, nulloque premente
Alta petunt, aer, atque aere purior ignis.
Quæ quamquam spatio distant, tamen omnia fiunt
Ex ipsis, et in ipsa cadunt : resolutaque tellus
In liquidas rorescit aquas : tenuatus in auras,
Aeraque humor abit : demto quoque pondere, rursus
In superos aer tenuissimus emicat ignes.
Inde retro redeunt, idemque retexitur ordo.
Ignis enim densum spissatus in aera transit ;
Hic in aquas ; tellus glomerata cogitur unda :
Nec species sua cuique manet, rerumque novatrix

duntur et franguntur. — Heinsius mox etiam malebat, *lento morsu*, ut perstet in metaphora. Quæ fuerit hujus mutationis causa, non video. *Ed.*

237. *Hæc quoque non perstant.* Transformationes elementorum. Diogen. Laert. VIII, 21, Pythagoram docuisse tradit, corporum solidorum esse στοιχεῖα τέτταρα, πῦρ, ὕδωρ, γῆν, ἀέρα· ἃ μεταβάλλειν δὲ καὶ τρέπεσθαι δι' ὅλων, καὶ γίνεσθαι ἐξ αὐτῶν κόσμον ἔμψυχον etc.—*Perstant*, idem manent.—*Vices peragere* dixit etiam Valerius Flac. I, 505 ; *vices agere* Manilius, I, init.—*Genitalia*, quibus gignuntur et procreantur corpora ; Virgilius, Georg. II, 324, *genitalia semina ;* Festus : « Genitales (non *geniales*) Deos dixerunt » Aquam, Terram, Ignem, Aerem. Ea enim sunt semina rerum, » quæ Græcorum alii στοιχεῖα, alii » σπέρματα vocant. »

245. *Cadunt*, recidunt, resolvuntur. — *Rorescit* exquisite pro liquefacta transit. Ita tamen nullus nisi Thuan. MS ; cæteri, *rarescit*, fit rara, tenuis. Æque bene. — *Tenuatus abit* plenius et elegantius, quam, tenuatur, ut alibi vidimus. Sic mox *spissatus transit* pro, spissatur. Frustra igitur interpretes ex MSS præferunt vel *adit*, vel *habet*. — *Auras aeraque*, ut IX, 219, et alibi, *aeriæ auræ*. Ex hac autem ratione, quæ vs. 245–251 describitur, non est nisi unum elementum, æther.

249. *Redeunt*, mutantur in pristinum statum. Eadem eleganter dicuntur *retexi*, tropo a tela petito. — *Cogitur*, includitur ; I, 31, humor *coercuit orbem*. — *Glomerata*, coa-

Ex aliis alias reparat natura figuras.
Nec perit in tanto quicquam, mihi credite, mundo;
Sed variat, faciemque novat : nascique vocatur
Incipere esse aliud, quam quod fuit ante; morique
Desinere illud idem, quum sint huc forsitan illa,
Hæc translata illuc : summa tamen omnia constant.
» Nil equidem durare diu sub imagine eadem
Crediderim : sic ad ferrum venistis ab auro
Secula : sic toties versa est fortuna locorum.
Vidi ego, quod fuerat quondam solidissima tellus,
Esse fretum : vidi factas ex æquore terras;
Et procul a pelago conchæ jacuere marinæ,
Et vetus inventa est in montibus ancora summis :
Quodque fuit campus, vallem decursus aquarum
Fecit; et eluvie mons est deductus in æquor;
Eque paludosa siccis humus aret arenis :
Quæque sitim tulerant, stagnata paludibus hument.
Hic fontes natura novos emisit, at illic
Clausit, et antiqui tam multa tremoribus orbis

cervata, condensata. — *Figuras*, elementa.

254. *Nec perit in tanto.* Plurimi (et codex Reg. A) *Nec perit in toto.* Nullus in mundo interitus, meræ tantum transformationes et translationes. Id quoque verissimum. — *Summa omnia constant*, summa omnium partium semper manet eadem. Scaliger legebat *summæ*.

259. *Nil equidem durare* etc. Multas et magnas revolutiones passa est terra; id quod et hodie gravissimis argumentis docent geologi. — *Fortuna locorum*, habitus locorum.

266. *Campum fecit vallem*, hoc in campo fecit montem aut tumulum. — *In æquor*, in planum campum; ad I, 41. — *Siccis aret arenis*, facta est sicca, arida, arenosa. His ex asse respondent sequentia, *stagnata paludibus hument*, in humidas paludes s. stagna mutata sunt. Cumulat verba, ut inculcet, quam mirabiles sint illæ mutationes. — *E paludosa*, scil. humo.

271. *Et antiqui.* Hactenus fuit editum *et antiquis tremoribus orbis Flumina prosiliunt* (ita habent Regii cod.). Hæc mendosa judicat Heinsius, et conjicit *et aut quædam stimulata tremoribus ortis.* Pro *tam multa* Sixianus *concussa*, non improbante Heinsio, qui et *convulsa* suadet. Burmannus putat *tam multa* per interrogationem capiendum. Lectio

Flumina prosiliunt, aut excæcata residunt.
Sic ubi terreno Lycus est epotus hiatu,
Exsistit procul hinc, alioque renascitur ore:
Sic modo combibitur, tecto modo gurgite lapsus
Redditur Argolicis ingens Erasinus in arvis:
Et Mysum capitisque sui, ripæque prioris
Pœnituisse ferunt, alia nunc ire, Caicum.
Nec non Sicanias volvens Amenanus arenas
Nunc fluit, interdum suppressis fontibus aret.
Ante bibebatur, nunc, quas contingere nolis,

vulgata non videtur fluxisse a manu Ovidii. Lenis et bona est emendatio viri docti in Miscell. Observ. vol. VII, pag. 123, *antiqui.* — *Excæcari* eleganter dicuntur quæ delentur, obturantur, exsiccantur. Sic IV Pont. II, 17, *limus venas excæcat in undis.* Similiter apud Græcos τυφλούμεναι πηγαί; vide Heinsium.

273. *Sic ubi terreno* etc. Plin. Hist. Nat. II, 103, *Subeunt terras, rursusque redduntur, Lycus* (prope Laodiceam e Cadmo monte ortus) *in Asia, Erasinus in Argolica.* Confer Senecam, Nat. Quæst. III, 26, ubi hos vers. laudat. — *Epotus*, absorptus. — Mox quum alii MSS habeant *alioque orbe*, quæritur, utrum verius. In se utrumque recte dicitur; nam et *orbis* pro parte orbis, terra dicitur ut I, 94: ac sæpius, et *os* fluminibus tribuere, id est, fontem, sollemne, ut I, 281. H. l. tamen præfero *ore*, quod bene opponitur τῷ *hiatu.* — *Tecto gurgite*, tectus. Neque tamen condemnanda lectio quam Seneca d. l. exhibet, *tacito gurgite*: namque *tacitus* sæpe apud poetas ponitur pro, tectus. Sic *tacitum vulnus*, *tacitæ medullæ*, *tacitæ flammæ* etc. Itaque ex glossa facile h. l. irrepere potuit *tecto*, quod, ut notius, arripuerunt librarii. Eadem varietas et alibi reperitur, ut Amor. I, 11, 6; Trist. III, x, 30.

277. *Caput* modo fons fluvii est; Virgil. Georg. IV, 368; supra II, 255, et h. l. modo ostium; Virg. d. l. 319. — *Caicus*, Mysiæ fluvius, cursum suum mutavit. Quo auctore Ovidius hoc tradiderit, non constat.

279. *Amenanus.* Hoc nomen nullus habet codex; plerumque, ut in codice Regio A, legitur *Amasenus*; in codice B *Amasenos*; in tota Sicilia nullus hujus nominis fluvius reperitur; locum hunc Fulvius Ursinus, in notis ad Comment. Cæsaris, primus emendavit ex veteri nummo, cujus ab una facie erat ΑΜΕΝΟΣ, ab altera ΚΑΤΑΝΑΙΩΝ; et deinde Heinsius ex Strabonis loco, quem infra ab Gierigio relatum leges. *Ed.* — *Amenanus* Cataniæ in Sicilia fluvius. Strabo, lib. V, p. 360: Καθάπερ περὶ τοῦ Ἀμενάνου συμβαίνειν φασὶ τοῦ διὰ Κατάνης ῥέοντος· ἐκλείπει γὰρ ἐπὶ πολλὰ ἔτη καὶ πάλιν ῥεῖ. Burmannus e Fazelli rebus Sic. lib. III, cap. 1, notat, fontem hujus fluvii nondum pervestigari potuisse, et sæpe, obturatis fontium venis, per aliquot annos totum evanescere, rursusque subito erumpentem excurre-

Fundit Anigros aquas, postquam, nisi vatibus omnis
Eripienda fides, illic lavere Bimembres
Vulnera, clavigeri quæ fecerat Herculis arcus.
Quid? non et Scythicis Hypanis de montibus ortus,
Qui fuerat dulcis, salibus vitiatur amaris?
Fluctibus ambitæ fuerant Antissa, Pharosque,
Et Phœnissa Tyros; quarum nunc insula nulla est.
Leucada continuam veteres habuere coloni;
Nunc freta circueunt: Zancle quoque juncta fuisse

re, ut Catanæ urbi inundatione sua magnam sæpe calamitatem adferat.

281. *Anigros*. e Lapitha, Arcadiæ monte, profluens, statim a fonte graviter olentem aquam vehit, quæ pisces non alit: Pausanias, V, p. 387, gravem illum odorem e terra exsistere putat; sed idem addit, Græcorum alios tradere, Chironem, alios Polenorem, Centaurum et ipsum, Herculis sagitta percussum hujus fluvii aqua vulnus abluisse; quæ sic, hydræ veneno infecta, tetrum odorem contraxerit. Hos Noster secutus est. — Pro *bibebantur*, quod Heinsius e duobus Medic. dedit, revocavimus cum Mitscherlichio *bibebatur*, ne impeditior esset ordo verborum. — Regius noster B solus habet *bibebatur*, quod bene revocavit Gierigius. *Ed.*—Mox Burmannus ex uno Mediceo *adtingere* præferebat: sine causa; V, 533, *contigit ore cibos.*—*Bimembres*, Centauri, ut XII, 240.

285. *Hypanis*, Sarmatiæ fluvius, qui in Borysthenem se exonerat; vid. Solin. cap. 15, et Vitruv. VIII, 3.—Pro *de montibus*, prior Gronovianus *de fontibus.*—*Salibus vitiatur amaris.* Codex noster Regius B habet, pro varia lectione, *sale nunc vitiatur amaro*: idem in Berneggeriano codice notavit Heinsius; pluribusque aliis ex locis jam venit nobis in mentem nostrum illum codicem esse eumdem, quem olim Heinsius collegit. *Ed.*

287. *Fluctibus ambitæ* etc. Participium *ambitus* occurrit etiam I, 37, ubi vide notam. —*Antissa.* Plinius, II, 89, *Rursus abstulit insulas mari, junxitque terris. Antissam Lesbo* etc. —*Pharos* tempore Homeri, Od. Δ, 354 sqq, insula obversa Ægypto, tantumque ab ea remota, quantum uno die navis confecerit. Sed invecta Nili paulatim propius adducta continenti, ponte etiam Alexandriæ juncta; Lucanus, Phars. X, 509; Plinius, II, 85; XIII, 11; Strabo, lib. I, pag. 63; XVII, pag. 1140.—*Tyrus* quondam insula, præalto mari septingentis passibus divisa, nunc vero Alexandri oppugnantis operibus continens. Male igitur naturæ tribuit, quod opera hominum effectum est; multoque minus probari potest, quod Pythagoram ea commemorantem inducit, quæ post illius demum tempora facta sunt.

289. *Leucas* ad Acarnaniæ litus, olim peninsula; Plin. II, 90, « Ad » hoc perrupit mare Leucada. » — *Continuam* pro vulgari continentem, cohærentem cum terra: sic etiam VIII, 589.—*Zancle quoque* etc. Pro

Dicitur Italiæ; donec confinia pontus
Abstulit, et media tellurem reppulit unda.
Si quæras Helicen et Burin, Achaidas urbes,
Invenies sub aquis, et adhuc ostendere nautæ
Inclinata solent cum mœnibus oppida mersis.
Est prope Pittheam tumulus Trœzena, sine ullis
Arduus arboribus, quondam planissima campi
Area, nunc tumulus : nam, res horrenda relatu,
Vis fera ventorum, cæcis inclusa cavernis,
Exspirare aliqua cupiens, luctataque frustra
Liberiore frui cælo, quum carcere rima
Nulla foret toto, nec pervia flatibus esset,
Extentam tumefecit humum; ceu spiritus oris
Tendere vesicam solet, aut direpta bicorni
Terga capro : tumor ille loci permansit; et alti
Collis habet speciem, longoque induruit ævo.

Sicilia unam Zanclen, s. Messaniam nominat, quæ adjacet freto Siculo. Plinius, II, 88, *Avellit Siciliam Italiæ* : conf. Seneca, Nat. Quæst. VI, 29; Virgilius, Æn. III, 414-419; Cluverius Sicil. I, 1. Historiam opinionum de hac abruptione habet Gesnerus ad Claudianum, XXXIII, 140. Ignota fuit Homero. — *Media unda*, quæ nunc media est, confinia tenet; XIV, 7.—Pro *reppulit* unus Heinsii *depulit*.

293. *Si quæras Helicen* etc. Plinius, II, 92, « Mare abstulit Elicen » et Buram in sinu Corinthio, qua- » rum in alto vestigia adparent. » Orosius, III, 3, « Anno ab urbe » condita 366, sævissimo terræ mo- » tu Achaia universa concussa est, » et duæ tunc civitates, id est Bura » et Helice, abruptis locorum hia- » tibus devoratæ sunt. » Igitur hoc quoque post Pythagoræ tempora accidit. *Burin* recepit Heinsius MSS auctoritate, quamquam nec *Buram* damnat; ita enim Plinius aliique, et Græcis Βουρὰ est.

296. *Træzen*, urbs Argolidis, a *Pittheo* rege *Pitthea* dicta. In ejus vicinia tempore Antigoni, Macedonum regis, calidæ aquæ vi ignis subterranei proruperunt; Pausanias, Corinth. p. 190. Eodem forsan tempore hic *tumulus* surrexit.— *Frui*, ut frueretur.—*Nulla foret toto*. Schepperus conjicit *Nulla foras toto*. — Pro *direpta* Heinsius de suo dedit *derepta*; unus Moreti *erepta*. —Hoc loco legitur vulgo *direpta bicornis Terga capri*; ita legitur in cod. Regio A; tertium autem casum Heinsius restituit ex octo codicibus, inter quos est Berneggerian. et idem habet noster codex Regius B : vide nos supra ad vs. 286. *Ed.* — *Direpta capro terga*, utres, quibus inflatis in

» Plurima quum subeant, audita aut cognita vobis,
Pauca super referam : quid? non et lympha figuras
Datque capitque novas? medio tua, corniger Ammon,
Unda die gelida est; ortuque obituque calescit.
Admotis Athamantis aquis accendere lignum
Narratur, minimos quum Luna recessit in orbes.
Flumen habent Cicones, quod potum saxea reddit
Viscera, quod tactis inducit marmora rebus.
Crathis, et huic Sybaris nostris conterminus arvis,
Electro similes faciunt auroque capillos.

Bacchi festo insilire solebant; Virgilius, Georg. II, 384.

307. *Subeant*, in animum veniant. — *Super*, præterea. — *Figura*, natura.—*Ammonis* fontem diligentius describit Curtius, IV, VII, 22 : « Est » etiam aliud Hammonis nemus ; in » medio habet fontem, aquam So- » lis vocant. Sub lucis ortum tepida » manat; medio die, quum vehe- » mentissimus est calor, frigida ea- » dem fluit; inclinato in vesperam » calescit ; media nocte fervida ex- » æstuat ; quoque propius nox vergit » ad lucem, multum ex nocturno » calore decrescit. »

311. *Admotis Athamantis* etc. Sotion in Paradoxol. de Fluminibus: Ἐν Ἀθαμᾶσι κρήνην εἶναι, ἧς τὸ μὲν ὕδωρ ψυχρὸν ὑπάρχειν, τὸ δ' ὑπὲρ αὐτὸ, οὕτω θερμὸν ὑπάρχειν, ὥστε ἂν τις ὑπερθῇ φρύγανα, παραχρῆμα ἐξάπτεσθαι. Athamanes Epirum incoluerunt, cujus pars etiam Dodone, cui hunc fontem tribuit Plinius, II, 103 : « In » Dodone Jovis fons quum sit geli- » dus, et immersas faces extinguat, » si exstinctæ admoveantur, accen- » dit. » — *Luna recessit in orbes*. Excerpta Calandræ et unus Mediceus *recrescit*.

313. *Flumen habent Cicones*. Plinius, II, 103 : « In Ciconum flu- » mine et in Piceno lacu Velino » lignum dejectum lapideo cortice » obducitur. »

315. *Crathis*, Thuriorum in magna Græcia fluvius. Vim rutilandi capillos ei tribuunt, post Euripidem, Troad. 227 (ὁ ξανθὰν χαίταν πυρσεύων Κρᾶθις), multi alii scriptores, quos vide apud Cluver. Ital. Antiq. IV, 14; Strabo, lib. VI, pag. 620, tradit, eum facere τοὺς ἐν αὐτῷ λουομένους ξανθοτριχεῖν καὶ λευκοτριχεῖν. Eamdem, ac potius aliam non minus miram vim habebat *Sybaris* ; Plinius, XXXI, 2 : « Theo- » phrastus tradit, in Thuriis Cra- » thim candorem facere, Sybarim » nigritiam bobus ac pecori. Quin » et homines sentire differentiam » eam ; nam qui Sybarim bibant, » nigriores esse, durioresque et cri- » spo capillo ; qui ex Crathide, can- » didos, molliores que ac porrecta » coma. » Sybaris autem *conterminus* Crathidi. Vibius Sequester : « Cra- » this, confinis Sybari, capillos fa- » cit aurei coloris. » Et Thurium, colonia Atheniensium ad sinum Tarentinum, sita fuit inter utrumque fluvium. Ita *nostris arvis* dictum erat pro, in nostris arvis, ut millies. Bur-

Quodque magis mirum, sunt qui non corpora tantum,
Verum animos etiam valeant mutare, liquores.
Cui non audita est obscœnæ Salmacis undæ?
Æthiopesque lacus? quos si quis faucibus hausit,
Aut furit, aut mirum patitur gravitate soporem.
Clitorio quicumque sitim de fonte levarit,
Vina fugit, gaudetque meris abstemius undis;
Seu vis est in aqua calido contraria vino,
Sive, quod indigenæ memorant, Amithaone natus,
Prœtidas adtonitas postquam per carmen et herbas
Eripuit furiis, purgamina mentis in illas
Misit aquas: odiumque meri permansit in undis.
Huic fluit effectu dispar Lyncestius amnis;
Quem quicumque parum moderato gutture traxit,
Haud aliter titubat, quam si mera vina bibisset.

mann. tamen ex uno Medic. suadet, *et hic Sybaris*, ut quasi demonstret vicinum fluvium; idemque ex Salmasii Exercitatt. Plin. p. 540, notat, ut hic *electro similes*, ita Neronem Poppææ crines *succinos* appellasse.

318. *Verum animos etiam*. Leidensis et tres alii *Verum animos hominum; Verum etiam mores possunt mutare* unus Moreti; Regii ambo nihil mutant. — De fonte *Salmacide* vide supra IV, 285.

322. *Clitorius* fons juxta Clitorium, urbem Arcadiæ; Pausanias, VIII, cap. 21. De ejus natura Plinius, XXI, 2: « Varro tradit... » vinum tædio venire his, qui ex » Clitorio lacu biberint. At Eudoxus » et Theopompus inebriari fontibus » iis, quos diximus. » Conf. Vitruvius, VIII, 3; Sotion in Paradoxologomenis de Fluminibus, et Etymol. M. in Κλιτόριον. — Pro *calido vino*, unus Moreti *valido vino*.

325. *Prœtides*, Prœti (de quo V, 236) filiæ, Lysippe, Iphinoe et Iphianassa, *adtonitæ*, infamia correptæ, quum per Argivorum Arcadumque fines diu errassent, a Melampo, *Amithaonis* filio, vate, sanatæ sunt *herbis*, elleboro inprimis inde Melampodium dicto; Apollodorus, II, 11, 2; Plinius, XXV, 21. De templo in ejus rei memoriam vel Junoni, vel Dianæ, vel Gratiis posito vide Pausaniam, II, 12; Hesychium in Ἀκρουχεῖ. — *In illas Misit aquas*. Palatinus secundus et tres alii *in illas Mersit aquas*.

329. *Lyncestius amnis* ad oppidum *Lyncum* in Epiro, cujus incolæ *Lyncestæ*; Plinius, II, 103: « Lyncestis » aqua, quæ vocatur acidula, vini » modo tremulentos reddit. » Conf. Vitruvius, VIII, 3; Aristoteles, Meteor. II, 3; Sotion in Paradoxol. de Flum. pag. 125; Tertullianus de Anima, cap. 50.

Est lacus Arcadiæ, Pheneon dixere priores,
Ambiguis suspectus aquis, quas nocte timeto;
Nocte nocent potæ : sine noxa luce bibuntur.
Sic alias, aliasque lacus et flumina vires
Concipiunt : tempusque fuit, quo navit in undis,
Nunc sedet Ortygie : timuit concursibus Argo
Undarum sparsas Symplegadas elisarum;
Quæ nunc immotæ perstant, ventisque resistunt.
Nec, quæ sulfureis ardet fornacibus, Ætne
Ignea semper erit : neque enim fuit ignea semper.
Nam sive est animal tellus, et vivit, habetque
Spiramenta, locis flammam exhalantia multis,
Spirandi mutare vias, quotiesque movetur,
Has finire potest, illas aperire cavernas :

332. *Pheneos* urbs Arcadiæ, postea *Nonacris* dicta. In vicinia ejus ex prærupta rupe aqua, Græcis ὕδωρ Στυγὸς dicta, guttatim decidit. Ea certis temporibus mortem adfert tam hominibus quam pecori, vasa cujuscumque generis frangit, metalla solvit etc. vide Pausaniam, Arcad. pag. 634 sq. Nocte eam esse noxiam, de die innoxiam, neminem præter Nostrum prodidisse, monet Heinsius.—*Ambiguæ*, mox letiferæ, mox innoxiæ.

337. *Nunc sedet Ortygie.* Delus intelligitur quæ eadem et *Ortygie* nonnullis dicta est; vide Spanhem. ad Callimachi hymn. Apol. 58. Ea, olim errans et natans, post partum Latonæ immobilis facta est; vide Spanh. ad Callimachi hymn. Del. 273. — *Symplegades* insulæ, sunt, quæ et Cyaneæ dicuntur, contra Bosphorum Thracium, quæ a poetis olim concurrisse finguntur, quoniam, ut ait Plinius, parvo discretæ intervallo ex adverso intrantibus geminæ esse videntur, paululumque deflexa acie coeuntium speciem præbebant. Confer ad VII, 62, notam. *Ed.*

341. *Ignea*, ignivoma. — *Animal*, animans est terra e mente Stoicorum : *animal Tellus*. Hoc placuit Pythagoræ; Aristot. Phys. IV, 6.— *Spirandi mutare vias*. Liber Ciofani habet *vices;* sed *vias* recte præfert Burmannus; nam cavernas et fistulas intelligit, per quas ignis exit, quasque *spiramenta* etiam vocat. *Ed.* — *Finire cavernas* pro, claudere eas, durum est. Heinsius suadebat, *Hac operire potest, illic aperire cavernas*; Burmannus autem merito dubitat, an in hac agnominatione sibi placuerit Ovidius : ipse malit, *Has turare* (nam unus Medic. habet *furare*) *potest*; quod verbum forte veteribus in usu fuerit, quamquam frequentius ejus composito *obturare* usi sint. Ego vulgatam servandam arbitror. Proprie tellus *finit* exhalationem e cavernis, hinc cavernas ipsas. Infra, vs. 646, æque durum, *funera finire*.

Sive leves imis venti cohibentur in antris,
Saxaque cum saxis, et habentem semina flammæ
Materiam jactant : ea concipit ictibus ignem :
Antra relinquentur sedatis frigida ventis;
Sive bitumineæ rapiunt incendia vires,
Luteave exiguis ardescunt sulfura fumis :
Nempe ubi terra cibos, alimentaque pinguia flammæ
Non dabit, absumtis per longum viribus ævum,
Naturæque suum nutrimen deerit edaci,
Non feret illa famem, desertaque deseret ignes.
Esse viros fama est in Hyperborea Pallene,
Qui soleant levibus velari corpora plumis,
Quum Tritoniacam novies subiere paludem.
Haud equidem credo : sparsæ quoque membra veneno
Exercere artes Scythides memorantur easdem.
» Si qua fides rebus tamen est addenda probatis,
Nonne vides, quæcumque mora fluidove calore

346. *Sive leves* etc. Eam causam copiosius exponit Lucretius, VI, 680 sqq. — *Leves* tantum ornat.

350. *Bitumineæ vires*, bitumina, cum vi. Et videtur hoc adjectiv. ab ipso Ovidio signatum esse. — *Rapiunt incendia*, celeriter concipiunt ignem. Mox ex plurimis MSS præfero, *ardescunt sulfura* alteri *arescunt*. — Regii ambo exhibent *ardescunt*. — *Exiguis* Heins. in *adsiduis* aut *irriguis* mutari volebat. Prius probarunt Rodius et Lenzius. Immo, sulfura ardescunt ita, ut exiguos fumos emittant : quæ est natura sulfuris. Non autem ardescere possunt ope fumi vel adsidui, vel exigui. Unde enim ille fumus? — Pro *fumis* Cælest. *flammis*.

356. *Pallene* Thraciæ urbs. Ibi et *Triton* lacus. Vibius Sequester in Paludibus : « Triton Thraciæ, in quo » qui se novies immerserit, in avem » convertitur. » Micyllus fabulam inde ortam putat, quod regio hyperborea ipsa, ob adsiduum nivis casum, pinnarum similitudine dicta sit πτεροφόρος. Conferatur Plinius, IV, 12. — *Artes exercere easdem*, ut se velent pennis.

361. *Fides addenda*. Heinsius probavit ex Neapoli, uno Moreti et uno Regio *adhibenda*; sed *fidem addere* est pro, fidem habere, credere. Monet Burm. frequentem esse Nostro hanc locutionem. Recte, sed in aliis locis est, præstare quod promisimus. — *Fides addenda* est in ambobus codicib. nostris; et præterea in cod. A legitur glossa : est credendum. *Ed.* — *Fluidus*, qui facit fluidum. — Fuit communis veterum error, ex putri-

Corpora tabuerint, in parva animalia verti?
I quoque, delectos mactatos obrue tauros;
Cognita res usu, de putri viscere passim
Florilegæ nascuntur apes, quæ more parentum
Rura colunt, operique favent, in spemque laborant:
Pressus humo bellator equus crabronis origo est.
Concava litoreo si demas brachia cancro,
Cætera supponas terræ, de parte sepulta
Scorpius exibit, caudaque minabitur unca:
Quæque solent canis frondes intexere filis,
Agrestes tineæ, res observata colonis,
Ferali mutant cum papilione figuram.
Semina limus habet virides generantia ranas,
Et generat truncas pedibus; mox apta natando

bus cadaveribus *parva animalia*, insecta, generari. Hinc etiam fluxit illa opinio, posse e *mactatis* et *obrutis tauris* nova apum examina excludi, de qua vide Virg. Georg. IV, 281-314, ubi docetur, quomodo res instituenda sit; conf. etiam I Fast. 377. Sed vers. 364, depravatus est; cui enim placeat *delectos mactatos obrue?* MSS valde variant, sed nihil auxilii ferunt. Itaque conjecturis locum sanare conati sunt interpretes: Heins. suadet, *I scrobe delecto* (vel *delecta*) *mactatos* etc. aut etiam, *scrobe depresso* vel *scrobe repleto*; Burmannus vero legit, *I scrobe sub tecta dejectos* etc. Lenzius suadet, *I, cape delectos, mactatosque* etc. Non male. — Pro *florilegæ* multi, inter quos Regius noster B, *florigeræ*; sed ea lectio non placet. *Ed.* — *Parentum*, taurorum. Sed aliter tauri *rura colunt*, aliter apes ruri flores legunt.

368. *Pressus humo bellator* etc. Nicander in Theriac. vers. 133: ἵπποι δὲ σφηκῶν γένεσις, ταῦροι δὲ μελισσῶν. Etiam Plinius, XI, 20, tradit, e juvencorum corpore exanimato apes nasci, sicut equorum vespas atque crabrones, et asinorum scarabeos. — *Bellator equus* e Virgilio, Georg. II, 145.

369. *Litoreus cancer*, ut X, 127, *cauda unca minatur*; vide ad II, 199.

374. *Ferali* etc. Male auctor argumentorum hic de bombycibus cogitavit. Immo intelliguntur insecta; quæ Linneo phalænæ lucernariæ dicuntur. Plin. XXVIII, 10: « Papilio quoque lucernarum luminibus » advolans inter mala medicamenta » numeratur. » Hinc *feralis*, funestus, mali ominis. Sine dubio h. l. respexit Lactant. in Phœn. vs. 107: *Ac velut agrestes, quum filo ad saxa* (Thomas. malit *taxa*) *tenentur, Mutari pennæ* (Thomas. *tineæ*) *papilione solent.*

375. *Semina limus habet* etc. Confer I, 416 sqq. Ranas e limo nasci, et in eumdem resolvi tradit etiam Plin. XI, 8. Nempe ovula sua illa

Crura dat : utque eadem sint longis saltibus apta,
Posterior partes superat mensura priores.
Nec catulus partu, quem reddidit ursa recenti,
Sed male viva caro est : lambendo mater in artus
Fingit, et in formam, quantam capit ipsa, reducit.
Nonne vides, quos cera tegit sexangula, fœtus
Melliferarum apium sine membris corpora nasci,
Et serosque pedes, serasque adsumere pennas?
Junonis volucrem, quæ cauda sidera portat,
Armigerumque Jovis, Cythereiadasque columbas,
Et genus omne avium mediis e partibus ovi,
Ni sciret fieri, fieri quis posse putaret?
Sunt qui, quum clauso putrefacta est spina sepulcro,
Mutari credant humanas angue medullas.
Hæc tamen ex aliis ducunt primordia rebus :
Una est, quæ reparet, seque ipsa reseminet, ales;

deponunt in limo. — *Posterior mensura*, mensura posteriorum pedum.

379. *Nec catulus partu* etc. Plinius, VIII, 36, de ursorum catulis: « Hi sunt candida informisque caro, » paulo muribus major, sine oculis, » sine pilo : ungues tantum prominent : hanc lambendo paulatim » figurant. » Falsa tamen illa traditio, orta haud dubie inde, quod secundinis crassissimis involuti ursorum catuli eduntur, quas non nisi diu lambendo revellere mater potest. — Pro *quem reddidit*, Heinsius malit *quod reddidit*. *Reddidit* est pro, edidit. — *Male viva*, vix aut non viva. Sic IV, 285, *male fortes undæ*. Sueton. Aug. XXI, 2, *nationes male quietæ*. — *In artus fingit*, fingit, ut membra distincta adpareant.

382. *Nonne vides* etc. E Virgilio, Georg. IV, 310 : *Trunca pedum primo : mox et stridentia pennis Miscentur, tenuemque magis magis aera carpunt*. Conf. Plinius, XI, 16. — *Quos cera tegit*, quia ovula deponuntur in cellulis cereis, quarum forma *sexangula* maxime admirabilis. — *Mellifer exercitus* apium apud Claudianus, XV, 127.

385. *Junonis volucrem* etc. Quum aves omnino dicendæ essent, maluit nobilissimas ponere cum adjunctis, aves Jovi, Junoni, Veneri sacras. — *Fieri quis posse* dedit Heinsius ex uno Moreti pro vulgata *quis nasci posse* (quam habent Regii codices.)

389. *Sunt qui, quum* etc. Plinius, X, 66 : « Anguem ex medulla hominis spinæ gigni, accepimus a » multis. Pleraque enim occulta et » cæca origine proveniunt. » Antigon. Mirab. cap. 96, addit, homines, quibus id mortuis accidat, ante obitum odorari angues.

392. *Una est, quæ reparet*, etc. De

Assyrii Phœnica vocant : non fruge, nec herbis,
Sed turis lacrymis, et succo vivit amomi.
Hæc ubi quinque suæ complevit secula vitæ,
Ilicet in ramis, tremulæve cacumine palmæ,
Unguibus, et pando nidum sibi construit ore.

Phœnice ave, cujus jam Hesiodus mentionem fecerat, post Herodotum, II, 73, multi exposuerunt, v. c. Tacitus, Ann. VI, 28; Plinius, X, 1. Exstant etiam duo in hanc avem carmina, quorum alterum Claudiano, alterum Lactantio tribuitur. Fabula forte inde orta, quia φοῖνιξ palmam significat; palmarum autem genera quædam ea sunt natura, ut e trunco ipsarum putrefacto nova arbor progerminet. Ita Bochartus in Hierozoico, VI, 5, præeunte Plinio, XIII, 4. Alii putant, hujus avis figuram symbolum fuisse Ægiptiorum, quo 500 annorum periodum expresserint. Vid. Gatterer. de Theog. Ægypt. in Comment. Soc. Gotting. tom. VII, p. 53 s. Et Herodotus diserte adfirmat, se eam non nosse, nisi e tabula picta Heliopolitarum. — *Reseminare* novum verbum ad rem singularem exprimendam signatum, e corpore suo, tamquam e semine, denuo se gignere : Claudianus, vers. 24, *pater est prolesque sibi*; Lactantius, vers. 78, *se tamen ipsa creat*; sed vers. 167 sqq, ludit in hoc. — *Ales* autem aquilæ similis et magnitudine et forma, pennas habens aureas et rubras. Herodot. — *Assyrii*, omnino Orientis incolæ. Aliter Lactantius, vers. 65 : « Dirigit in Syriam celeres longæva » volatus, Phœnices nomen cui de- » dit ipsa Venus. » Venus autem culta in Syrophœnice. Et *Assyrii* sæpe pro Syris; apud Horatium, II, Od. XI, 16, *Assyria nardus*, e Syriæ emporiis advecta; sæpe etiam apud optimos auctores occurrit.

393. *Non fruge, nec herbis*. Claudianus, vers. 13 : « Non epulis saturare famem, non fontibus ullis » Adsuetus prohibere sitim; sed purior illum Solis fervor alit etc. » — De *amomo* vide ad X, 307.

395. *Hæc ubi quinque* etc. Herodotus : Σπάνιος ἐπιφοιτᾷ σφι, δι' ἐτέων (ὡς Ἡλιουπολῖται λέγουσι) πεντακοσίων· φοιτῆν δὲ τότε φασὶ, ἐπεάν οἱ ἀποθάνῃ ὁ πατήρ. Tacitus : « De numero annorum varia traduntur, maxime » vulgatum quingentorum spatium. » Sunt qui adseverent, mille quadringentos sexaginta. » Hinc *vivax* Phœnix passim. In numis interdum est symbolum vel æternitatis, vel felicis temporum restitutionis; vid. Spanhem. de usu et præstantia Numism. p. 285. Quomodo Patres ea usi sunt ad resurrectionem mortuorum illustrandam, docet Gataker. Miscel. p. 179. — Mox recte miratur Heinsius *ilicis* hic mentionem fieri. Ipse præfert *ilicet*, quod Barthius in vetustis exemplaribus reperit. Hoc igitur recepimus. Nam nec Oriens *ilices* habet, nec, si habuisset, placuissent huic avi; nec denique commode duæ arbores *ilex* et *palma* simul commemorantur. Lactantius, vers. 69, *Tum legit aerio sublimem vertice palmam*.

397. *Pando ... ore*. An Heinsius e tribus MSS, primo Gronovian. uno Basileens. et Norico, recte receperit *pando*, dubitari potest. Apro recte

Quo simul ac casias, et nardi lenis aristas,
Quassaque cum fulva substravit cinnama myrrha;
Se super imponit, finitque in odoribus ævum.
Inde ferunt, totidem qui vivere debeat annos,
Corpore de patrio parvum Phœnica renasci.
Quum dedit huic ætas vires, onerique ferendo est,
Ponderibus nidi ramos levat arboris altæ,
Fertque pius cunasque suas, patriumque sepulcrum,
Perque leves auras Hyperionis urbe potitus,
Ante fores sacras Hyperionis æde reponit.

tribuitur *pandum rostrum*, non item aliti. Vulgo *duro;* sed unus Ciofani, Cælest. Francofurt. et Barthii codd. *puro*, quod adridet Burmanno ut alludat ad morem sacra faciendi, quæ fiebant puris manibus.—Regii nostri ambo dant quoque *puro*, quod recte tuetur Burmannus. *Ed.* — Lactantius, vs. 77: « Construit inde sibi seu » nidum sive sepulcrum, » et deinde iidem odores commemorantur, qui hic; Plinius: « Senescentem casiæ » turisque surculis construere ni- » dum, replere odoribus et super- » emori. » — *Casia* fuit inter herbas et flores coronarios, thymelææ similis; vide Martin. ad Virgilium, Georg. II, 213.—*Nardus*, frutex, e cujus foliis, spicis et radice unguenta pretiosissima confecerunt veteres, quæ ab Indis in Syriam et inde in Europam advecta; vide Celsii Hierobot. tom. II, pag. 1 s. — Pro *lenis* permulti MSS (et Regius noster A) *lævis*, id est, cui lanugo subest. Lactant. vers. 86: « His addit teneras nardi pubentis aristas. » Glossa interlinearis alterius Erford. *id est redolentis:* hinc Heinsius conjicit *nardi halantis.*—De *myrrha* vide ad X, 500. — *Fulva*, quia myrrha præstantissima talem refert colorem, unde *myrrheus* pro, flavus. Broukh. ad Propert. III, VIII, 22.— Pro *quassa* Heinsio placet ex altero Hamb. *cassa*, ut ξυλοκιννάμωμον intelligatur, quod maximo in pretio fuerit, cortex cinnamomo detractus.

401. *Inde ferunt . . . renasci.* Pro *vivere*, Barthius ex duobus pervetustis legit *vincere*. Plinius: « Ex os- » sibus deinde et medullis ejus nasci » primo ceu vermiculum, inde fieri » pullum. » Secundum alios solis radiis comburitur, atque e cineribus prodit nova avis, quæ ovum facit e myrrha; illi excavato indit reliquias paternas easque defert in templum Heliopolitarum.—Heinsius versum 404 adulterinum putabat, forte et tres sequentes.—Pro *altæ* Burmannus suadet *almæ*, quæ quasi aluit et eduxit Phœnicem; ingeniose quidem, sed dubito an et vere: Lactant. vers. 39: « Considit in arboris altæ » Vertice; » et vs. 69, « Tum legit » aerio sublimem vertice palmam. »

406. *Hyperionis urbs*, Heliopolis, in confiniis Ægypti et Arabiæ, hodie *Balbek.*—Pro *æde reponit*, quod manifestam contradictionem habere dicit cum verbis *ante fores*, Schepperus corrigit *urbe reponit.* Unus Leidensis et Thysii *orbe*, ut globus

Si tamen est aliquid miræ novitatis in istis,
Alternare vices, et quæ modo femina tergo
Passa marem est, nunc esse marem miremur hyænam.
Id quoque, quod ventis animal nutritur et aura,
Protinus adsimulat tactu quoscumque colores.
Victa racemifero lyncas dedit India Baccho :
E quibus, ut memorant, quidquid vesica remisit,
Vertitur in lapides, et congelat aere tacto.
Sic et curalium, quo primum contigit auras
Tempore, durescit : mollis fuit herba sub undis.
» Deseret ante dies, et in alto Phœbus anhelos
Æquore tinget equos, quam consequar omnia dictis,
In species translata novas : sic tempore verti
Cernimus, atque illas adsumere robora gentes ;
Concidere has : sic magna fuit censuque virisque,
Perque decem potuit tantum dare sanguinis annos,

quidam intellig. Burmannus mallet *fores* in *aras* mutari. Lactant. enim, vs. 122 ; *Inque ara residens, Ponit in æde sacra.*

408. *Si tamen... hyænam.* Plinius, VIII, 30 : « Hyænis utramque esse » naturam, et alternis annis mares, » alternis feminas fieri, parere sine » mare, vulgus credit. » Cf. Aristot. Hist. Anim. VI, 33 ; Ælian. I, 25.

411. *Quod ventis animal* etc. Chamæleon, e genere lacertarum, quum plerumque ore aperto sedeat, ut muscas captet, *ventis et aura nutriri* creditus est. — *Tactu.* Plin. VIII, 33, *reddit semper quemcumque* (colorem) *proxime adtingit, præter rubrum candidumque.* Cf. Antigon. 33. De causa hujus mutationis disputant hodie naturæ indagatores, quos vide.

413. *Lyncas* terræ septemtrionales alunt, non *India.* Verum poetæ et pictores Bacchi currui jungunt mox tigres, mox pantheras, mox lyncas. — *Racemifer,* redimitus tempora racemis ; Fast. VI, 483. De urina lyncum confer Plinium, VIII, 38, qui tradit, eam glaciari aut arescere in gemmas carbunculis similes et igneo colore fulgentes, lyncurium vocatas.

416. De *curalio* cf. IV, 743 sqq.

418. *Deseret ante dies.* Vulgare fuisset : dies me deficiet, si omnia persequi velim. *Deserere* ita est, etiam omisso τῷ *me*, apud Sallust. Jug. 42. — *Consequi*, exprimere, ut Cic. Philip. V, 13, *verbis laudes consequi.*

421. *Gentes vertuntur*, fortuna earum mutatur. Sed *tempore* debemus ingenio Heinsii. MSS, primus Vatic. primus Gronov. quartus Mediceus et decem alii, *tempora*, non male. Constat enim, *tempus* et *tempora* eleganter, sæpe etiam apud

Nunc humilis veteres tantummodo Troja ruinas,
Et pro divitiis tumulos ostendit avorum.
Clara fuit Sparte : magnæ viguere Mycenæ;
Nec non Cecropiæ; nec non Amphionis arces.
Vile solum Sparte est : altæ cecidere Mycenæ :
Œdipodioniæ quid sunt, nisi fabula, Thebæ?
Quid Pandioniæ restant, nisi nomen, Athenæ?
Nunc quoque Dardaniam fama est consurgere Romam;
Appenninigenæ quæ proxima Thybridis undis
Mole sub ingenti rerum fundamina ponit.
Hæc igitur formam crescendo mutat, et olim
Immensi caput orbis erit : sic dicere vates,
Faticinasque ferunt sortes : quantumque recordor,
Priamides Helenus flenti, dubioque salutis,

Nostrum, de statu rerum dici et conditione, et in utramque partem.

425. *Tumulos*. Oxoniensis et unus Strozzæ *titulos*. Versus quinque sequentes, scil. 426-430, delendos censet Heinsius tribus de causis : 1° quia libri veteres ex his quinque versibus modo hunc, modo illum non agnoscunt. 2° Quia poeta id agit, ut ex ruinis Trojæ Romam prodiisse demonstret. Perquam igitur inopportunam hic inculcari Spartes et reliquarum urbium mentionem? 3° Quia Pythagoræ ætate vel maxime floruerunt illæ urbes. Sed jam sæpius, in hac ipsa Pythagoræ oratione aliquoties vidimus, Ovidium anachronismi se reum fecisse, et, quasi oblitum sui, antiquis temporibus tribuisse, quæ non nisi sua ætate dici possent. Neque hi vs. impediunt, quo minus poeta vs. 431, commode ad Romæ initia transeat. Omnium minime autem MSS quorumdam negligentia hic movere quemquam debet. — *Fabula* et *nomen* dicuntur gentes urbesque deletæ. Virgilius, Æn. VII, 412, *nunc magnum manet Ardea nomen;* vide Drakenb. ad Sil. I, 293.

431. *Nunc quoque Dardaniam* etc. Commode et ingeniose orationem deduxit ad Romæ et initia et incrementa.—*Dardaniam*, quæ originem debet Trojano Æneæ.—*Consurgere*, surgere, *Romam*, fundamenta poni rerum Romanarum. — *Appenninigenæ*, ex Appennino profluentis, novum epitheton.—*Mole sub ingenti*, ita ut moles ingens superstruatur.—*Forma*, prima urbis delineatio, regnique fines primi.—Pro *crescendo mutat*, Thuaneus habet, *mutando crescit*, quod placet Burmanno, si legeretur *crescet*.

436. *Faticinas*. Quidam *vaticinas*, teste Ciofano; alii *faticanas;* Regii nostri *faticinas;* conf. ad IX, 417. *Ed.*—De *Heleno* vide XIII, 723. Erat οἰωνοπόλων ὄχ' ἄριστος Homero, Il. Z, 76. Vaticinia, quibus Æneam jam profecturum instruit, habet

Dixerat Æneæ, quum res Trojana labaret:
« Nate Dea, si nota satis præsagia nostræ
» Mentis habes; non tota cadet, te sospite, Troja.
» Flamma tibi ferrumque dabunt iter: ibis, et una
» Pergama rapta feres, donec Trojæque tibique
» Externum patrio contingat amicius arvum.
» Urbem et jam cerno Phrygios debere nepotes;
» Quanta nec est, nec erit, nec visa prioribus annis.
» Hanc alii proceres per secula longa potentem,
» Sed dominam rerum de sanguine natus Iuli
» Efficiet: quo, quum tellus erit usa, fruentur
» Ætheriæ sedes, cælumque erit exitus illi. »
Hæc Helenum cecinisse penatigero Æneæ,
Mente memor refero, cognataque mœnia lætor
Crescere, et utiliter Phrygibus vicisse Pelasgos.
» Ne tamen oblitis ad metam tendere longe
Exspatiemur equis: cælum, et quodcumque sub illo est,

Virg. Æn. III, 374-462. — *Recordor*, nempe audiverat hæc Pythagoras, quum Euphorbus esset. Male Æneam heroem inducit hic *flentem*.

439. *Si*, quandoquidem, ut sæpe. — *Si nota satis habes*. Ipse Æneas apud Virg. Heleno: « Qui numina » Phœbi, Qui tripodas, Clarii lau» ros, qui sidera sentis, Et volucrum » linguas etc. » — *Flamma . . . iter*, evades per flammam ferrumque sospes. — *Pergama*, spem novorum Pergamorum condendorum.

444. *Jam cerno*, vox vaticinantium. —*Debere* de iis, quæ fato destinata certissime eventura sunt. Idem Helenus Æneæ apud Virg. d. l. vs. 462: *Vade age, et ingentem factis fer ad æthera Trojam*.

447. *Sed ... natus Iuli Efficiet*. Adulatur Augusto. — *Terrarum domina* Roma dicta est et aliis; Frontin. de Aquæduct. « Regina et domina or» bis, quæ terrarum Dea gentium» que consistit, cui par nihil, et » nihil secundum. » — *Quo, quum tellus* etc. Jam additur apotheosis Augusti. Horatius, I, Od. II, 45: « Serus in cælum redeas, diuque » Lætus intersis populo Quirini etc.» Conf. Virg. Georg. I, 24 sqq.

450. *Penatiger* novum et, ut videtur, ab Ovidio factum epitheton Æneæ, qui Penates intulit Latio.— Pro *refero*, Palatinus *recolo*. — *Cognata*, dixit propterea, quia tempore Trojani belli Euphorbum se fuisse jactabat Pythagoras.

453. *Ne tamen oblitis* etc. Peroratio, qua redit, unde vers. 143 digressus erat, ad esum carnium — *Exspatiemur equis*. Virg. Georg. II,

Immutat formas, tellusque, et quidquid in illa est.
Nos quoque pars mundi, (quoniam non corpora solum,
Verum etiam volucres animæ sumus, inque ferinas
Possumus ire domos, pecudumque in pectora condi;)
Corpora, quæ possint animas habuisse parentum,
Aut fratrum, aut aliquo junctorum fœdere nobis,
Aut hominum certe, tuta esse et honesta sinamus:
Neve Thyesteis cumulemur viscera mensis,
Quam male consuescit; quam se parat ille cruori
Impius humano, vituli qui guttura cultro
Rumpit, et immotas præbet mugitibus aures!
Aut qui vagitus similes puerilibus hœdum
Edentem jugulare potest: aut alite vesci,
Cui dedit ipse cibos! quantum est, quod desit in istis
Ad plenum facinus! quo transitus inde paratur!
Bos aret, aut mortem senioribus imputet annis:
Horriferum contra Borean ovis arma ministret:
Ubera dent saturæ manibus pressanda capellæ.
Retia cum pedicis, laqueosque artesque dolosas
Tollite: nec volucrem viscata fallite virga:
Nec formidatis cervos includite pinnis:

541, de se ad metam tendente: « Sed » nos immensum spatiis confecimus » æquor: Et jam tempus equum fu» mantia solvere colla. » — *Volucres*, quæ transeunt ex alio corpore in aliud.

461. *Tuta esse et honesta*. Heinsius malebat *tuta atque ivadesa*; vel *tuta esse et incsa*: sed *honesta* est honore ornanda, honorata, ut apud Ciceronem, II, Epist. 15, *Cæsarem honestum esse volo*, et alibi passim. *Ed.* — Graviter et admodum invidiose *Thyesteæ mensæ*, carnes, quas inhabitarunt animæ liberorum, fratrum, parentum nostrorum. Invidiose etiam *cumulemur*.

463. *Quam se parat* etc. quam parum abest ille ab homicidio. Verba sequentia plena sunt affectus. — *Alite*, gallinis, anatibus, anseribus. —*Plenum facinus*, homicidium. Jam Lenzius interpungi mallet: *facinus, quo* (dativo casu, ad quod) *transitus*. Non bene.

471. *Arma*, lanas, quæ præbent vestimenta et tegumenta contra vim Boreæ; confer vers. 117.

475. *Formido*. Intelligitur funiculus venatorum pennis vel *pinnis*

Nec celate cibis uncos fallacibus hamos.
Perdite, si qua nocent: verum hæc quoque perdite tantum;
Ora vacent epulis; alimentaque congrua carpant. »
III. Talibus atque aliis instructo pectore dictis
In patriam remeasse ferunt, ultroque petitum
Adcepisse Numam populi Latialis habenas,
Conjuge qui felix Nympha, ducibusque Camenis,
Sacrificos docuit ritus, gentemque, feroci
Adsuetam bello, pacis traduxit ad artes.
Quem postquam senior regnumque, ævumque peregit,
Exstinctum Latiæque nurus, populusque, patresque,
Deflevere Numam: nam conjux, urbe relicta,
Vallis Aricinæ densis latet abdita silvis,
Sacraque Oresteæ gemitu, questuque Dianæ
Impedit: ah quoties Nymphæ nemorisque, lacusque,
Ne faceret, monuere, et consolantia verba

intextus, quo cervi territi in retia agebantur: vide interpretes ad h. l. et Cerdam ad Virg. Georg. III, 372. — *Nec celate* etc. Tibullus, II, VI, 24, *Quum tenues hamos abdidit ante cibos.* — *Congrua*, convenientia corpori humano. MSS plurimi (et Regii ambo nostri) *alimenta mitia.* — Eleganter *carpere alimenta.*

479-551. *Egeria* dolens mortem Numæ mutatur in *fontem.* Inserta est de *Hippolyti* fatis et transformatione in *Virbium* fabula. — *Ultro petitum.* Vide Dionys. Halicarn. II. — *Habenas.* Ita Latinus *rerum reliquit habenas* apud Virgilium, Æneid. VII, 600.

482. *Conjuge felix*, conjugem habens e formula solemni, de qua alibi. — Egeriam vel *Nympham* fuisse tradebant, vel unam Musarum; Dionysius Halic. II, 60; Livius, I, 21: « Lucus erat... quo quia se persæpe » Numa sine arbitris, velut ad congressum Deæ, inferebat, Camenis eum lucum sacravit, quod earum ibi concilia cum conjuge sua » Egeria essent. »

485. *Quem* pro *qui* ex Cantabr. Sed tum Heinsius porro, vers. 487 volebat, *Deflevere virum* aut *simul*: Burmannus conjicit *Deflevere: Numæ nam.* — *Nurus*, matronæ, mulieres. Eo defuncto magnum luctum fuisse in tota urbe, etiam Dionysius Halic. II, 76, refert.

488. *Aricia* oppidum Latii sub Albano monte, quo *Dianam* Tauricam, interfecto Thoante rege, cum Iphigenia sorore transtulit *Orestes.* Ea in proximo nemore culta ritu peregrino, quo servi mactabantur; Hyginus, fab. 266; Solinus, lib. II, pag. 13. Secundum Græcos Sparten est translata aut Brauron. Pausanias conferatur, III, 16.

Dixere! ah quoties flenti Theseius heros,
« Siste modum! dixit: nec enim fortuna querenda
Sola tua est: similes aliorum respice casus,
Mitius ista feres: utinamque exempla dolentem,
Non mea te possent relevare! sed et mea possunt.
Fando aliquem Hippolytum vestras, puto, contigit aures,
Credulitate patris, sceleratæ fraude novercæ
Occubuisse neci: mirabere, vixque probabo.
Sed tamen ille ego sum: me Pasiphaeia quondam
Tentatum frustra patrium temerasse cubile,
Quod voluit, finxit voluisse, et crimine verso,
Indiciine metu magis, offensane repulsæ,
Arguit: immeritumque pater projecit ab urbe,

492. *Theseius heros*, Hippolytus post mortem huc translatus a Diana; vide inf. 542; et Fast. VI, 745. *Ed.*

497. *Hippolyti* fabulam tractarunt Euripides et Seneca in Hippolyt. Virgil. Æn. VII, 761 sqq. Confer Hyginum, fab. 47, et Cluverium in Ital. ant. pag. 931 s. Fuit Aricìorum domestica fabula; Pausan. II, 9.— *Vestras, puto, contigit aures.* Vulgo *si contigit*; Heinsius autem dedit *puto* ex Urbinate, Berneggeriano, Arondeliano, Oxoniensi et octo aliis. Codex noster A habet *quod*; permulti alii *quoque*. Eleganter de fama loquens, *vestras* inquit pluraliter: deinde addens miraculum, singulariter *mirabere*, tamquam notitia ad omnes, miraculum vero maxime ad Egeriam spectet. *Ed.*— *Credulitate patris*, id est Thesei, qui nimium facile credidit Phædræ uxori privignum accusanti. *Ed.*

500. *Pasiphaeia*, Phædra Minois et Pasiphaes filia, quam, mortua Hippolyta, conjugem duxit Theseus. Ea exarsit in amorem Hippolyti, et studio venandi et virginitate Dianam colentis. *Frustra tentatum* juvenem, indignissime ferentem incestos novercæ amores, *arguit. patrium temerasse cubile*, id est incesti stupri insimulavit.—*Temerare*, stupro polluere, *patrium cubile* etiam II, 592; χρᾶναι λέχος, Eurip. 1266. Credulus pater fidem habens fraudi sceleratæ novercæ, *immeritum*, innocentem, *projecit ab urbe*, in exsilium abegit, *hostilique prece caput ejus detestatur*, Neptunum orat, ut filium ob cubile patrium temeratum interficiat.—Versum 502, *Quod voluit* etc. cum Heinsio adulterinum judico.—Post *offensane repulsæ* subintellige *dubium est*. Heinsius tamen suspicatur, τὸ *magis* obrepsisse in locum τοῦ *dubium*.—*Projici* sæpe de exsulibus dici docet Burmannus. Hyginus, e conjectura Schefferi, *mænibus excedere jussit*. Indictum ei est, ὡς οὐκ ἔτ' ἐν γῇ τῇδ' ἀναστρέψοι πόδα; Eurip. vs. 1176; et vs. 893, ipse Theseus, ἐξελῶ σφε τῆσδε γῆς· 973, ἔξερρε γαίας τῆσδε ὅσον τάχος

Hostilique caput prece detestatur euntis.
Pittheam profugo curru Trœzena petebam;
Jamque Corinthiaci carpebam litora ponti,
Quum mare surrexit, cumulusque immanis aquarum
In montis speciem curvari, et crescere visus,
Et dare mugitus, summoque cacumine findi.
Corniger hinc taurus ruptis expellitur undis,
Pectoribusque tenus molles erectus in auras,
Naribus, et patulo partem maris evomit ore.
Corda pavent comitum, mihi mens interrita mansit,
Exsiliis contenta suis, quum colla feroces
Ad freta convertunt, adrectisque auribus horrent

φυγάς.— *Hostili prece*; imprecatione hosti conveniente, non patri: Theseus enim Neptunum patrem precatus est, ut Hippolytus filius disceperetur. *Ed.*

506. *Pittheam*, ubi Pittheus regnabat, apud quem educatus Hyppolytus. Confer cum sequentibus Euripidem, vs. 1102 sqq, ubi nuntius hæc narrat. Ibi Hippolytus via vehitur, quæ recto tramite ad Argos ducit et Epidaurum. Ubi litus adtigit ponti Saronici, gravis fremitus, tamquam tonitru Jovis auditur, quo percussi equi caput auresque arrigunt, comitesque metu corripiuntur. Mox fluctus decumanus ad astra surgens, atque isthmum petramque Æsculapii abscondens, taurum, ferum monstrum, protrudit, quo consternantur equi. Hippolytus equestris artis gnarus arripit habenas. Frustra: rota illiditur saxo, currus labitur excutitque Hippolytum. Miser habenis involutus raptatur; caput impingitur saxis, membra vulnerantur. Tandem sectis comitum ope loris, exanimis jacet. Sed illud *exanimis et extremum spiritum trahens* Ovidio non satis fuit; singula membra fœde discerpta nobis ostendit.

508. *Quum mare surrexit* etc. Hæc facta Neptuno auctore, a quo tria Theseus optaverat, in quibus et hoc, ut Hippolytus interiret; Cic. Off. I, 10; III, 25; Schol. Euripidis ad Hippol. vers. 1349: Seneca, 1004, « Quum subito vastum tumuit ex » alto mare, Crevitque in astra... » Consurgit ingens pontus. » Vide Fast. Vol. VI, Ed. nost. p. 180 et 446.

511. *Corniger hinc taurus* etc. Ita et Euripides, vs. 1214, Κῦμ' ἐξέθηκε ταῦρον, ἄγριον τέρας. Phocam fuisse Servius ait ad Virg. Æn. VI, 448. *Taurus* ille terribilis pluribus describitur a Seneca, 1033 sqq. Ibi non *partem maris*, sed *flammam* vomit.

515. *Exsiliis contenta suis*. Excerpta Calandræ *exsilii contenta sui*, quod elegans videtur Heinsio. — *Contenta*, occupata, intenta, quod posterius h. l. quartus Mediceus et unus Leid. habent. Seneca, 1051: « Solus immunis metu Hippolytus » arctis continet frenis equos, Pavi» dosque notæ vocis hortatu ciet. »

Quadrupedes, monstrique metu turbantur, et altis
Præcipitant currus scopulis : ego ducere vana
Frena manu, spumis albentibus oblita, luctor;
Et retro lentas tendo resupinus habenas :
Nec vires tamen has rabies superasset equorum,
Ni rota, perpetuum qua circumvertitur axem
Stipitis occursu fracta ac disjecta fuisset.
Excutior curru : lorisque tenentibus artus
Viscera viva trahi, nervos in stirpe teneri,
Membra rapi partim, partim reprensa relinqui,
Ossa gravem dare fracta sonum, fessamque videres
Exhalari animam, nullasque in corpore partes,
Noscere quas posses : unumque erat omnia vulnus.
Num potes, aut audes cladi componere nostræ,
Nympha, tuam? vidi quoque luce carentia regna,
Et lacerum fovi Phlegethontide corpus in unda :
Nec, nisi Apollineæ valido medicamine prolis,
Reddita vita foret : quam postquam fortibus herbis,
Atque ope Pæonia, Dite indignante, recepi,

525. *Nervos in stirpe teneri.* Heinsius conjicit *nervos in vepre teneri*, quia Seneca, Hippol. 1002, « inde » semanimem secant Virgulta, acu- » tis asperi vepres rubis. » — *Reprensa*, retracta, *relinqui* in corpore. Hanc corporis dilacerationem expressit et Seneca, vers. 1082 sqq. ubi « implicuit cadens Laqueo tenaci » corpus, illisum caput Scopulis re- » sultat; auferunt dumi comas : ora » durus pulchra populatur lapis. » Aliquamdiu « raptum truncus am- » busta sude medium per inguen » stipite ejecto tenet, » etc. — Confer de Hippolyti morte nostrum *Racine*, *Phedre*, Act. V, sc. 6. *Ed.*

529. *Unumque erat omnia vulnus.* Silius, X, 519, « toto corpore vul- » nus ». Lucan. IX, 814, « Omnia » plenis Membra fluunt venis : totum » est pro vulnere corpus. » *Ed.*

532. *Et lacerum fovi* etc. Et corpus laniatum in ardentissima Phlegethontis aqua lavi. *Ed.* — *Fovere* notionem habet omnino gratæ refectionis; Plinius, V, Ep. VI, 20, *platanos dispergine fovet.* Hoc loco abluendo reficere. Sed Ovidius ingenio abusus est. — *Apollinea proles*, Æsculapius Apollinis filius, quem ob Hippolytum in vitam revocatum fulmine percussit Jupiter; vide ad II, 643. — *Ope Pæonia* simplic. ope medica, ut Virgilius, vers. 769, *Pæoniis herbis.* Alium mythum se-

Tum mihi, ne præsens augerem muneris hujus
Invidiam, densas objecit Cynthia nubes :
Utque forem tutus, possemque impune videri,
Addidit ætatem, nec cognoscenda reliquit
Ora mihi : Cretenque diu dubitavit habendam
Traderet, an Delon : Delo, Cretaque relictis
Hic posuit, nomenque simul, quod possit equorum
Admonuisse, jubet deponere : « Quique fuisti
» Hippolytus, dixit, nunc idem Virbius esto. »
Hoc nemus inde colo, de Disque minoribus unus
Numine sub dominæ lateo, atque accenseor illi. »
  Non tamen Egeriæ luctus aliena levare
Damna valent, montisque jacens radicibus imis
Liquitur in lacrymas : donec, pietate dolentis

cutus est Horatius, IV, Od. VII, 25, ex quo pudicum juvenem frustra in vitam revocare conata est Diana.—*Pæan* nomen medici apud Homerum, a quo curatus Pluto : quin et Pæan vocatur Apollo, medicinæ inventor. *Ed.* — *Dite indignante* minui sibi imperium, violari regni fœdera, quum ad lucem contra fas retraheretur, qui Styga jam viderat, et paludem *irremeabilis undæ* transierat. *Ed.*

536. *Præsens* in cælo ; Virgilius, « Tum pater omnipotens, aliquem » indignatus ab umbris Mortalem » infernis ad lumina surgere vitæ » etc. » Aricini narrabant, Hippolytum in vitam revocatum, quum ignoscere patri nollet, in Italiam venisse, ibique consecrato Aricinæ Dianæ templo regnasse ; Pausanias, Corinth. p. 173. Apud Euripidem, 1423 sqq, Diana morientem consolatur honoribus, quos inter Trœzenios consecuturus sit. — *Cynthia ;* Diana, ut Apollo Cynthius, a Cyntho monte Deli, ubi nati sunt. *Ed.*

539. *Addidit ætatem ;* me natu majorem fecit, quam essem, quum ab equis fui dilaceratus. *Ed.*

542. *Hic posuit* etc. Virgilius : « At » Trivia Hippolytum secretis alma » recondit Sedibus, et Nymphæ » Egeriæ nemorique relegat. » — *Virbius* quasi bis vir, παλίμβιος : nempe in templo Dianæ Aricinæ domestica religione colebatur Virbius quidam, quem seriores, non satis constat cur, Hippolytum interpretati sunt.

546. *Accenseor illi*, datus ei sum πάρεδρος. Inscriptio apud Gudium, pag. 30, *Dianæ Arecinæ et Virbio Sacr. Accensi* dicebantur ministri publici magistratibus adtributi. *Accenseor* habent prim. Strozzæ, unus Leidensis et unus Ambrosianus ; alii *adsentior.* — Plura sunt hic genera lectionis, quæ vide apud Heinsium. Codex noster Regius A *adsentior ;* codex B *accersior*, et pro varia lectione *acceptior.* Ed.

Mota, soror Phœbi gelidum de corpore fontem
Fecit, et æternas artus tenuavit in undas.
IV. At Nymphas tetigit nova res; et Amazone natus
Haud aliter stupuit, quam quum Tyrrhenus arator
Fatalem glebam mediis adspexit in arvis,
Sponte sua primum, nulloque agitante, moveri,
Sumere mox hominis, terræque amittere formam,
Oraque venturis aperire recentia fatis.
Indigenæ dixere Tagen, qui primus Etruscam
Edocuit gentem casus aperire futuros.
V. Utque Palatinis hærentem collibus olim
Quum subito vidit frondescere Romulus hastam,
Quæ radice nova, non ferro stabat adacto,
Et jam non telum, sed lenti viminis arbor
Non exspectatas dabat admirantibus umbras.
VI. Aut sua fluminea quum vidit Cipus in unda
Cornua, vidit enim, falsamque in imagine credens
Esse fidem, digitis ad frontem sæpe relatis,

550. *Gelidum de corpore* etc. Egeria fons et lucus ad Ariciam est. Fons, olim religiose cultus et ornatus, Juvenal. II, 17, etiam hodie ostenditur. — *Tenuari* proprie dicuntur quorum corpus evanescit, aut in aquam abit.

552-559. *Tages*, auctor haruspicinæ apud Etruscos, ex gleba; cf. Cicero de Div. II, 23. Vid. omnino Dempsteri Etrur. Regal. III, 1. Admixta autem est nova hæc et mira fabula per comparationem, eique et aliæ sic additæ. — Hippolyte fuit una ex *Amazonibus*. — Quantopere *arator* ille in agro Tarquinio *obstupuerit*, narrat Cicero d. l. — *Fatalem*, a fatis motam, ut homo inde oriretur.

560-564. *Romuli hasta* in arborem. Conf. Plutarchus in Rom. Servius ad Virgilium, Æneid. III, 46.— *Hærentem*. Missa ex Aventino monte, *hæsit*, fixa est, in Palatino; Lactantius in Argumento. Erat cornea, et quamdiu illa vigebat, florebat etiam imperium Romanum. — *Lenti viminis*; flexibilis virgæ: cornus enim arbor ramos admodum flexibiles habet: *bonam bello* vocat Virgilius, Georg. lib. II, vers. 447. *Ed.*

565-621. *Genutius Cippus* cornutus factus. Conf. Valer. Maximus, V, 6. Meminit ejus etiam Plinius, XI, 37. Fuit prætor; sed quo tempore vixerit, non constat. Hoc videmus hoc ipso loco, nihil ei fuisse carius patria.— *Cipus*, non *Cippus*, scribunt vetusti codices, Val. Maximus et nummi.

Quæ vidit, tetigit : nec jam sua lumina damnans
Restitit; ut victor domito remeabat ab hoste.
Ad cælumque oculos, et eodem brachia tollens,
« Quidquid, ait, Superi, monstro portenditur isto,
» Seu lætum est, patriæ lætum, populoque Quirini :
» Sive minax, mihi sit : » viridique e cespite factas
Placat odoratis herbosas ignibus aras;
Vinaque dat pateris, mactatarumque bidentum
Quid sibi significent, trepidantia consulit exta.
Quæ simul inspexit Tyrrhenæ gentis haruspex,
Magna quidem rerum molimina vidit in illis,
Non manifesta tamen : quum vero sustulit acre
A pecudum fibris ad Cipi cornua lumen;
« Rex, ait, o salve : tibi enim, tibi, Cipe, tuisque
» Hic locus, et Latiæ parebunt cornibus arces.
» Tu modo rumpe moram, portasque intrare patentes
» Adpropera : sic fata jubent : namque Urbe receptus
» Rex eris, et sceptro tutus potiere perenni. »

569. *Remeabat ab hoste.* Val. Maximus narrat, cornua ei, quum adversus hostem proficisceretur, esse nata. In bello sæpe digitos ad frontem retulerat; nunc vero rediens ab hoste scire voluit, quid illa significarent; itaque restitit etc.

570. *Brachia tollens.* Plurimi inepte *cornua tollens.* — Ambo Regii nostri hanc posteriorem habent lectionem, quam Heinsius hic importune ab arguto aliquo nugatore inculcatam ait : alteram igitur ex octo MSS dedit. *Ed.* — Pro *patriæ lætum* Bentleius conjicit *Patribus lætum.*

574. *Placari* dicuntur aræ, quum Dii placantur sacris in ara factis; vid. Burmannus. Hinc *placabilis ara* apud Virgil. Æneid. VII, 764. — *Trepidantia*; confer versum 136.

577. *Inspicere* et *inspicium* propria de haruspicibus; vide Heinsium. — *Tyrrhenæ gentis haruspex.* Quum ex Etruscis hoc divinationis per viscera animantium genus Romani didicerant, recte Ovidius Tyrrhenum vocat eum de quo hic agitur. *Ed.* — *Rerum molimina*, revolutionem civitatis. — *Manifesta*, certa : sic *manifesta victoria*, certo eventura, Florus, II, VII, 7.

580. *Cornua* ex antiquissima idea symbolum potentiæ et majestatis. Hinc in nummis multi reges illa sibi tribuerunt; vide Spanhemium de Usu et præst. numis. dissertat. VII. — *Arces* etiam de finibus dici, docet Burmannus ad Virgilium, Georg. II, 172.

Rettulit ille pedem, torvamque a mœnibus Urbis
Avertens faciem; « Procul, ah! procul omina, dixit,
» Talia Di pellant, multoque ego justius ævum
» Exsul agam, quam me videant Capitolia regem. »
Dixit; et extemplo populumque gravemque senatum
Convocat: ante tamen pacali cornua lauro
Velat, et aggeribus factis a milite forti
Insistit, priscoque Deos e more precatus,
« Est, ait, hic unus, quem vos nisi pellitis urbe,
» Rex erit: is qui sit, signo, non nomine, dicam.
» Cornua fronte gerit, quem vobis indicat augur,
» Si Romam intrarit, famularia jura daturum.
» Ille quidem potuit portas irrumpere apertas:
» Sed non obstitimus, quamvis conjunctior illo
» Nemo mihi est: vos Urbe virum prohibete, Quirites,
» Vel, si dignus erit, gravibus vincite catenis;
» Aut finite metum fatalis morte tyranni. »
Qualia succinctis, ubi trux insibilat Eurus,

586. *Rettulit pedem*, nempe cohorrescens; Phædrus, II, fab. 1, 6, *Feroque viso retulit retro pedem*. Et tali horrore etiam omina averti credebant; Theophr. ch. 16. Lenzius vero explicat: non ingressus est urbem. — *Torvam*, indignationem generosam præ se ferentem; Horat. III, Od. v, 44, Regulus *virilem Torvus humi posuit vultum*. — *Exsul agam*; et egit auctore Valerio.

590. *Populum... convocat*. Non video, quomodo extra urbem extemplo populum et senatum convocare potuerit. — *Gravem* propter auctoritatem. — *Pacalis laurus*, ut *pacalis olea* VI, 111, ubi vide notam. Victoriæ et triumphi signum nunc non erat. Plinius, XV, 30, de lauro: « Ipsa pacifera, ut quam prætendi » etiam inter armatos hostes quietis » sit indicium. » — *Velare* in hac re verbum proprium. Adparet autem, exigua fuisse illa cornua. — *Aggeribus* alio tempore a milite factis, nunc verba facturus, loco tribunalis utitur.

593. *Deos precatus*. Virg. Æn. XI, 301, « Præfatus Divos solio sic infit » ab alto. » Ibi Servius: « More an» tiquo; nam majores nullam ora» tionem, nisi invocatis numinibus » inchoabant. » Lenzius contra preces commemorat, quas triumphaturi ante urbem faciebant. Cipus vero non triumphaturus erat, sed dicturus. — Vide apud nostrum *Lafontaine*, exordium fabulæ *le Paysan du Danube*. Ed. — *Famularia*, servilia.

603. *Succinctis*. Unus Leid. habet *Peliacis*, eleganter judice Heinsio;

Murmura pinetis fiunt; aut qualia fluctus
Æquorei faciunt, si quis procul audiat illos;
Tale sonat populus: sed per confusa frementis
Verba tamen vulgi vox eminet una, « Quis ille? »
Et spectant frontes, prædictaque cornua quærunt.
Rursus ad hos Cipus; « Quem poscitis, inquit, habetis, »
Et, demta capiti, populo prohibente, corona,
Exhibuit gemino præsignia tempora cornu.
Demisere oculos omnes, gemitumque dedere,
Atque illud meritis clarum (quis credere possit?)
Inviti videre caput: nec honore carere
Ulterius passi, festam imposuere coronam.
At proceres, quoniam muros intrare vereris,
Ruris honorati tantum tibi, Cipe, dedere,
Quantum depresso subjectis bubus aratro
Complecti posses ad finem solis ab ortu:
Cornuaque æratis, miram referentia formam,
Postibus insculpunt, longum mansura per ævum.

VII. Pandite nunc, Musæ, præsentia numina vatum,

sed nec vulgatum damnat. *Ed.*—De succinctis vide ad X, 103.

610. *Populo prohibente.* Hic hæserunt interpretes: quum in MSS nulla sit varietas, Burmannus conjicit *populo mirante*, *spectante*, vel simile aliquid; male: *prohibente* est prohibere volente, nempe clamoribus suis, invito populo. Nolebat populus tam clarum meritis caput corona privari. Itaque rursus ei *imponunt festam coronam*. Plane sic *se prohibente* legitur V, 45. Populi sensus mox bene expressus, sed inepte additum, *quis credere possit?*

620. *Æratis...postibus.* Ante Heinsium edebatur *auratis*, quod habent omnes libri scripti; hoc mutavit ductus, ut ait, ratione et fide historiæ, quam habes in loco Valerii quem infra refert doctiss. Gierigius. Non improbanda certe est emendatio. *Ed.* — Valerius, d. l. de hoc *Cipo:* « Capitis effigies æreæ portæ, qua » excesserat, inclusa est, dictaque » rauduscula; nam olim æra rau- » dera dicebantur. » M. Varro: « Deinde porta rauduscula, quod » ærata fuit, æs raudum dictum. » — Pro *miram...formam*, unus Leidensis habet *veram* etc. quod non omnino damnandum censet Burmannus, nisi quis malit *veterem*.

622-744. *Æsculapius in insulam Tiberis arcessitus.* Anno urb. cond. 462, Q. Fabio Gurgite, D. Junio

Scitis enim, nec vos fallit spatiosa vetustas,
Unde Coroniden circumflua Thybridis alveo
Insula Romuleæ sacris adsciverit urbis.

Dira lues quondam Latias vitiaverat auras,
Pallidaque exsangui squalebant corpora tabo :
Funeribus fessi postquam mortalia cernunt
Tentamenta nihil, nihil artes posse medentum,
Auxilium cæleste petunt : mediamque tenentes
Orbis humum Delphos adeunt, oracula Phœbi;
Utque salutifera miseris succurrere rebus
Sorte velit, tantæque urbis mala finiat, orant.
Et locus, et laurus, et, quas habet illa, pharetræ,

Bruto Scæva coss. pestilentia vastavit urbem agrosque. Libri Sibyllini aditi, quodnam remedium ejus mali a Diis daretur, Æsculapium ab Epidauro arcessi jusserunt. Legati anguem, qui se in navem eorum contulerat, in quo ipse Deus latebat, deportavere : eoque in insulam Tiberis egresso, eodem loco sedes Æsculapio consecrata est; Livius, X, 47; Epitome Livian. libro XI; Valer. Maximus, I, 8; Orosius, III, 22; Lactantius, Inst. II, VII, 13; Plutarchus, Quæst. Rom. tom. VII, Opp. p. 153 edit. Reiskii. Tota fabula a Nostro magna cum diligentia, multoque ingenio tractata.

623. Invocatio Deorum in rebus a *spatiosa*, remota a nostris temporibus, *vetustate* repetitis, ad exemplum Homeri, Il. B, 484, et Virgilii, Æn. VII, 641, instituta. Et ita novo modo a fabula superiore transit ad sequentem.

624. *Unde ... urbis*, quam ob causam Æsculapius, Deus Epidaurius, a Romanis in insula Tiberis coli cœptus sit.—*Coronides*, Æsculapius Apollini e Coronidis utero exsectus; II, 628 sqq.—*Thybridis alveo*, Thybride : sed *alveo*, pro vulgato *alti*, de suo dedit Heinsius. Forte præstat *undis*, quod exhibent pr. Vaticanus, pr. Ambrosianus, Neap. et duo Medicei : Burmannus mallet, *Thybride flavo*. — Ambo Regii habent vulgatum *alti*. — Ea insula dicta *insula Æsculapii*; Suetonius, Claud. 25. De ejus origine vide Livium, II, 5. Mox recte *adsciverit*; Diis enim indigenis, domesticis, patriis opponuntur *adsciti* (Græcis ἐπίθετοι), eorumque sacra *adscita*; vid. Heins.

626. *Dira*, grave epitheton, quo tria simul significantur, a Diis iratis immissa, mali ominis et præter modum omnia vastans, ut *dira grando* apud Horatium, I, Od. II, 2; Livius, d. l. « pestilentia urens simul » urbem atque agros; portentoque » jam similis erat clades. » Copiosiorem pestilentiæ descriptionem habes supra VII, 523 sqq; itaque h. l. paucis ea defungitur. —*Exsangui tabo*, sanguine in tabum, saniem corrupto.

630. *Mediam tenentes*. Vid. X, 167. — *Orbis humus*, orbis terrarum.

634. *Et locus, et laurus*, etc. Locus

Intremuere simul : cortinaque reddidit imo
Hanc adyto vocem, pavefactaque pectora movit :
« Quod petis hinc, propiore loco, Romane, petisses;
» Et pete nunc propiore loco : nec Apolline vobis,
» Qui minuat luctus, opus est, sed Apolline nato :
» Ite bonis avibus, prolemque arcessite nostram. »
Jussa Dei prudens postquam adcepere senatus,
Quam colat, explorant, juvenis Phœbeius urbem,
Quique petant ventis Epidauria litora mittunt.
Quæ simul incurva missi tetigere carina,
Concilium Graiosque patres adiere; darentque
Oravere Deum, qui præsens funera gentis
Finiat Ausoniæ : certas ita dicere sortes.

adumbratus e Virgilio, Æn. III, 90. — *Quas habet illa, pharetræ.* Vulgo *quas habet ipse pharetras*; primus Palatinus, alter Hamburgensis et unus Mediceus *ipsa, illa pharetras*; alii *ipsa, pharetræ* : hinc Heinsius locum constituit. Regii ambo codices *ipse, pharetræ.*—*Illa*, laurus, *habet pharetras*, ea ornatæ sunt pharetræ; vid. I, 558. Lenzius vero intelligit pharetras e lauro suspensas : Apollinem enim, ubi templum intrarit, e mente Ovidii pharetram sic suspendisse. — *Tremor* ille signum præsentiæ divinæ. Conf. vers. 671 sq.— *Cortina*, operculum tripodis, ὅλμος. *Cortina reddidit vocem*, vox elata est per cortinam, ex *imo adyto*, ex imo specu, cui cortina imposita.

637. *Propiore loco.* Lenzius observat, Epidauron Romanis propiorem fuisse oraculo Delphico. Id falsum esse, mappa geographica docere quemque potest. Immo Delphi propiores Romanis Epidauro. Burmannus putat, poetam confudisse Epidaurum Illyricam cum Peloponnesiaca. Non nego, veteres, ipsumque Ovidium, passim lapsos esse in geographicis; sed nunc per *propiorem locum* ipsam Romam intellexit, ubi libri Sibyllini servabantur. *Quod petis*, scire cupis ex me, quale nempe remedium morbi sit, id potuisses Romæ e libris Sibyllinis cognoscere. Et id esse factum, Livius d. l. docet: « Libri aditi, quinam finis, aut quod » remedium ejus mali a Diis dare» tur. Inventum in libris, Æscula» pium ab Epidauro Romam arces» sendum. » Sin Epidaurum intelligere vellemus, ineptum fuisset et stultum oraculum. Qui enim sponte scire Romani poterant, Æsculapium esse arcessendum ?

642. *Quam urbem colat*, qua in urbe templo et sacris colatur; vide ad X, 529.— *Epidauria litora.* Epidaurus enim in Argiæ litore orientali sita ad sinum Saronicum. Ex eadem urbe Æsculapii cultus in alias terras propagatus; Pausan. II, 26.

645. *Concilium*, populum convocatum. — *Certas sortes.* Vide ad I,

Dissidet, et variat sententia : parsque negandum
Non putat auxilium : multi renuere, suamque
Non emittere opem, nec numina tradere suadent.
Dum dubitant, seram pepulere crepuscula lucem,
Umbraque telluris tenebras induxerat orbi :
Quum Deus in somnis opifer consistere visus
Ante tuum, Romane, torum : sed qualis in æde
Esse solet; baculumque tenens agreste sinistra
Cæsariem longæ dextra deducere barbæ,
Et placido tales emittere pectore voces :
« Pone metus; veniam; simulacraque nostra relinquam :
» Hunc modo serpentem, baculum qui nexibus ambit,

491. *Sortes dicunt* et alibi legitur, monente Heinsio. Non tamen Burmannus spernit lectionem nonnullorum MSS, *certas addicere sortes*; nam *addicere* verbum in hac re proprium.—Reg. noster A habet *certant addiscere sortes*; codex B *certant ita dicere sortes*. Verbum *certant*, id est contendunt, plurimi exhibent : lectionem *certant addicere* defenderunt Raphael Regius, Ciofanus Heinsiusque; eamque veram putare fas est, quum in permultis reperiatur, et nonnulli tantum *certas* habeant. *Ed.*

648. *Dissidet sententia*; vide ad vers. 27. — Pro *emittere opem* Burmannus malit *amittere opem* ex Oxoniensi, quarto Mediceo, Arundeliano et septem aliis, quia mox *emittere* sequitur. — Ambobus in Regiis est *emittere*. — *Sera lux*, ultima diei pars. Etiam versum sequentem jugulat Heinsius, atque frigiditate sua Ovidio indignum pronuntiat. Sed abesse non potest; quandoquidem homines *crepusculi* tempore nondum dormiunt. Ovidius tria tempora se excipientia indicare voluit, seram lucem, crepuscula, ipsam noctem; cui similis vs. 663 s. Neque frigide noctem expressit. Ea *umbra* passim dici solet; Æneid. III, 589, *Humentemque Aurora polo dimoverat umbram*. Tum *inducere tenebras rebus* apud ipsum Nostrum legitur, II, 395.

655. *Baculum agreste* : vide ad II, 681. Bacillum habebat nodosum, quod difficultatem artis significabat. — *Cæsaries barbæ*, barba. Minut. Felix, « Æsculapius bene barbatus, » etsi semper adolescentis Apollinis » filius. » Interdum tamen et imberbis exhibebatur; Spanhem. de Usu et Præst. num. p. 181. Et omnino varie fingebatur. Epidauriam ejus imaginem describit Pausanias, II, 27. In solio sedens altera manu baculum tenebat, altera serpentis caput premebat, cane ad pedes jacente. Barbam secundum Albricum, de Deorum Imagg. 20, dextra *tenebat*; sed Noster maluit *barbam deducere manu* pro, manum deducere in barba adprehensa : IV, 311, *deducere pectine crines*.

659. *Serpens* datus Æsculapio, quod vigilantissimum est animal,

» Perspice, et usque nota visu, ut cognoscere possis.
» Vertar in hunc; sed major ero, tantusque videbor,
» In quantum verti cælestia corpora debent. »
Extemplo cum voce Deus, cum voce Deoque
Somnus abit, somnique fugam lux alma secuta est.
Postera sidereos Aurora fugaverat ignes;
Incerti quid agant proceres ad templa petiti
Conveniunt operosa Dei: quaque ipse morari
Sede velit, signis cælestibus indicet, orant.
Vix bene desierant, quum cristis aureus altis
In serpente Deus prænuntia sibila misit,
Adventuque suo signumque, arasque, foresque,
Marmoreumque solum, fastigiaque aurea movit:
Pectoribusque tenus media sublimis in æde
Constitit; atque oculos circumtulit igne micantes.
Territa turba pavet: cognovit numina castos
Evinctus vitta crines albente sacerdos,
Et, « Deus en, Deus en: linguisque animisque favete,

quæ res ad tuendam valetudinem ægroti maxime apta est; vid. Festus, lib. 9. — *Notare visu*, ut XI, 714, *notare oculis*.—*Major ero*; nam omnino corpora Deorum majora erant humanis; vide nos ad Plinium, VII, Ep. XXVII, 2.

666. *Proceres* Epidaurii. — *Petiti Dei*; postulati a Romanis Æsculapii. *Ed.* — *Operosa*, magno artificio, magnoque labore exstructa, adeoque et splendida et ampla: vide ad I, 258. — *Cælestibus*, divinis.

669. *Aureus* commune epitheton est omnium Deorum. Et Epidaurii Æsculapio *fulvi* serpentis atque innoxii genus potissimum consecrarant; Pausanias, II, 28. — *Movit*: confer vers. 635.—*Pectoribus tenus*; vide ad III, 43.

675. *Cognovit numina castos*. Ita legitur in Regiis nostris; eamque lectionem Heinsius ex permultis recte defendit. Ciofanus laudabat *cognovit numina castus* etc. sed parum placent duo epitheta *castus* et *evinctus*. Cantabrigiensis, Noricus et sex alii pro diversa lectione dant *numen Acastus*; unus Basileensis *Acastos*. Ed. — *Castum* pietatis et sanctitatis notionem habet, adeoque inprimis sacerdotibus tribuitur. — *Evinctus*, ut apud Virgilium, Æneid. V, 269, 494. — De *albente sacerdotum vitta* vide ad III, 516 — Val. Maximus: *Is anguis, quem Epidaurii raro* (inde turbæ pavor), *sed nunquam sine magno ipsorum bono visum* (inde sacerdotis animus) *in modum Æsculapii venerati sunt*. — *Linguis animisque*

» Quisquis ades, dixit : sis, o pulcherrime, visus
» Utiliter; populosque juves tua sacra colentes. »
Quisquis adest, jussum venerantur numen; et omnes
Verba sacerdotis referunt geminata, piumque
Æneadæ præstant et mente et voce favorem.
Adnuit his; motisque Deus rata pignora cristis,
Ter repetita dedit vibrata sibila lingua.
Tum gradibus nitidis delabitur, oraque retro
Flectit, et antiquas abiturus respicit aras,
Adsuetasque domos, habitataque templa salutat.
Inde per injectis adopertam floribus ingens
Serpit humum, flectitque sinus, mediamque per urbem
Tendit ad incurvo munitos aggere portus.
Restitit hic; agmenque suum, turbæque sequentis
Officium placido visus dimittere vultu,
Corpus in Ausonia posuit rate : numinis illa
Sensit onus; pressaque Dei gravitate carina
Æneadæ gaudent, cæsoque in litore tauro
Torta coronatæ solvunt retinacula navi.

favete. Animo ad sacra attento, præstate sacris silentium, pia vota concipite, bona verba dicite. Mox, vs. 682, *præstant et mente et voce favorem.* Ed.— *Pulcher* frequens epitheton Deorum; Æn. VII, 656, *satus Hercule pulchro Pulcher Aventinus.*

681. *Referunt geminata*, repetunt. — *Præstant* etc. favent linguis animisque.

686. *Antiquas*; vide ad I, 116. Valer. Maximus : « Per urbis celeberrimas partes mitibus oculis et levi tractu labi cœpit... ad triremem Romanam perrexit. »

691. *Turbæ sequentis officium*, turbam officii causa ipsum prosequentem. *Officium* verbum proprium de honore, qui alicui habetur sectando, deducendo, etc. —*Posuit rate.* Valer. Max. « Eo conscendit ubi Q. Ogulnii legati tabernaculum erat, inque multiplicem orbem, per summam quietem, est convolutus. »

694. *Pressaque Dei* etc. Conf. III, 621. Dorvill. in codice antiquo reperit *carina est.* Hinc idem malit legere : *et pressa Dei gravitate carina est. Æneadæ* etc.

665. *Cæso tauro*, ex more solventium appellentiumque. — *Coronatæ* ob discessum optatum, ut alibi ob reditum salvum, hostemve victum. — *Retinacula navi.* Vulgo edebatur *retinacula puppis*, quod revocavit Mitscherlichius; hoc mutavit Hein-

Impulerat levis aura ratem : Deus eminet alte,
Impositaque premens puppim cervice recurvam
Cæruleas despectat aquas; modicisque per æquor
Ionium Zephyris sexto Pallantidos ortu
Italiam tenuit; præterque Lacinia templo
Nobilitata Deæ, Scylaceaque litora fertur.
Linquit Iapygiam, lævaque Amphissia remis
Saxa fugit; dextra prærupta Ceraunia parte,
Romechiumque legit, Caulonaque, Naryciamque,
Evincitque fretum, Siculique angusta Pelori,
Hippotadæque domos regis, Temesesque metalla,
Leucosiamque petit, tepidique rosaria Pæsti.

sius, quia etiam *puppim* mox sequitur; sed non debebat mutari casus, et scribendum erat *navis*, quod habent codices Regii nostri. *Ed.*

700. *Zephyris*, ventis omnino; nam ab Epidauro Italiam petentibus contrarius est Zephyrus. — *Lacinium* promontorium prope Crotonem, cum *templo* Laciniæ Junonis, sancto omnibus circa populis; Livius, XXIV, 3. — *Deæ* pro *Dea* dedit Heinsius e MSS Thuani, Politiani, primo Vaticano, prim. Palat. Arond. et aliis; idemque suasit præterea, *templa* in *templo* mutandum, in quo ego ei cum Mitscherl. obsecutus sum. — *Scylaceum* vel *Scylacium*, colonia Atheniensium in *litore* sita. — De *Iapygia* vide ad XIV, 458. — *Amphissia saxa*, promontorium Locrorum; vide Turnebum in Adversariis, I, 22 : sed male id in hoc itinere commemoratur. Isid. Vossius, quoniam unus codex *Arangia* habebat, legit *Argennia*, ut Argennum promontorium Siciliæ intelligatur. Sed hoc longe a freto erat. — *Lævaque* recepi e MSS Ciofani, uno Vatic. Cap. et uno Maffei; sequitur enim *dextra*. Probaverat etiam Ciof. Ceteri vel *levibusque* vel *levisque*. — In *Ceraunia* valde variant MSS : *Acroceraunia* illa Epiri h. l. intelligi nequeunt. Is. Vossius conjicit *Cocintia* a Cocinto promontorio. Heinsius e MSS multis *Celennia* (quod Regii nostri codices habent) defendit. Lenzius, si versus admitteret, legeret, quod Micyllus suasit, *Cenyia*, a promontorio Italiæ *Cenys*. — *Romechium* apud nullum geographum reperitur. Is. Vossius, cui adsentitur Heinsius, legit, *Lametumque*. Lenzius e conjectura Regii præfert *Rheginum*. — *Caulon* vel *Caulonia* Achæorum colonia, in alto litore condita. — *Naryx* vel *Naricium* Locrorum oppidum : sed hoc prius nominari debuisset. — *Evincit*. navigando superat; Horat. III, Od. 40, *Vincunt æquora navitæ*.

707. De *Temeses metallis* vide ad VII, 207. — *Leucosia*, insula contra Pæstanum sinum; Plinius, III, 6. Heinsius mallet *Leucasia*, quia *Leucosia*, Λευκωσία, apud Græcos syllabam secundam producit. Sed

Inde legit Capreas, promontoriumque Minervæ,
Et Surrentino generosos palmite colles,
Herculeamque urbem, Stabiasque, et in otia natam
Parthenopen, et ab hac Cumææ templa Sibyllæ.
Hinc calidi fontes, lentisciferumque tenentur
Liternum, multamque trahens sub gurgite arenam
Vulturnus, niveisque frequens Sinuessa columbis,
Minturnæque graves, et quam tumulavit alumnus,
Antiphatæque domus, Trachasque obsessa palude,
Et tellus Circæa, et spissi litoris Antium.
Huc ubi veliferam nautæ advertere carinam,
Asper enim jam pontus erat, Deus explicat orbes,
Perque sinus crebros, et magna volumina labens,

et alii licentia poetica secundam brevem fecerunt; vid. Drakenb. ad Silium, VIII, 580. — *Pæstum*, urbs Lucanorum, et clementissimo cælo utens, et rosis abundans; vide Cluver. Ital. Antiq. IV, 14.

710. *Surrentini colles* ad sinum Campaniæ abundabant generoso vino; Plin. XIV, 2. — *Herculeam urbem*, Herculanum. — *In otia natam*, ubi studia vel maxime coluntur; *otiosa Neapolis* apud Horat. Epod. V, 43; *docta Neapolis* apud Martial. V, Epigr. 78. *Hospita Musis otia* ei tribuit Silius, XII, 31. — De *Cumis* vide ad XIV, 104.

714. *Liternum* (vulgo *Linternum*: vid. Heinsius et Cluverius, Ital. Antiq. IV, 2,) oppidum Campaniæ, exsilio et sepulcro Scipionis nobile. Ibi frequens *lentiscus*, arbor mastichen fundens; Plinius, XIV, 20. — Per *calidos fontes* Baias intellige, et tota hæc litora quæ calidis fontibus rigantur; Plinius, III, 5.

715. *Frequens Sinuessa columbis*, ut Dionæis avibus circumsona Thisbe apud Stat. Theb. VII, 261. In Campania grandissimas provenire columbas, tradit Plinius, X, 37. — *Graves*, parum salubres ob palustre solum. *Palustres Minturnæ* apud Horatium, Epod. I, v, 4. *Gravitas cæli* sic est apud Cicer. Att. XI, 22. — *Quam tumulavit alumnus*, Caieta; vid. XIV, 157. Mulierem posuit pro loco, qui inde nomen accepit. — De *Antiphate* vide XIV, 234, et paulo post etiam de *Circæa* tellure. — *Trachas*, Anxur, quæ etiam Trachina, et Tarracina dicta; Livius, IV extr. « Anxur fuit, quæ » nunc Tarracinæ sunt, urbs prona in paludes. » — *Spissi*, densi, duri. — *Antium*, oppidum Latinorum maritimum. Huc egressum esse Æsculapium, etiam Valer. Maximus, d. l. tradit. Recte igitur Regius *Ancon* mutasse videtur in *Antium*. quod Heinsius etiam in multis MSS reperit.

720. *Deus explicat orbes* etc. Contra Virgilius, Æneid. XII, 743, *implicat orbes*; Plinius, IX, Epist.

Templa parentis init flavum tangentia litus.
Æquore pacato patrias Epidaurius aras
Linquit, et hospitio juncti sibi numinis usus,
Litoream tractu squamæ crepitantis arenam
Sulcat, et, innixus moderamine navis, in alta
Puppe caput posuit; donec Castrumque, sacrasque
Lavini sedes, Tiberinaque ad ostia venit.
Huc omnes populi passim, matrumque, patrumque
Obvia turba ruit, quæque ignes, Troica, servat
Vesta, tuos, lætoque Deum clamore salutant.
Quaque per adversas navis cita ducitur undas,
Tura super ripas, aris ex ordine factis,
Parte ab utraque sonant, et odorant aera fumis:
Ictaque conjectos incalfacit hostia cultros.
Jamque caput rerum, Romanam intraverat urbem:
Erigitur serpens, summoque adclinia malo
Colla movet, sedesque sibi circumspicit aptas.
Scinditur in geminas partes circumfluus amnis;
Insula nomen habet; laterumque a parte duorum
Porrigit æquales media tellure lacertos.

XXXIII, 5, *orbes implicitat expeditque*. In his et sequentibus vide diligentiam, ingenium et ornatum in hac narratione. — *Templa parentis.* Valer. Maximus ipsius Æsculapii templum nominat: sed parum credibile, eum jam tum cultum esse ab Antiatibus. — *Sulcat*; vide ad IV, 706. — *Crepitantis*; III, 75, de serpente, *Terra rasa sonat squamis.*

727. *Castrum* Inui, urbs Rutulorum. — *Sacras sedes*. quia Æneas Penates ibi in Palladis templo posuit. — *Passim*, sine ordine, bene conjungitur cum *ruit*, quod et ipsum est, currere sine lege. — *Troica Vesta*, quam Æneas una cum igne sacro et Penatibus asportavit; Virgilius, Æneid. II, 296.

734. *Sonare* de crepitu turis. — *Odorant fumis*, replent fumis odoratis. — *Conjectus* ut *adjectus* proprium de cultro adacto; vide Gronovium, Obs. pag. 87. — *Incalfacit hostia cultros*. Dum enim victimæ jugulantur, cultri sanguine calefiunt. *Ed.* — *Adclinia*. Vulgo, et in Regiis codicibus, *adclivia*.

739. *Scinditur in geminas* etc. Præclara insulæ, quam fluvius facit, descriptio. — *Porrigit*, extendit. Festus: « In insula Æsculapio facta » ædes fuit, quod ægroti a medicis » aqua maxime sustentantur. » Ca-

Huc se de Latia pinu Phœbeius anguis
Contulit, et finem, specie cæleste resumta,
Luctibus imposuit, venitque salutifer Urbi.
VIII. Hic tamen accessit delubris advena nostris:
Cæsar in urbe sua Deus est: quem Marte, togaque
Præcipuum, non bella magis finita triumphis,
Resque domi gestæ, properataque gloria rerum
In sidus vertere novum, stellamque comantem,
Quam sua progenies: neque enim de Cæsaris actis
Ullum majus opus, quam quod pater exstitit hujus.
Scilicet æquoreos plus est domuisse Britannos,
Perque papyriferi septemflua flumina Nili
Victrices egisse rates, Numidasque rebelles,
Cinyphiumque Jubam, Mithridateisque tumentem
Nominibus Pontum, populo adjecisse Quirini,
Et multos meruisse, aliquos egisse triumphos,
Quam tantum genuisse virum, quo præside rerum

terum hunc Æsculapii in serpente latentis adventum nummis etiam celebrarunt Romani; Spanhemius de Usu et Præst. num. II, 217.

745-870. *Julii Cæsaris apotheosis* graviter et in maximum Augusti honorem tractata. Causam ejus agit Venus, unde genus ducebat Cæsar, in concilio Deorum, eamque adjuvat Jupiter. Inest h. l. catalogus rerum et a Cæsare et ab Augusto gestarum.

748. *Properata*, properanter parta. Cic. pro Marc. 2, de Cæsare: « Nec vero disjunctissimas terras » citius cujusquam passibus potuisse » peragrari, quam tuis non dicam » cursibus, sed victoriis lustratæ » sunt. » — De *stella comante* vide vers. 849.

750. *Neque enim de Cæsaris* etc. Mirum in modum adulatur Augusto. — *Scilicet* ironicæ locutioni inservit. Male igitur Tan. Faber emendat *minus est domuisse*. Lenzius totum locum usque ad *cavistis abunde* interrogative capit. Sed hoc non patitur, opinor, τὸ *scilicet*. Vertit tamen sic et Rodius. — *Æquoreos*, æquore cinctos. — *Papyrifer Nilus* etiam III Trist. x, 27. — *Numidas rebelles*, qui jugum recipere nolebant, sed semper excutiebant, et qui, *Juba* duce, arma contra Cæsarem sumserunt. — *Cinyphium*, Africanum, a Cinype Africæ fluvio; VII, 272. — *Nominibus*, gloria et fama. — *Aliquos egisse*. Quinquies triumphavit; nempe quater eodem mense post devictum Scipionem, et rursus semel post superatos Pompeii liberos; Suetonius, Cæs. 37. —

Humano generi, Superi, cavistis abunde.
Ne foret hic igitur mortali semine cretus,
Ille Deus faciendus erat: quod ut aurea vidit
Æneæ genitrix; vidit quoque triste parari
Pontifici letum, et conjurata arma moveri.
Palluit, et cunctis, ut cuique erat obvia, Divis,
« Adspice, dicebat, quanta mihi mole parentur
» Insidiæ, quantaque caput cum fraude petatur,
» Quod de Dardanio solum mihi restat Iulo.
» Solane semper ero justis exercita curis?
» Quam modo Tydidæ Calydonia vulneret hasta;
» Nunc male defensæ confundant mœnia Trojæ:
» Quæ videam natum longis erroribus actum
» Jactarique freto, sedesque intrare silentum,
» Bellaque cum Turno gerere, aut, si vera fatemur,
» Cum Junone magis: quid nunc antiqua recordor
» Damna mei generis? timor hic meminisse priorum
» Non sinit: in me acui sceleratos cernitis enses:
» Quos prohibete, precor, facinusque repellite, neve
» Cæde sacerdotis flammas exstinguite Vestæ. »
Talia nequicquam toto Venus anxia cælo
Verba jacit, Superosque movet: qui rumpere quamquam
Ferrea non possunt veterum decreta Sororum,

Cavistis, prospexistis, consuluistis. Vulgo (et in Regiis codicibus) *favistis abunde*, quod fluxit ex interpretatione τοῦ *cavistis*.—Mitscherlichius verba *vidit quoque ... moveri* signis parentheseos inclusit, quod et alii fecere: male, nam *palluit* ad hoc membrum pertinet.

769. *Quam modo Tydidæ* etc. Venus vulnerata Diomedis hasta. Homerus, Il. E, 335. *Bothe* dabat legendum, *vulnerat*.—*Calydonia*; vide ad XIV, 513.—*Confundant*, pudore suffundant.—*Cum Junone*; ea enim impulsus Turnus arma moverat.

776. *In me acui enses*. In progeniem meam: in Cæsarem conjuratum est a sexaginta amplius, Cassio, Bruto, Marcello principibus. *Ed*.—*Ignis Vestæ exstinctus* fuit in prodigiis; vide Ciofanum ad h. l.

781. *Veterum Sororum* pro, vetera decreta Sororum, Parcarum. Nisi mavis senes Parcas intelligere: *vetus* enim sic dicitur, et Parcæ fingebantur senes; vide Lenzium.—

Signa tamen luctus dant haud incerta futuri.
Arma ferunt nigras inter crepitantia nubes,
Terribilesque tubas, auditaque cornua cælo
Præmonuisse nefas: Phœbi quoque tristis imago
Lurida sollicitis præbebat lumina terris:
Sæpe faces visæ mediis ardere sub astris;
Sæpe inter nimbos guttæ cecidere cruentæ.
Cærulus et vultum ferrugine Lucifer atra
Sparsus erat; sparsi lunares sanguine currus.
Tristia mille locis Stygius dedit omina bubo:
Mille locis lacrymavit ebur, cantusque feruntur
Auditi, sanctis et verba minacia lucis.
Victima nulla litat; magnosque instare tumultus
Fibra monet; cæsumque caput reperitur in extis.
Inque foro, circumque domos, et templa Deorum
Nocturnos ululasse canes, umbrasque silentum

Ferrea, immutabilia.—*Signa*, s. prodigia sequentia sumta sunt e Virgilio, Georg. I, 464 sqq; quamquam etiam historicis celebrata: conf. Tibullus, II, v, 71-78, et Cicero de Div. I, 10 sqq. — *Luctus futuri*, bellorum civilium instantium; nam secundum Virg. illa acciderunt post cædem Julii Cæsaris.

783. *Arma ferunt nigras* etc. Virg. et Tibullus dicto loco. — De *crepitu* armorum vide ad I, 143. — *Phœbi imago*, Phœbus, sol per totum illum annum pallidior solito fuit; Plin. II, 30; Plutarchus, in Julio Cæs. extr.

789. *Ferrugo* poetis tenebræ, caligo; Virgilius: « Caput obscura » nitidum ferrugine texit. » Eam ferruginem solis interdum, etiam hodie, efficiunt vapores, quibus aer repletus, qui et sanguineam reddunt lunam. — De *bubone* vide supra ad librum X, 453.

792. *Ebur*, statuæ eburneæ, quæ, quum tempore pluvio humidæ essent, lacrymare credebantur.—*Cantus*, voces quasi oraculo editæ, quales sæpe auditæ inter omina habita. Ita Burmann. contra Broukhusium qui malebat, *planctus*; Virg. « Vox » quoque per lucos vulgo exaudita » silentes Ingens. » Tibullus: « Lu» cos præcinuisse fugam. »

794. *Litare*, id est, Deos placare, dicuntur et homines, et victimæ et aræ; vide Schwarzium ad Plin. pan. cap. 52.—*Fibra...extis*. Virg. « Nec » tempore eodem Tristibus aut ex» tis fibræ adparere minaces. » — *Caput*, scil. extorum, quod *cæsum* cultro victimarii mali ominis erat. Livius, VIII, 9: « Decio caput je» cinoris a familiari parte cæsum » aruspex dicitur ostendisse, alioqui » acceptam Diis hostiam esse. »

797. *Nocturnos ululasse canes*. Vir-

Erravisse ferunt, motamque tremoribus urbem.
Non tamen insidias, venturaque vincere fata
Præmonitus potuere Deum : strictique feruntur
In templum gladii : neque enim locus ullus in Urbe
Ad facinus, diramque placet, nisi Curia, cædem.
  Tum vero Cytherea manu percussit utraque
Pectus ; et ætheria molitur condere nube,
Qua prius infesto Paris est ereptus Atridæ,
Et Diomedeos Æneas fugerat enses.
Talibus hanc genitor : « Sola insuperabile fatum,
Nata, movere paras ? intres licet ipsa Sororum
Tecta trium ; cernes illic molimine vasto
Ex ære, et solido rerum tabularia ferro ;
Quæ neque concursum cæli, neque fulminis iram,
Nec metuunt ullas tuta, atque æterna ruinas.
Invenies illic inclusa adamante perenni
Fata tui generis : legi ipse, animoque notavi,
Et referam, ne sis etiamnum ignara futuri.

gil. : « Obscœnique canes Signa dabant... simulacra modis pallentia miris Visa sub obscurum noctis. »

800. *Præmonitus*, signa præmissa. — *Templum* nunc curia, ut sæpe apud Cic. quia illa inaugurata ; *templum* enim omnis locus inauguratus et sanctus. — De hac voce *templum*, pro curia, vide doctiss. Rupert. ad Livium, I, VI, not. 6 ; nostræ edit. tom. I, p. 27. *Ed.* — *Stricti feruntur* pro, stringuntur in templo ; nam involuti illati erant in curiam ; Dio, XLIV, 16.

804. *Condere*, Cæsarem. — De *Paride erepto* vide Homerum, Il. Γ, 380. — *Infesto Atridæ*, Menelao, quocum certabat. — De *Ænea* vide Il. E, 311 sqq.

809. *Cernes molimine vasto* etc. Gravissime immutabilitatem fatorum notat. — *Rerum tabularia*, locus, in quo servantur tabulæ, quibus res fatales continentur, structus *molimine vasto*, opera maxima, *ex ære* etc. Tabularia illa Lenzius fuisse putat in limine Tartari, ubi ænei muri, et comparat Orphei hymn. LVIII, 1 sqq. — *Concursus cæli*, tonitrua, ut VI, 695, XI, 436. Confer Lucretium, VI, 160. Sed et *concussum cæli*, quod habent plerique MSS (et ambo nostri Regii), bene se habet. Jupiter enim tonans *concutere* cælum et terram graviter dicitur ; Horat. I, Od. XXXIV, 12. — *Inclusa*, incisa, insculpta, quod utrumque MSS multi e glossa præferunt. Etiam Cicero, Catil. I, 2, *Senatusconsultum inclusum in tabulis*. Conf.

Hic sua complevit, pro quo, Cytherea, laboras,
Tempora, perfectis, quos terræ debuit, annis.
Ut Deus accedat cælo, templisque colatur,
Tu facies, natusque suus; qui nominis hæres,
Impositum feret Urbis onus, cæsique parentis
Nos in bella suos fortissimus ultor habebit.
Illius auspiciis obsessæ mœnia pacem
Victa petent Mutinæ: Pharsalia sentiet illum,
Æmathiaque iterum madefacti cæde Philippi;
Et magnum Siculis nomen superabitur undis;
Romanique ducis conjux Ægyptia, tædæ
Non bene fisa, cadet; frustraque erit illa minata,
Servitura suo Capitolia nostra Canopo.

Claudian. XV, 202, ubi Atropos *voces* Jovis *adamante notat.* — Regius codex A habet *incisa;* codex B *inclusa.*

819. *Suus*, ejus. — *Nominis hæres* (multi *numinis*); διάδοχος ὀνόματος Cæsaris vocatur a Dione. Sueton. Aug. 7: « Postea Cæsaris, et deinde » Augusti cognomen assumsit: al- » terum testamento avunculi. » — *Onus*, molem imperii. *Ed.* — *Suos*, faventes.

822. *Illius auspiciis* etc. *Mutinæ* obsessus D. Brutus ab Antonio, quem Augustus, jussus a senatu, una cum Hirtio et Pansa coss. fugavit; Florus, IV, 4; Suetonius, Aug. 10. Sequentia expressa e Virgilio, Georg. I, 490 sqq: « Ergo » inter sese paribus concurrere telis » Romanas acies iterum videre Phi- » lippi: Nec fuit indignum Superis, » bis sanguine nostro Æmathiam » et latos Hæmi pinguescere cam- » pos, » ubi Heynius observat, *Æmathiam* esse quidem Macedoniæ partem, ad quam nec *Pharsalus* nec *Philippi* pertineant; sed poetas latius eo nomine uti etiam pro Thessalia: licuisse porro poetæ, quamquam paulo crassius, in eodem loco prælium factum dicere, quod in illis regionibus, in eo regno aut plaga factum. Hinc *Pharsaliæ* nunc fit mentio, ubi prius prælium commissum, hinc *iterum madefacti Philippi.* — *Sentiet illum*, usu cognoscet ejus fortitudinem et consilium.

826. *Romani ducis*, Antonii, *conjux Ægyptia*, Cleopatra, quam ille, repudiata Octavia, uxorem duxerat, *tædæ non bene fisa*, temere sperans, se nuptam Antonio potituram esse imperio Romano (Dio, IV, p. 421), *cadet*, victa ad Actium ab Augusto, aspidum veneno peribit. — *Frustraque* etc. invidiose, frustra imperium Romanum adfectaverit. — Pro toto imperio *Capitolium* nominat, ut vs. 589, et apud Horat. I, Od. XXXVII, 7, de eadem, « dum Capitolio Re- » gina dementes ruinas, Funus et » imperio parabat etc. » — *Canopus*, numen et oppidum Ægyptiorum.

Quid tibi Barbariem, gentesque ab utroque jacentes
Oceano, numerem? quodcumque habitabile tellus
Sustinet, hujus erit: pontus quoque serviet illi.
Pace data terris, animum ad civilia vertet
Jura suum, legesque feret justissimus auctor,
Exemploque suo mores reget: inque futuri
Temporis ætatem, venturorumque nepotum
Prospiciens, prolem sancta de conjuge natam
Ferre simul, nomenque suum, curasque jubebit:
Nec, nisi quum senior similes æquaverit annos,
Ætherias sedes, cognataque sidera tanget.
Hanc animam interea cæso de corpore raptam
Fac jubar, ut semper Capitolia nostra forumque
Divus ab excelsa prospectet Julius arce. »
Vix ea fatus erat, media quum sede senatus
Constitit alma Venus, nulli cernenda, suique
Cæsaris eripuit membris, nec in aera solvi
Passa recentem animam, cælestibus intulit astris.
Dumque tulit, numen capere, atque ignescere sensit,
Emisitque sinu: luna volat altius illa,

829. *Barbaria*, monente Burmanno, totus tractus terrarum, quem barbari populi tenent.

833. *Auctor*, legislator, ut VIII, 101. Suetonius, Aug. 34: « Leges » retractavit, et quasdam ex integro sanxit. » Idem 32: « Pleraque » pessimi exempli correxit, etc. »

836. *Prolem*, Tiberium, *sancta de conjuge*, Livia, *natam*, quam prægnantem a Nerone duxit Augustus.—*Sancta* solemne epitheton mulierum castarum et probarum, etiam in monumentis.

838. *Nec, nisi quum senior* etc. Jul. Cæsar, quum interficeretur, natus erat annos 56. Quum igitur h. l. non admodum longus vitæ terminus promittatur Augusto, Heinsius suadet, *quum senior Pylios æquaverit annos*. Certe *Pylios annos* Augusto precatur Noster etiam Pont. II, VIII, 41, et V Trist. V, 62. Cf. Martial. IV, Epigr. 1; VIII, 2. Quum MSS quidam *patrios* præferant, Lenzius suadet, *patrios superaverit annos*.

842. *Excelsa arce* præfero ex Thuan. MS, τῷ *æde*.—*Excelsa arx* est cælum. Alibi, *summa arx*. Similis sententia in Epiced. Drusi vs. 61: « summa sacer ille locatus in » arce, Res hominum ex tuto cernere dignus erat. » V. Vol. I, p. 410.

Flammiferumque trahens spatioso limite crinem
Stella micat, natique videns benefacta, fatetur
Esse suis majora, et vinci gaudet ab illo.
Hic sua præferri quamquam vetat acta paternis,
Libera fama tamen, nullisque obnoxia jussis
Invitum præfert, unaque in parte repugnat.
Sic magni cedit titulis Agamemnonis Atreus :
Ægea sic Theseus, sic Pelea vincit Achilles.
Denique ut exemplis ipsos æquantibus utar,
Sic et Saturnus minor est Jove : Juppiter arces
Temperat ætherias, et mundi regna triformis :
Terra sub Augusto : pater est et rector uterque.
Di, precor, Æneæ comites, quibus ensis, et ignis
Cesserunt; Dique Indigetes, genitorque, Quirine,
Urbis, et invicti genitor, Gradive, Quirini,
Vestaque Cæsareos inter sacrata Penates,
Et cum Cæsarea tu, Phœbe domestice, Vesta,
Quique tenes altus Tarpeias Juppiter arces,
Quosque alios vati fas adpellare piumque;

849. *Flammiferumque trahens* etc. Suetonius, Jul. Cæs. 88 : « In Deorum numerum relatus est, non ore modo decernentium, sed et persuasione vulgi. Siquidem ludis, quos primos ei hæres Augustus edebat, stella crinita per septem dies continuos fulsit, exoriens circa undecimam horam : creditumque est, animam esse Cæsaris in cælum recepti : et hac de causa simulacro ejus in vertice additur stella. » Vide supra, 749. *Ed.*

855. *Sic magni cedit.* Vulgo *magnis*, quod præferebat Heinsius; multi, et nostri Regii, *magnus*, quod et in suo Berneggeriano legit idem Heinsius. *Ed.*

859. *Triformis;* vide ad XII, 40. Expressit autem Horatii locum, I, Od. XII, 50 : « Orte Saturno, tibi cura magni Cæsaris fatis data : tu secundo Cæsare regnes. Te minor latum reget æquus orbem : Tu gravi curru quaties Olympum. » Confer Fast. II, 130.

861. *Æneæ comites,* Penates, quos incendio Trojano ereptos in Latium advexit Æneas. Ab his diversi *indigetes*, ἐγχώριοι, in quibus ipse Æneas; XIV, 608. Expressus autem locus e Virgilio, Georg. I, 498. —*Genitor*, conditor, *urbis.* Cic. de Div. I, 2, *Hujus urbis parens Romulus ;* Silius, II, 654, *parens murorum*, ubi vide Drakenb. — *Dome-*

Tarda sit illa dies, et nostro serior ævo,
Qua caput augustum, quem temperat, orbe relicto
Accedat cælo, faveatque precantibus absens.

JAMQUE opus exegi, quod nec Jovis ira, nec ignes,
Nec poterit ferrum, nec edax abolere vetustas.
Quum volet illa dies, quæ nil, nisi corporis hujus
Jus habet, incerti spatium mihi finiat ævi :
Parte tamen meliore mei super alta perennis
Astra ferar, nomenque erit indelebile nostrum;
Quaque patet domitis Romana potentia terris,
Ore legar populi, perque omnia secula fama,
Si quid habent veri vatum præsagia, vivam.

sticus, Palatinus. Cf. Horat. I, Ep. III, 17. *Ed.* — *Tarda sit* etc. Horatius, I, Od. II, 45 : « Serus in » cælum redeas, diuque Lætus in» tersis populo Quirini. »

871. *Jamque opus exegi*, etc. Epilogus fideliter expressus ex Horatio, III, Od. XXX. Confer etiam II, 20, et Propertium, III, 134 sqq. — *Exegi*, ad finem perduxi, absolvi. Horatius, « Exegi monumentum » ære perennius. » — *Jovis ira*, fulmen. — *Edax*, omnia absumens. Horatius : « Quod non imber edax, » non Aquilo impotens Possit diruere, aut innumerabilis Annorum » series, et fuga temporum. »

875. *Super alta perennis Astra ferar*; gloria mea erit æterna. Horatius : « Non omnis moriar; multa» que pars mei Vitabit Libitinam. » — *Ore legar populi*. Propert. II, 1, 2, *veniat mollis in ora liber*; ubi vide Broukhusium. — Post versum 879 in multis MSS hoc distichon est adscriptus : *Bis sex millenos versus in codice scriptos, Sed ter quinque minus continet Ovidius*. Burmannus monet exstare hodie nonnisi 11993, ut septem desint.

METAMORPHOSEON FINIS.

INDEX RERUM

QUÆ

IN UNOQUOQUE LIBRO

METAMORPHOSEON OVIDII

CONTINENTUR.

LIBER I.

LIBER II.

LIBER III.

LIBER IV.

LIBER V.

LIBER VI.

LIBER VII.

LIBER VIII.

LIBER XIII.

LIBER XIV.

LIBER XV.

METAMORPHOSEON OVIDIANARUM

ARGUMENTUM

CARMINE ELEGIACO EXPRESSIT

ET ITERUM EMENDATIUS

EDIDIT

FRID. HENR. BOTHE.

NASO Chaos primum Ætates, dicitque Gigantas,
Vimque Lycaoniam, diluviumque grave,
Pyrrha quod effugit cum conjuge sola probato;
Pythonemque manus nomen Apollineæ.
Clara coma sequitur Peneia, cornibus Io,
Syringisque Argus perditus historia;
Lumina cujus avis rapuit Junonia pennis;
Ast Epaphum peperit reddita Nympha sibi.

Te Phaeton celebrat Phœbeie, charta secunda,
Heliadum lacrymas, fataque, Cycne, tua;
Tum Callistonem, et, pius impia qui meditatus,
Arcada, mox magnum sidus utrumque suum.
Corvus it, et cornix, et noctua, tuque, Coroni,
Quamque pater frustra planxerat, Ocyrhoe.
Cætera Phœbus habet pastor, Battusque, sorores
Atthides, Invidiæ flamina, bosque Tonans.

Tertia tu quærens ordire volumina, Cadme,
  Europen raptam, conditor anguineæ
Gentis, et Actæon, Semeleque miserrima pellex;
  Tiresiæque senis nobile judicium.
Tum male desipiens canitur Narcissus et Echo,
  Quique negat verum te, Melanægi, Deum,
Pentheus infelix: nautæ, mirabile! pisces
  Facti; Baccharum victima rex cecidit.

Quarto est Alcithoes et tradita pœna sororum
  Codice, pro festo quìs mala cura labor.
Hunc solaturæ, antiqui sibi temporis acta
  Narrant; ut Thisben, Pyrame, perdideris;
Leucotheam Clitienque; et te, tener Hermaphrodite;
  Et, quæ concrevit corpore, Salmacida.
Post Furia est; Athamas; Cadmi fuga; victor Atlantis
  Perseus; Andromede; morsque, Medusa, tua.

Reddit Abantiades cum Pallade Phinea cautem
  Quinto, nec sociis parcitur indomitis.
Jamque ad Musarum sedes Tritonia tendit,
  Miratura novas, quas pede fudit, aquas
Pegasus: huic studiumque probant Aganippides almæ;
  Moxque Pyreneum Pieridumque nefas,
Et Cererem cantant, Arethusaque fons ut ametur,
  Persephoneque modis quìs Acheronta regat.

Sextum exorditur speciem mutata Minerva,
  Os ut Arachneum plecteret immodicum.
Fit Niobe saxum, fiunt agrestia ranæ
  Agmina; te Lycius, Marsya vane, ligat;
At Tereus volitat Pandioniæque sorores,
  Quarum abit ad plures orbus ab his genitor.
Denique cum Minyis petit aurea fortis Iason
  Vellera, Phrixeæ dona beata manus.

Qui sequitur, libro Æsonides per Colcha venena
Cum patre convivit, mors Peliæque datur.
Medeam ducit profugam male credulus Ægeus.
Contra Dictæos Æacus huic socius,
Dira lues cui comminuit pecudesque virosque;
Unaque est Cephalus, Procridis hostis amans,
Mutata uxorem qui turpiter ipse figura
Decipiens, vecors noluit esse probam.

Octavo Scylla in cirin mala vertit amore;
Dein Ariadneo stamine, non merito,
Theseus servatur; nympha at periisset, Iacchus
Ni foret. Icarium fit mare; turbat aper;
Enarratque Achelous Echinadas, alter at ipsi
Baucida : multa fames tunc Erisichthonia
Metraque, ceu Proteus, variabilis occupat ob rem;
Imminet extremo Deianira libro.

Amphitryoniades nono Deus evolat Œta,
Stasque, Licha, scopulus. Mox adit Eurytida
Alcmene, motamque Galanthida dicit; et illa,
Ut lotos Dryope floreat ipsa soror.
Jamque Iolaus adest, juvenis novus, atque superbus
Phœbo Miletus, factaque Byblis aqua
Ob fratrem; nec abest, quam, quo frueretur Ianthe,
Reddidit e tenera virgine Diva virum.

Intrat amans Orpheus decimo mala regna Silentum,
Nec tamen ad Superos permeat Eurydice.
Jam liquido vatis modulamine cuncta moventur:
Atti, adstas; adstas tu, Cyparisse puer,
Ambo mutati : canitur Jovis inde minister;
Pygmalion; Myrrhæ non revocandus amor;
Tuque, placens ipsi Veneri, male pulcher Adoni;
Tuque, uni, virgo, mitior Hippomeni.

Undecima Orpheam lugere volumina mortem
Instituunt: asinum fingit Apollo Midam,
Ilion et condit. Telamoni traditur uxor
Hesiona, Æacidæ vix superata Thetis.
Tunc ad Ceycem convertitur Halcyonemque
Carmen, et ad Morphei somnia vera nimis.
Illi mox alis, velut Æsacus, aera pulsant,
Priamides, verso corpore factus avis.

Troia, qui sequitur, bella exhibet, Iphianassam,
Et Centaurorum prælia sæva liber,
Cycnum, ac Nelei, mutantis in omnia mire,
Fata Periclymeni; mox tua, nate Dea,
Funera, nolentes quem Peleus almaque mater
Armarant, notum munere Lartiadæ:
Nam Paris ignavus fortem percussit Achillem,
Obvertente ipso spicula certa Deo.

Pelidæ ambierint ut Ulysses mitis et Ajax
Arma, liber pandit tertius a decimo.
Pergama conflagrant; Hecube canis induit ora,
Auroræ volucris gnatus, ut interiit;
Ipse relicto Anio Scillan fugit atque Charybdin
Æneas; sequitur quos Polyphemus amans,
Acidis exstinctor teneri, dictusque per herbas
Piscator pelagi Glaucus adisse Deos.

Simia jam Cercops factus legiturque Sibylla,
Inque fera ripa solus Achæmenides,
Cyclopi elapsus. Læstrigona viderat alter,
Mox Circen. Pici tum subit historia,
Et Diomedei numeri. Cythereius heros
Cum ratibus vertit: calx habet Iphin, habet
Te, Vertumne; Deam junctam tibi; denique regem,
Cujus, avi, cepit Romulus imperium.

Extremo rex est sapiens Numa Pythagorasque
  Codice, quique fuit Virbius Hippolytus,
Cum Cipoque Tages vates. Deus inde salutem
  Sub serpente latens reddidit ut Latio,
Magno est in populis Epidaurius hospes honore.
  Fit majus : Deus est Julius urbe sua
Cæsar, at in cælo sidus micat; inque relicta
  Augustus terra sceptra paterna tenet.

Tot res tam varias vinclo conjunxerit uno
  Ut Pelignus olor, quæris, amice? legas.
Ista viri vis arsque : cadavera nolo poetas,
  Grammaticus partes quæ secet in vapidas.
Tu, dedit ut sese, totum accipe; nec male rimans
  In Nasone mihi quærito Virgilium.
Non una est facies Naturæ : mutat, et audet
  Quidque, nec in solita vertitur usque via.

VOLUMINIS QUARTI

INDEX SPECIALIS.

FINIS VOLUMINIS QUARTI.